

PARATITLA  
IN LIBROS IX. CODI-  
CIS IVSTINIANI REPETI-  
TAE PRAELECTIONIS,

OPVS IAC. CUIACII.

pro nullum ab  
ipso factum est  
elegantius,  
et absolutius.  
teste Vultrejo  
proleg. de stud. Iur  
Rom. Iurisp. Gmss.  
p. 56.

Ad Nobilissimum longeq; omnium Iurisperitorum pro-  
stantissimum D. PAVLVM DE FOIX Con-  
siliarium sanctioris intimiq; Confessus  
Christianissimi Regis.



COLONIAE AGRIPPINAE,  
Apud Ioannem Gymnicum, sub Monocerote.  
Anno M. D. XCV.  
Cum Privilegio Caesar. Maiest. ad decennium.



0/6. 6. 4, 3347 a

NOBILISSIMO VIRO  
 LONGEQVE OMNIVM IV-  
 RISPERITORVM PRAESTANTISSIMO  
 D. PAVLO DE FOIX Consiliario sanctio-  
 ris intimiq; confessus Christianis. Regis,

IAC. CVIACIVS S.



PERABAM paucis diebus ut in  
 Digesta & Codicē me Paratitla  
 absolvere posse, idq; perfectis Di-  
 gestorū libenter susceperā, ut me  
 putabā debere praestare. Verū in  
 vbi ad rem aggredi & me ac-  
 cingere coepi, sensi operosiores  
 esse hominūq; diligentioris quā ipse sim, planeq; coe-  
 pto destitissim, nisi me tua auctoritas deterruisset, quē  
 non cessasti ab eo die quo quid in Digesta praestitissim,  
 cognouisti, urgere & efflagitare, ut idem auderem in  
 Codicem. quod & feci vix tandem magna ex parte, ut  
 vires mea tulerunt, an etiam ut exigebat officij mei ra-  
 tio, non alium quā te iudicē fero. quidquid id est, cer-  
 tē hisso admodū lentoq; & fastidioso satis studio ac la-  
 bore perfeci, nec vllum vnquam mihi contigit onus susti-  
 nere grauius. cetera quae antē pertuli non pauca, quae à  
 pueritia otiosum diem nullū vixi, cum isto collata, curae  
 mihi laborive nullo fuisse videtur. Causa in me si fortē,  
 non in re ipsa, vel id quod lāguescat sensim vis illa ani-  
 mi & ingenij solertis ac capitalis quae vixit in me du-  
 dum, vel id quod iam ingrauescens aetas atque causaria  
 sibi placet magis in respondēdo, ac sidendo, docēdo, quā  
 in scribendo. sed ex his vtrumcunque sit in me quod cau-  
 sam difficultati & morae dederit, res ipsa tamē profecta

EPISTOLA

multū, vel dicam plus mihi negotij & molestiarū exhibuit. Quid, inquires, nūquid nō & in Digesta tantundē? Imò verò longè minus. Iuris enim quàm Constitutionū facilior cognitio & tractatio est, illo continentur leges, edicta, S. C. certa & Iurisprudantium interpretatiōes atque responsa maximè inter se congruentia, aut repugnantia si qua sunt, ita disposita, vt quæ praeualeant non sit obscurum. Constitutionum verò quasi incertum ius est, varium atque multiplex, & perdifficile igitur, & si perdifficile, penè captu impossibile, vt nostrorum verbo vtar, nisi scilicet (recensebo laborem improbissimū) quis perdidicerit, vt subindè libidine principum id mutatum & perturbatum fuerit. quid illis placuerit primū, quid deindè, quid postremò, quidve in Rep. antè illos obtinuerit, quid quaq; ratione post illos obtinuerit, quid quaq; ratioe post illos modò inductū, modò intermissum, mox reductum, rursusq; intermissum, aut abolitū fuerit & quid Iustinianus postremus omnium quorum quidē placita hic liber habet (nam & alij post secuti sunt quibus Iustiniano quod placuit magna ex parte displicuit, cuius etiā varietatis & inconstantia rerum & vox dicitur in per quàm necessaria est) quid, inquā, Iustinianus tandē effecerit Cōstitutionibus multis, quibus hunc librū sparsit, quid his quæ hunc librū cōsecutæ sunt, sanè omnibus omni iuris sciētia refertissimis, adeò vt qui earū teneat vim, originē, atq; processum, hunc ego facillè sim habiturus pro doctissimo Iurisconsulto, ac penè pari Triboniano ipsi, quo ego tandē cognito pondere earū Cōstitutionum, quas suo Imperatori eum persuasisse certo certius est, mihi gaudeo quòd cognouerim eam at atè nō tulisse



## DEDICATORIA:

*excellētiorē in iure civili, quod utiq; & sine illius ope cu-  
 raq; prorsus intercidisset. Deniq; ita cōseō, Codicis ma-  
 ius esse opus, maiusq; negotiū, vel quia eo quem Digesta  
 requirūt orbe, eo instructo, eaq; ut ita dicā, supellectile  
 rerū ac disciplinarū omnium quantumvis licet magna,  
 exigat longē maiorē: frustra. n. Codici datur opera, nisi  
 & Digestorū & alia pleraq; adminicula suppetāt, cū ta-  
 men Digesta Codicis adminiculo nequaquā indigeant:  
 ex quo palā est quā mibi fuerit negotiosa ista prouin-  
 cia. quod etiā abundē coarguit opus, vel ne quis succen-  
 seat opusculū, tribus postremis libris imperfectū, in quos  
 prater quæ edidi iam dudū, super est aliquid quod deside-  
 res, & deficerē etiā ipse quod ad titulorū rationem at-  
 tinet. sed malui quasi interiuungere veluti iam lōgo labo-  
 re defessus, quā te diutius expectatione suspensum de-  
 tinere, id quod residet vbi paulisper adquieuissem, spe-  
 rans me daturū, & verò daturus si iusseris altera editio-  
 ne. idē quoq; magis coarguunt vberiora Paratitla istæ ac  
 quæ feci quā priora, nō alia quā rei subiectæ pōdere  
 & grauitate cōpulsus, quodq; si hæc attētē legeris, sen-  
 ties quorū beneficio opus texeretur splēdidius multa  
 scrinia resignasse, peruoluisse, pertentasse, perquisisse  
 multa, excogitasse, adinuemisse, & nescio vndē ex abdi-  
 to eruisse plurima, ius civile ornatius illustriusq; fecisse  
 nō minorē in modū breui quidē, sed puro aptoq; libello,  
 quippe cū nec in eū ex lamis lustrisve quidquā intule-  
 rim, sed ex liquidis tantūmodo fōtibus iuris & decoris o-  
 ptimarū artium studijs, nō ἐκ τῶν στυκλῶν ἢ τῶν στυγ-  
 φάκων scriptis, quibus plerūq; aliud agitur, quā quod  
 ipsi agunt legū auctores, non ex cathedra ijs recitatio-  
 nibus,*

EPISTOLA

vobis, quibus & si fateor studiosè audiēdis multis multū  
 adolescentē me sumpsisse tēporis, quod & adolescenti  
 bus suadere soleo pariter vt faciant, illud subinde Theo-  
 nis iterans, τὸ ἀκρόασις οὐκ ἄρα σμῦνις, τὰ με-  
 τὰ πόων τῶν ἄλλοις ἐργασμῶν ἐπιμωζ λαμ-  
 βάνωρ, tamē modo nescio quo mihi cōtigit vt parū illis  
 aut nihil proficerē. Vnū ē multis quos audiri Ferrerium  
 excipio summū & admirabilē Iuriscōsultū, qua nemo  
 publicè docuit, vel docebit vnq̄ ornatius, subtilius, fideve  
 & diligētia maiore, nemo qui audiuerit dicet secūs. hu-  
 ius ego acroamata & recitationes aliquot de seruituti-  
 bus, de lege Falcidia, de legatis, de eo quod interest, vt  
 L. Grassi orationes de lege Seruilia sibi M. Tullius ait, sic  
 mihi semper predicabo fuisse magistras, nec si essent in  
 suanu, alio hodie in meis studijs rectore vterer libētius,  
 amisisse me eas improuidū, vt ne linea quidē apud me su-  
 persit, pudet pigetq̄, et dolet se penumerò medijs vigilijs  
 hāc mihi nō allucere facē nec alluxisse etiā, scripta mea  
 quod prodūt nimis. Cū verò in hoc opere quā dixi ratioē  
 versatus sim, si tuo iudicio vel ingenij vel cura saltē te-  
 stimonio aliquo egi me nō indignū, iudicijs aliorū nō ab-  
 dē pēdeo, tibi vni satisfacere, tibi vni placere, et nobiliū  
 adolescentū, quibus adsūm, cōmodis vtilitatiq̄, seruire,  
 vel potius tibi singulo placere satis habeo. tibi. n. nūquā  
 placuero ne quicquā illorū vtilitati quo minus seruiā, vt  
 cupio, vt conor, parentū quorū in imperio sunt, praprop-  
 pera festinatio & caca ambitio facit, qui eos antequā  
 sui iudiciū sint, & his literis instructi, sine quibus ius ciuis  
 le percipi nō potest, ad nos ea lege atq̄, ratione trāsmit-  
 tent, vt mox vix dū sciētes gestū disciplina nostrā, ad se

## DEDICATORIA.

*uenocent, & rudes atq; impolitos, ne dicā imperitos in  
 forū & curiā impellant. quo genere, vt imiter Diodoriā  
 idē de sapiētia studiosis quibusdā cōquerentē, ὁ πλὺς  
 ἀπὸ ἀσκήσεως προσιωρ, πρῶτὶ πάντων τῶν νομικῆς ἀπείτης  
 καὶ μέχρι ἡνὸς εὐλοπονήσας ἀπῆλθε, ἡμῶν ὁδῶν ἕως ἡ  
 ἡρῶν ἀπῆλθε. Cur verò tibi potissimū placere cu-  
 piā, multæ sunt & magna causæ. placuero omniū nō mo-  
 dō qui sunt, sed eorum etiā à iure cōdito auctoritate Iu-  
 stiniani qui fuerūt, in eo iure facile principi, & omniū  
 iuris studiosorū patrono & amico magno, placuero homi-  
 ni vt generosissimo sic sanguine edito omniū Gallie pro-  
 cerum nobilissimo, & pro sua integritate ac sapientia,  
 quam cum illustri nobilitate conuenienter sociauit atq;  
 coniunxit, à regibus nostris iure & meritò omnib. rebus  
 amplissimis atq; honorificētissimis ornatissimo. & hoc sibi  
 mihi Deus dederit, nihil est cur morer me, si qui mortā-  
 les felices sunt felicibus inferere. & vt nō dederit, tamē  
 quē oēs quotquot iuris studiosi sumus colere & venerari  
 debemus tanquā principē & patronum parentemq; cō-  
 munem, quod cōplures alios nō ignoro in sua causa sen-  
 sisse, mea mirificè sum expertus, æquum est ei nos oēs  
 omnia nostra studia, omnia summa deuouere atque de-  
 ferre. quid cessamus? quid cessauimus tandiu? quis nos  
 ante tenuit torpor? equidē incipiā te auspice, tametsi se-  
 rō, si nō iniucūdē acceperis, si nō improbaueris, nō tamē  
 infeliciter. tua approbatio pensabit omnē culpā, tui autē  
 nominis, cui hoc confecro, amplitudo & gloria, vt spero,  
 ceteris commendabit donum. Gentile nomen dico, cu-  
 ius memoriā conseruant literæ & monumenta vetusta  
 tis, concelebrat etiā hodie sermo hominum quasi recen-*

EPIST. DEDICAT.

sem, non multò secùs, nempe vt saltum Pyrenaum, vt to-  
 tam ferè Nouempulonam Narbonensemq<sub>3</sub> prouinciã  
 sermones illi strenuissimi, vnde profectus es, patres tui  
 atque maiores, virtute imperioq<sub>3</sub> suo summo rexerint  
 diu summa cum laude, vt immortalẽ sibi posterisq<sub>3</sub> suis  
 gloriam debellandis & subigendis hostibus comparaue-  
 rint, vt aula eorum quandoq<sub>3</sub> frequentior fuerit, quàm  
 ea etate cuiusquam regis aut principis. Gentili etiã pro-  
 priũ adiungo clarissimũ ingenio acerrimo, quod contu-  
 listi ad summam iuris ciuilis & perfectã cum sancta &  
 priuata, tum etiam publica & domestica disciplina, es  
 antiquitatis aliena nostraq<sub>3</sub> & terrarum descriptionis  
 & omnium bonarum artium scientiam, illustrissimum  
 animi virtute, vitaq<sub>3</sub> incorruptissima, illustrissimũ mul-  
 tis legationibus veluti Romana, Anglica, Scotica, Vene-  
 ta pro rege regnoq<sub>3</sub> sapius iteratis, multis honoribus mi-  
 nisterijsq<sub>3</sub> publicis maximè tuenda pacis, cuius semper  
 auctor fuisti constantissimus in tumore motuq<sub>3</sub> vesana  
 multorum magnorumq<sub>3</sub> medius, & in ea quoq<sub>3</sub> re hodie  
 totus es. Spero & certè cõfido, huic operi quo conspiciat-  
 ur omnium oculis fœneraturam luminis strictu<sup>æ</sup> a-  
 liquam tantum tanti nominis splendorem, cui adiunctis  
 interim in vicem fidemq<sub>3</sub> trium postremorũ tribus sem-  
 per currentium Observationum libris XVIII. XIX. XX.  
 id omne summissimè suspendo, obsecrans pro tua boni-  
 tate, vt boni consulas bonum animum, nec fallas opinio-  
 nem quam semper habui de te, nihil à me posse proficisci  
 quod per tibi gratum non sit. Vale. Auarici Biturigum,  
 Id. Mart.

TITVLI LIBRORVM  
NOVEM CODICIS  
per literas.

A.



*De abigeis, lib. 9. tit. 37.*

*De abolitionibus, lib. 9. tit. 42.*

*De acceptilationibus, lib. 8. tit. 43.*

*De accusationibus & inscriptionibus, lib. 9.  
titul. 2.*

*De actionibus empti & venditi, li. 4. tit. 49.*

*De actionibus hereditarijs, li. 4. tit. 16.*

*De actore à tutore seu curatore dando, li. 5. tit. 61.*

*Ad exhibendum, li. 3. tit. 42.*

*Ad legem Corneliam de falsis, li. 9. tit. 22.*

*Ad legem Corneliam de sicarijs, li. 9. tit. 16.*

*Ad legem Falcidiam, li. 9. tit. 50.*

*Ad legem Fabiam de plagiarijs, li. 9. tit. 20.*

*Ad legem Iuliam de adulterijs & stupro, li. 9. tit. 9.*

*Ad legem Iuliam de ambitu, li. 9. tit. 26.*

*Ad legem Iuliam de vi publica seu priuata, lib. 9. tit. 12.*

*Ad legem Iuliam maiestatis, li. 9. tit. 8.*

*Ad legem Iuliam repetundarum, li. 9. tit. 27.*

*Ad legem Viselliam, lib. 9. tit. 21.*

*De administratione tutorum & curatorum, & de pecunia pupillari sceneranda vel deponenda, lib. 5. titul. 37.*

*De adoptionibus, lib. 8. tit. 47.*

*De acquirenda & retinenda possessione, li. 7. tit. 32.*

## INDEX TITVLORVM

- Ad S.C.Macedonianum**, li. 4. tit. 28.  
**Ad S.C.Orphitianum**, li. 6. tit. 57.  
**Ad S.C.Tertullianum**, li. 6. tit. 56.  
**Ad S.C.Trebellianum**, li. 6. tit. 49.  
**Ad S.C.Turpilianum**, lib. 9. tit. 45.  
**Ad S.C.Velleianum**, li. 4. tit. 29.  
**De adfertione tollenda**, li. 7. tit. 17.  
**De adfessoribus, domesticis, & cancellarijs iudicium**  
 lib. 1. tit. 51.  
**De aduocatis diuersorum iudiciorum**, lib. 2. tit. 7.  
**De aduocatis fisci**, li. 2. tit. 8.  
**De edificijs priuatis**, lib. 8. tit. 10.  
**De adilitijs actionibus**, li. 4. tit. 58.  
**De alea lusu, & aleatoribus**, li. 3. tit. 43.  
**De alendis liberis ac parentibus**, li. 5. tit. 25.  
**De alienatione iudicij mutandi causa facta**, libro 2.  
 tit. 54.  
**De alimentis pupillo prestandis**, li. 5. tit. 50.  
**De alluionibus, & paludibus & pascuis ad alium sta-**  
**tum translatis**, li. 7. tit. 41.  
**De annali exceptione Italici contractus tollenda,**  
**diuersis temporibus, & exceptionibus vel prestr-**  
**ptionibus, & interruptionibus**, li. 7. tit. 40.  
**De annonis & capitu administrantium vel adfessorum,**  
**aliorumve publicas sollicitudines gerentium, vel eo-**  
**rum qui aliquam consecuti sunt dignitatem**, libr. 1.  
 tit. 52.  
**An seruus ex suo facto post manumissionem teneatur**, li-  
 br. 4. tit. 14.  
**De apostatis**, li. 1. tit. 7.

COD. PER LITERAS.

*De appellationibus & consultationibus, libro 7. tit. 62.*

*Arbitrium tutela, li. 5. tit. 51.*

*De auctoritate prestanda, li. 5. tit. 59.*

B.

*De bonis auctoritate iudicis possidendis, seu venundandis, & de separationibus, li. 7. tit. 72.*

*De bonis eorum, qui mortem sibi consciuerunt, libr. 9. tit. 50.*

*De bonis libertorum, & iure patronatus, li. 6. tit. 4.*

*De bonis maternis, & materni generis, li. 6. tit. 60.*

*De bonis proscriptorum, seu damnatorum, libr. 9. tit. 49.*

*De bonis, quae liberis in potestate constitutis, ex matrimonio, vel aliter acquiruntur, & eorum administratione, li. 6. tit. 61.*

*De bonorum possess. contra tabulas liberti, quae patronis vel liberis eorum datur, li. 6. tit. 13.*

*De bonorum possess. contra tabulas, quam praetor liberis pollicetur, li. 6. tit. 12.*

*De bonorum possessione secundum tabulas, libr. 6. tit. 11.*

C.

*De caducis tollendis, li. 6. tit. 51.*

*De calumniatoribus, li. 9. tit. 46.*

*De Carboniano edicto, li. 6. tit. 17.*

*De causis ex quibus infamia alicui non irrogatur, libr. 2. tit. 11.*

*De codicillis, li. 6. tit. 36.*

*De collationibus, li. 6. tit. 20.*

*De col-*

## INDEX TITVLORVM

- De collusionē detegenda, lib. 7. tit. 20.
- De commercijs & mercatoribus, li. 4. tit. 63.
- Comminationes, epistolas, programma, subscriptiones,  
auctoritatem rei iudicatæ non habere, li. 7. tit. 57.
- Communia de legatis & fideicommissis, & de in rem  
missione tollenda, li. 6. tit. 43.
- Communia de manumissionibus, li. 7. tit. 15.
- Communia de successioneibus, li. 6. tit. 59.
- Communia de usucapionibus, li. 7. tit. 30.
- Communia vtriusque iudicij, tam familiæ exercitundæ,  
quàm communi diuidundo, li. 3. tit. 38.
- De commodato, li. 4. tit. 23.
- De communium rerum alienatione, li. 4. tit. 52.
- Communi diuidundo, lib. 3. tit. 37.
- De communi seruo manumisso, lib. 7. tit. 7.
- De compensationibus, li. 4. tit. 31.
- De concubinis, li. 5. tit. 26.
- De condictione ex lege, & sine causa, vel iniusta causa,  
lib. 4. tit. 9.
- De condictione furtina, li. 4. tit. 8.
- De condictione indebiti, li. 4. tit. 5.
- De condictione ob causam datorum, li. 4. tit. 6.
- De condictione ob turpem causam, li. 4. tit. 7.
- De conditionibus insertis tam legatis, quàm fideicom-  
missis, & libertatibus, li. 6. tit. 46.
- De confessis, li. 7. tit. 59.
- De confirmando tutore, li. 5. tit. 29.
- De consortibus eiusdem litis, li. 3. tit. 40.
- De constituta pecunia, li. 4. tit. 18.
- De contractibus iudicium, vel eorum qui sunt circa eos,



COD. PER LITERAS.

Et inhihendis donationibus in eos faciendis, Et in administrationis tempore proprias ades adificent sine sanctione pragmatica. li. 1. tit. 53.

De contrahenda emptione Et venditione. libr. 4. tit. 38.

De contrahenda Et committenda stipulatione. lib. 8. tit. 37.

De contrario iudicio, li. 5. tit. 58.

Creditorem euictionem pignoris non debere. libr. 8. tit. 45.

De crimine stellionatus. li. 9. tit. 34.

De crimine peculatus. li. 9. tit. 28.

De crimine sacrilegij. li. 9. tit. 29.

De crimine expilat & hereditatis. li. 9. tit. 32.

De custodia reorum. lib. 9. tit. 4.

De curatore furiosi vel prodigi. li. 5. tit. 70.

D.

Debitorem venditionem pignorum impedire non posse, li. 8. tit. 28.

De dedititia libertate tollenda. li. 7. tit. 5.

De defensoribus ciuitatum. li. 1. tit. 55.

Depositi, vel contra. lib. 4. tit. 34.

De dilationibus. li. 3. tit. 11.

De distractione pignorum. li. 8. tit. 27.

De diuidenda tutela, Et pro qua parte quisq<sup>3</sup> tuterum conueniatur. lib. 5. tit. 52.

De diuersis rescriptis Et pragmaticis sanctionibus. lib. 1. tit. 23.

Diuortio facto, apud quem liberi morari vel educari debeant. li. 5. tit. 24.

## INDEX TITVLORVM

**De dolo malo**, li. 2. tit. 20.

**De donationibus**, lib. 8. tit. 53.

**De donationibus ante nuptias, vel propter nuptias, & sponsalitijs**, lib. 5. tit. 3.

**De donationibus inter virum & uxorem, & à parentibus in liberos factis, & de ratihabitione**, libr. 5. tit. 16.

**De donationibus, quæ sub modo, vel conditione, vel ex certo tempore conficiuntur**, li. 8. tit. 54.

**De dote cauta & non numerata**, li. 5. tit. 15.

**De dotis promissione vel nuda pollicitatione**, libr. 5. tit. 11.

**De duobus reis stipulandi & promittendi**, libr. 8. tit. 39.

### E.

**De edendo**, lib. 2. tit. 1.

**De edicto Diui Adriani tollendo, & quemadmodum scriptus heres in possessionem mittatur**, libr. 6. tit. 33.

**De emancipationibus liberorum**, li. 8. tit. 48.

**De emendatione propinquorum**, lib. 9. tit. 15.

**De emendatione seruorum**, li. 9. tit. 14.

**De eo qui pro tutore negotia gessit**, li. 5. tit. 45.

**De episcopali audientia, & de diuersis capitulis, quæ ad ius curamq; & reuerentiam pontificalem pertinent**, li. 1. tit. 4.

**De Episcopis & clericis & orphanotrophijs & brephotrophijs & pthochijs, & xenodochijs, & asceterijs, & monachis, & priuilegijs eorum, & castrensi peculio: & de redimendis captiuis: & de nuptijs cle-**

COD. PER LITERAS.

- Victorum vetitis seu permissis, li. 1. tit. 3.*  
*De errore aduocatorum, vel libellos seu preces concipientium, li. 2. tit. 9.*  
*De errore calculi, lib. 2. tit. 5.*  
*Etiam ob chirographariam pecuniam pignus teneri, lib. 8. tit. 26.*  
*Etiam per procuratorem causam in integrum restitutionis agi posse, lib. 2. tit. 48.*  
*De euictionibus, li. 8. tit. 44.*  
*De eunuchis, lib. 4. tit. 42.*  
*De exceptionibus siue prescriptionibus, libr. 8. titul. 35.*  
*De excusationibus & temporibus earum, libro 5. titul. 62.*  
*De excusationibus veteranorum, li. 5. tit. 65.*  
*Ex delictis defunctorum in quantum heredes conueniantur, li. 4. tit. 17.*  
*De exhibendis & transmittendis reis, li. 9. tit. 3.*  
*De executione rei iudicatae, lib. 7. tit. 53.*

F.

- De falsa causa adiecta legato vel fideicommissio, libr. 6. tit. 44.*  
*De falsa moneta, li. 9. tit. 24.*  
*Familiae eriscundae, li. 3. tit. 36.*  
*De famosis libellis, li. 9. tit. 36.*  
*De ferijs, lib. 3. tit. 12.*  
*De fideicommissarijs libertatibus, li. 7. tit. 4.*  
*De fideicommissis, lib. 6. tit. 42.*  
*De fide instrumentorum, & amissione eorum, & de antapochis faciendis, & de his quae sine scriptura fieri possunt.*

## INDEX TITVLORVM

possunt. lib. 4. tit. 21.

De fideiussoribus & mandatoribus. lib. 8. tit. 40.

De fideiussoribus minorum. li. 2. tit. 23.

De fideiussoribus tutorum vel curatorum. li. 5. tit. 57.

De filiofamilias minorum. li. 2. tit. 22.

Finium regundorum. li. 3. tit. 39.

De formulis & impetrationibus actionum sublatis. libr.  
2. tit. 57.

De fructibus & litium expensis. lib. 7. tit. 51.

De fundo dotali. li. 5. tit. 23.

De furtis & seruo corrupto. lib. 6. tit. 2.

### G.

De generali abolitione. li. 9. tit. 43.

### H.

De hereticis, & Manichæis, & Samaritis. li. 1. tit. 5.

De heredibus instituendis, & quæ personæ heredes in-  
stitui non possunt. li. 6. tit. 24.

De heredibus tutorum vel curatorum. li. 5. tit. 54.

De hereditate vel actione vendita. li. 4. tit. 39.

De hereditatibus decurionum, nauiculariorum, cohorta-  
tialium, militum, & fabricensium. li. 6. tit. 62

De his, qui ad ecclesias confugiunt, vel ibi excluduntur. ant.  
lib. 1. tit. 12.

De his, qui ad statuas confugiunt. li. 1. tit. 25.

De his, qui à non dominis manumittuntur. libr. 7. ti-  
tul. 10.

De his qui ante apertas tabulas hereditatem transmittunt. li. 6. tit. 52.

De his, quibus vt indignis hereditas aufertur, & ad S.  
C. Silamanum. lib. 6. tit. 35.

COD. PER LITERAS.

*De his, qui in ecclesiis manumittuntur, lib. 1. tit. 13.*

*De his, qui in priorum creditorum locum succedunt, lib. 8. tit. 18.*

*De his, qui latrones, vel alijs criminibus reos occultaauerint, lib. 9. tit. 39.*

*De his, qui parentes vel liberos occiderunt, libr. 9. tit. 17.*

*De his, qui potentiorum nomine titulos prædijs adfigunt, vel eorum nomina in lite prætendunt, libr. 2. tit. 14.*

*De his qui propter metum iudicis non appellauerunt, lib. 7. tit. 67.*

*De his qui sibi adscribunt in testamento, lib. 9. tit. 23.*

*De his qui veniam aetatis impetrauerunt, libr. 2. tit. 44.*

I.

*De ijs quæ pænæ nomine in testamento vel codicillis relinquuntur, lib. 6. tit. 41.*

*De ijs quæ sub modo legata vel fideicõmissa relinquuntur, lib. 6. tit. 45.*

*De ijs quæ vi metusve causa gesta sunt, li. 2. tit. 19.*

*De ijs liberum, & alijs substitutionibus, li. 6. tit. 26.*

*De incertis personis, li. 6. tit. 48.*

*De incestis & inutilibus nuptijs, li. 5. tit. 5.*

*De indicta viduitate, & de lege Iulia miscella tollenda, lib. 6. tit. 40.*

*De infantibus expositis, liberis & seruis, & de ijs qui sanguinolentos, emptos vel nutriendos acciperunt, lib. 8. tit. 51.*

*De infirmandis pænis cælibatus, & orbitatis, & decimarum sublati, lib. 8. tit. 57.*

De

## INDEX TITVLORVM.

- De ingenuis manumissis*, lib. 7. tit. 14.  
*De ingratis liberis*, lib. 8. tit. 49.  
*In integrum restitutione postulata, ne quid noui fiat*, li. 2. tit. 49.  
*De in integrum restitutione minorum*, li. 2. tit. 21.  
*De iniurijs*, li. 9. tit. 35.  
*De in ius vocando*, lib. 2. tit. 2.  
*De in litem dando tutore vel curatore*, li. 5. tit. 44.  
*De in litem iurando*, lib. 5. tit. 53.  
*De inofficiosis donationibus*, li. 3. tit. 29.  
*De inofficiosis dotibus*, li. 3. tit. 30.  
*De inofficioso testamento*, lib. 3. tit. 28.  
*In quibus causis tutorem habenti tutor vel curator dari potest*, li. 5. tit. 36.  
*In quibus causis cessat longi temporis præscriptio*, lib. 7. titu. 34.  
*In quibus causis in integrum restitutio necessaria non est*, li. 2. tit. 40.  
*In quibus causis militantes fori præscriptione uti non possunt*, li. 3. tit. 25.  
*In quibus causis pignus tacitè contrahatur*, li. 8. tit. 14.  
*De institoria & exercitoria actione*, li. 4. tit. 2.  
*Inter alios acta vel iudicata alijs non nocere*, libr. 7. titu. 60.  
*De interdictis*, lib. 8. tit. 1.  
*De interdicto matrimonio inter pupillã & tutore seu curatore & liberosq; eorum*, li. 5. tit. 6.  
*De institutionibus, & substitutionibus, seu restitutionibus, sub conditione factis*, li. 6. tit. 25.  
*De inutilibus stipulationibus*, li. 8. tit. 39.

COD. PER LITERAS.

De Iudais & Cælicolis, lib. 1. tit. 6.

De iudicijs, lib. 3. tit. 1.

De iure aureorum annulorum, & de natalibus restitu-  
endis, lib. 6. tit. 8.

De iure deliberandi, & de adeunda vel adquirēda he-  
reditate, li. 6. tit. 30.

De iure dominij impetrando, lib. 6. tit. 33.

De iure dotium, li. 5. tit. 12.

De iure emphyteutico, lib. 4. tit. 66.

De iure iurando propter calumniam dando, li. 2. tit. 58.

De iure liberorum, li. 8. tit. 58.

De iurisdictione omnium iudicum, & de foro competē-  
ti, lib. 3. tit. 13.

De iuris & facti ignorantia, li. 1. tit. 18.

L.

De Latina libertate tollenda, & per certos modos in cō-  
uitatem Romanam transfusa, lib. 7. tit. 6.

De legatis, lib. 6. tit. 37.

De lege Aquilia, lib. 3. tit. 35.

De lege Fusia Caninia tollenda, li. 7. tit. 3.

De le~~gis~~ & constitutionibus principum & edictis, li.  
1. tit. 14.

De legitima tutela, lib. 5. tit. 30.

De legitimis heredibus, lib. 6. tit. 58.

De legitimis liberis, & ex filia nepotibus ab intestato ve-  
nientibus, lib. 6. tit. 54.

De liberali causa, lib. 7. tit. 16.

De liberis exhibendis, seu deducendis, & de libero ho-  
mine exhibendo, li. 8. tit. 8.

De liberis præteritis, vel exheredatis, li. 6. tit. 28.

## INDEX TITVLORVM

De libertis, & eorum liberis, lib. 6. tit. 7.

De litigiosis, li. 8. tit. 36.

De litis contestatione, li. 3. tit. 9.

De locato & conducto, li. 4. tit. 65.

De longi temporis praescriptione, quae pro libertate & nō  
aduersus libertatem opponitur, li. 7. tit. 22.

De luitione pignoris, lib. 8. tit. 30.

### M.

De magistratibus conueniendis, li. 5. tit. 75.

De magistratibus municipalibus, li. 1. tit. 56.

Mandati, vel contra, li. 4. tit. 35.

De mandatis principum, li. 1. tit. 15.

De maleficis, & mathematicis, & ceteris similibus, lib.  
9. tit. 18.

De modo multarum, quae à iudicibus infliguntur, lib. 1.  
tit. 54.

De monopolijs, & conuentu negociatorum illicito, vel  
artificum ergo laborumq̄, necnon balneatorum pro-  
hibitis illicitisq̄, pactioibus, lib. 4. tit. 59.

De mortis causa donationibus, li. 8. tit. 56.

De mulieribus, quae se seruis proprijs iunxerunt, lib. 9.  
tit. 11.

De mutatione nominis, li. 9. tit. 25.

### N.

De naturalibus liberis, & matribus eorum, & ex quibus  
causis iusti efficiantur, li. 5. tit. 27.

De nautico fœnore, li. 4. tit. 33.

De necessarijs heredibus instituendis vel substituendis,  
lib. 6. tit. 27.



COD. PER LITERAS.

*Ne Christianum mancipium hereticus, vel Iudæus, vel paganus, habeat vel possideat, vel circumcidat, libr. 1. tit. 10.*

*Ne de statu defunctorum post quinquennium quaeratur, libr. 7, tit. 21.*

*Ne fideiussores vel mandatores dotium dentur, libr. 5. tit. 20.*

*Ne filius pro patre, vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono, conueniatur, libr. 4. tit. 13.*

*Ne fiscus vel Respublica procuracionem alicui patrociniij causa in lite præstet, libr. 2. tit. 17.*

*De negotijs gestis, libr. 2. tit. 18.*

*Ne liceat in vna eademq<sup>3</sup> causa tertio prouocare, vel post duas sententias iudicum, quas definitio præfectorum prætorio roborauerit, eas retractare, libr. 7. tit. 70.*

*Ne liceat potentioribus patrociniuum litigantibus præstare, vel actiones in se transferre, libro 2. tit. 13.*

*Nemini licere signum Saluatoris Christi humi vel in silice vel marmore sculperre aut pingere, libr. 1. tit. 0.*

*Ne quis in sua causa iudicet, vel ius dicat, libr. 3. tit. 5.*

*Ne rei dominicæ vel templorum vindicatio temporis exceptione summoueat, libr. 7. tit. 38.*

*Ne pro dote mulieri bona mariti abdicantur, libr. 5. tit. 22.*

*Ne sanctum Baptisma iteretur, libr. 1. tit. 6.*

*Ne sine iussu Principis certis iudicibus liceat confiscare, libr. 9. tit. 48.*

## INDEX TITVLORVM

- Ne tutor vel curator vectigalia conducat*, li. 5. tit. 41.  
*Ne vxor pro marito, vel maritus pro vxore, vel mater  
 pro filio conueniatur*, li. 4. tit. 12.  
*De Nili aggeribus non rumpendis*, li. 9. tit. 38.  
*De non numerata pecunia*, li. 4. tit. 30.  
*De nouationibus & delegationibus*, li. 8. tit. 41.  
*De noxalibus actionibus*, li. 3. tit. 41.  
*De nudo iure Quiritum tollendo*, li. 7. tit. 25.  
*De nundinis & mercatibus*, li. 4. tit. 60.  
*De nuptijs*, lib. 4. tit. 4.

### O.

- De obligationibus & actionibus*, li. 4. tit. 10.  
*De obsequijs patronis prestandis*, li. 6. tit. 6.  
*De officio ciuiliū iudicum*, li. 1. tit. 44.  
*De officio Comit̄s Orientis*, li. 1. tit. 36.  
*De officio Comit̄s rerum priuatarum*, li. 1. tit. 33.  
*De officio Comit̄s sacri patrimonij*, li. 1. tit. 34.  
*De officio Comit̄s sacrarum largitionum*, li. 1. tit. 32.  
*De officio diuersorum iudicum*, li. 1. tit. 48.  
*De officio eius, qui vicem alicuius iudicis obtinet*, lib. 1.  
 tit. 50.  
*De officio Iuridici Alexandriae*, li. 1. tit. 57.  
*De officio Magistr̄i militum*, li. 1. tit. 29.  
*De officio Magistr̄i officiorum*, li. 1. tit. 31.  
*De officio militarium iudicum*, li. 1. tit. 45.  
*De officio Praefecti annonae*, li. 1. tit. 42.  
*De officio Praefecti Augustalis*, li. 1. tit. 37.  
*De officio Praefecti praetorio Africae, & omni eiusdē dia-  
 ceseos statu*, lib. 1. tit. 27.  
*De officio Praefectorum praetorio Orientis & Illyrici*,  
 lib. 1.

COD. PER LITERAS.

lib. 1. tit. 26.

De officio Praefecti vigilum, lib. 1. tit. 43.

De officio Praefecti vrbi, li. 1. tit. 28.

De officio Praetoris, li. 1. tit. 39.

De officio Proconsulis, & Legati, li. 1. tit. 35.

De officio Quaestoris, li. 1. tit. 30.

De officio Rectoris prouincia, li. 1. tit. 40.

De officio Tribuni, & Comitum rei militaris, libro 1.  
titul. 46.

De officio Vicarij, li. 1. tit. 38.

De operibus publicis, li. 8. tit. 11.

De operibus libertorum, li. 6. tit. 3.

De ordine cognitionum, li. 7. tit. 19.

De ordine iudiciorum, li. 3. tit. 8.

P.

De Pactis, lib. 2. tit. 3.

De pactis conuentis tam super dote, quàm super donatione ante nuptias, & paraphernis, li. 5. tit. 14.

De pactis inter emptorem & venditorem compositis.  
lib. 4. tit. 54.

De pignoris pignorum, & de lege commissoria in pignorbis rescindenda, li. 8. tit. 34.

De paganis, sacrificijs, & templis, li. 1. tit. 11.

De partu pignoris & omni causa, li. 8. tit. 24.

De patria potestate, li. 8. tit. 46.

De patribus, qui filios suos distraxerunt, libro 4. tit.  
tit. 43.

De peculio eius, qui libertatem meruit, li. 7. tit. 23.

De pedaneis iudicijs, li. 3. tit. 3.

De periculo & commodo rei venditae, li. 4. tit. 48.

## INDEX TITVLORVM

- De periculo tutorum & curatorum, lib. 5. tit. 38.*  
*Per quas personas nobis adquiratur, lib. 4. tit. 27.*  
*De petitione hereditatis, lib. 3. tit. 31.*  
*De pignoribus & hypothecis, lib. 8. tit. 13.*  
*De pignoratitia actione, lib. 4. tit. 34.*  
*De plus petitionibus, lib. 3. tit. 10.*  
*Plus valere quod agitur, quàm quod simulatè concipi-  
 tur, lib. 4. tit. 22.*  
*De pœna iudicis qui malè iudicauit, vel eius qui iudi-  
 cem vel aduersarium corrumpere curauit, libro 7.  
 tit. 49.*  
*De pœnis, lib. 9. tit. 47.*  
*De postumis heredibus instituendis, vel exheredandis,  
 lib. 6. tit. 29.*  
*De postliminio, & redemptis ab hostibus, lib. 8. tit. 50.*  
*De postulando, lib. 2. tit. 6.*  
*De probationibus, lib. 4. tit. 19.*  
*De prædijs & alijs rebus minorum sine decreto non ali-  
 enandis vel obligandis, lib. 5. tit. 71.*  
*De præscriptione longi temporis, lib. 7. tit. 33.*  
*De præscriptione triginta vel quadraginta annorum,  
 lib. 7. tit. 39.*  
*De prætorio pignore, & vt in actionibus etiam debi-  
 torum missio prætorij pignoris procedat, libr. 8. ti-  
 tul. 21.*  
*De præcario & Saluiano interdicto, lib. 8. tit. 9.*  
*De precibus Imperatori offerendis, & de quibus rebus  
 supplicare liceat, lib. 1. tit. 19.*  
*De priuatis carceribus inhibendis, lib. 9. tit. 5.*  
*De priuilegio dotis, lib. 7. tit. 74.*

De pri-

*De priuilegio fiscali, lib. 7. tit. 73.*

*De procuratoribus, lib. 2. tit. 12.*

*De prohibita sequestratione pecunie, lib. 4. tit. 4.*

*Pro quibus causis serui pro premio accipiunt libertatem, lib. 7. tit. 13.*

*Pro socio, lib. 4. tit. 37.*

*Q*

*De quadriennij prescriptione, lib. 7. tit. 37.*

*Quæ res exportari non debeant, lib. 4. tit. 41.*

*Quæ res pignori obligari possunt, vel non, & qualiter pignus contrahitur, lib. 8. tit. 16.*

*Quæ res venire non possunt, & quæ vendere vel emere vetantur, lib. 4. tit. 40.*

*Quæ sit longa consuetudo, lib. 8. tit. 52.*

*De questionibus, lib. 9. tit. 41.*

*Quando ciuili actio criminali præiudicet, & an vtraque ab eodem exerceri possit, lib. 9. tit. 31.*

*Quando decreto opus non sit, lib. 5. tit. 72.*

*Quando dies legati vel fideicommissi cedat, libr. 6. tit. 53.*

*Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conueniri possint, lib. 5. tit. 39.*

*Quando fiscus vel priuatus debitoris sui debitores exigere potest, lib. 4. tit. 15.*

*Quando Imperator inter pupillos, vel viduas, vel miserabiles personas cognoscat, & ne exhibeantur, libr. 3. tit. 14.*

*Quando liceat ab emptione discedere, lib. 4. tit. 45.*

*Quando liceat unicuique sine iudice vindicare se vel publicam deuotionem, lib. 3. tit. 27.*

INDEX TITVLORVM.

- Quando libellus Principi datus litis faciat contestationem, lib. 1. tit. 20.*
- Quando mulier tutela officio fungi possit, libro 5. tit. 35.*
- Quando non petentium partes petentibus ad crescunt, lib. 6. tit. 10.*
- Quando prouocare non est necesse, lib. 7. tit. 64.*
- Quando tutores vel curatores esse desinant, libr. 5. tit. 69.*
- Quemadmodum testamenta aperiantur, inspiciantur, describantur, lib. 6. tit. 32.*
- Qui accusare non possunt, lib. 9. tit. 1.*
- Qui etate, lib. 5. tit. 68.*
- Qui bonis cedere possunt, li. 7. tit. 71.*
- Quibus ad libertatem proclamare non licet, & de rebus eorum, qui ad libertatem proclamare non prohibentur, lib. 7. tit. 18.*
- Quibus ex causis maiores in integrum restituantur, libr. 2. tit. 53.*
- Quibus res iudicata non nocet, li. 6. tit. 56.*
- Qui legitimam personam in iudicijs habent, vel lib. 3. tit. 6.*
- Quibus non obijciatur longi temporis prescriptio, li. 7. tit. 35.*
- Qui dare tutores vel curatores, & qui dari non possunt, li. 5. tit. 34.*
- Qui, & aduersus quos in integrum restitui non possunt, lib. 2. tit. 41.*
- Qui manumittere non possunt, & ne in fraudem creditorum manumittantur, li. 7. tit. 11.*

*Qui*

COD. PER LITERAS.

- Qui morbo, lib. 5. tit. 67,*  
*Qui non possunt ad libertatem peruenire, libr. 7. tit. 12.*  
*Qui numero liberorum se excusat, lib. 5. tit. 66.*  
*Qui numero tutelarum, lib. 5. tit. 69.*  
*Qui petant tutores vel curatores, lib. 5. tit. 31.*  
*Qui potiores in dignore habeantur, lib. 8. tit. 17.*  
*Qui pro sua iurisdictione iudices dare, darive possunt, lib. 3. tit. 4.*  
*Qui testamenta facere possunt, vel non, libro 6. tit. 22.*  
*Qui cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur, vel de peculio, siue quod iussu, aut de in rem verso, lib. 4. tit. 26.*  
*Quorum appellationes non recipiuntur, libro 7. tit. 65.*  
*Quorum bonorum, lib. 8. tit. 2.*  
*Quorum legatorum, lib. 8. tit. 3.*  
*Quomodo & quando iudex sententiam proferre debeat presentibus partibus, vel vna absente, libr. 7. 43.*

R.

- De raptu virginum, vel viduarum, vel sanctimonialium, lib. 9. tit. 13.*  
*De ratiocinjs operum publicorum, & de Patribus ciuitatum, lib. 8. tit. 12.*  
*De rebus alienis non alienandis, & de prohibita rerum alienatione, vel hypotheca, li. 4. tit. 51.*  
*De rebus creditis, & de iure iurando, li. 4. tit. 1*  
*De receptis arbitris, li. 2. tit. 55.*

## INDEX TITVLORVM

- De re iudicata*, lib. 7. tit. 52.  
*De rei vindicatione*, lib. 3. tit. 32.  
*De rei vxoria in ex stipulatu actionem transfusa, & de natura dotibus præstita*, lib. 5. tit. 13.  
*De relationibus*, lib. 7. tit. 61.  
*De religiosis, & sumptibus funerum*, lib. 3. tit. 44.  
*Rem alienam gerentibus non interdici rerum suarum alienatione*, lib. 4. tit. 83.  
*De remissione pignoris*, lib. 8. tit. 25.  
*De repudianda bonorum possessione*, lib. 6. tit. 19.  
*De repudianda vel abstinenda hereditate*, libr. 6. tit. 31.  
*De repudijs, & iudicio de moribus sublato*, libr. 5. tit. 17.  
*De reputationibus, quæ sunt in iudicio in integrum restitutionis*, lib. 2. tit. 47.  
*De requirendis reis*, lib. 9. tit. 40.  
*Rerum amotarum*. lib. 5. tit. 21.  
*De rerum permutatione, & præscriptis verbis actione*, lib. 4. tit. 64.  
*De rescindenda venditione*, lib. 4. tit. 44.  
*De restitutionibus militum, & eorum qui Reip. causæ absunt*, lib. 2. tit. 50.  
*De reuocandis donationibus*, lib. 8. tit. 55.  
*De reuocandis ijs qui in fraudem alienata sunt*, libr. 7. tit. 75.

S.

- De Sacrosanctis Ecclesijs, & de rebus & priuilegijs earum*, lib. 1. tit. 2.  
*De satisfdando*, lib. 2. tit. 56.

De se-



COD. PER LITERAS.

- De secundis nuptijs, lib. 5. tit. 9.*  
*De seditiosis, & de his qui audent plebem contra quietem publicam colligere, lib. 9. tit. 30.*  
*De S. C. Claudiano tollendo, lib. 7. tit. 24.*  
*De S. C. Trebelliano, lib. 6. tit. 48.*  
*De Senatusconsultis, lib. 1. tit. 16.*  
*De sententia quæ sine certa quantitate prolatæ est, lib. 7. tit. 46.*  
*De sententiam passis & restitutis, lib. 9. tit. 51.*  
*Sententiam rescindi non posse, lib. 7. tit. 50.*  
*De sententijs & interlocutionibus omnium iudicũ, lib. 7. tit. 45.*  
*De sententijs ex periculo recitandis, lib. 7. tit. 44.*  
*De sententijs Præfecti prætorio, lib. 7. tit. 42.*  
*De sententijs quæ pro eo quod interest proferuntur, lib. 7. tit. 47.*  
*De sepulchro violato, lib. 9. tit. 19.*  
*De seruis fugitiuis, & libertis, mancipijsque ciuitatum artificibus, & ad diuersa opera deputatis, & ad rem priuatam vel dominicam pertinentibus, lib. 6. tit. 1.*  
*De seruis Reipub. manumittendis, lib. 7. tit. 9.*  
*De seruitutibus & de aqua, lib. 3. tit. 34.*  
*De seruo pignori dato manumisso, lib. 7. tit. 8.*  
*Si aduersus creditorem, lib. 2. tit. 37.*  
*Si aduersus creditorem, lib. 7. tit. 36.*  
*Si aduersus delictum suum, lib. 2. tit. 34.*  
*Si aduersus donationem, lib. 2. tit. 29.*  
*Si aduersus fiscum, lib. 2. tit. 36.*  
*Si aduersus libertatem, lib. 2. tit. 30.*

*Si ad-*

## INDEX TITVLORVM

- Si aduersus dotem, lib. 2. tit. 33.*
- Si aduersus rem iudicatam, lib. 2. tit. 26.*
- Si aduersus solutionem à debitore, vel à se factam, libr. 2. tit. 32.*
- Si aduersus transactionem vel diuisionem minor restitui velit, lib. 2. tit. 31.!*
- Si aduersus venditionem, lib. 2. tit. 27.*
- Si aduersus venditionem pignorum, lib. 2. tit. 28.*
- Si aduersus vsucapionem, lib. 2. tit. 35.*
- Si aliena res pignori data sit, lib. 8. tit. 15.*
- Si à non competenti iudice iudicatum esse dicatur, lib. 7. tit. 48.*
- Si antiquior creditor pignus vendiderit, libr. 8. tit. 19.*
- Si certum petatur, lib. 4. tit. 2.*
- Si communis res pignori data sit, lib. 8. tit. 20.*
- Si contra matris voluntatem tutor datus sit, libr. 5. tit. 47.*
- Si contra ius vel vtilitatem publicam, vel per metum fuerit aliquid postulatum vel impetratum, 1. tit. 22.*
- Si dos constante matrimonio soluta fuerit, libr. 5. tit. 19.*
- Si de momentaria possessione fuerit appellatum, libr. 7. tit. 69.*
- Si ex falsis instrumētis vel testimonijs iudicatum erit, lib. 7. tit. 58.*
- Si ex pluribus tutoribus vel curatoribus omnes vel unus agere pro minore vel conueniri possunt, lib. 5. tit. 40.*

COD. PER LITERAS.

*Si falsis allegationibus excusatus sit, lib. 5. tit. 63.*

*Si in causa iudicati pignus captum sit, libr. 8. titul.  
22.*

*Si in cōmuni eademq<sup>3</sup> causa in integrum restitutio postuletur, lib. 2. tit. 25.*

*Si in fraudem patroni à libertis alienatio facta est, li. 6. tit. 5.*

*Si maior factus ratum habuerit, lib. 2. tit. 45.*

*Si maior factus alienationem factam sine decreto ratã habuerit, lib. 5. tit. 74.*

*Si mancipium fuerit alienatum, vt manumittatur, vel contra, lib. 4. tit. 57.*

*Si mancipium ita vanierit, ne prostituatur, libr. 4. titul. 56.*

*Si mater indemnitatem promiserit, lib. 5. tit. 46.*

*Si minor se maiorem dixerit vel probatus fuerit, libr. 2. tit. 42.*

*Sine censu vel reliquis fundum comparari non posse, lib. 4. tit. 47.*

*Si nuptiæ ex rescripto petantur, lib. 5. tit. 8.*

*Si amissa sit causa testamenti, lib. 6. tit. 39.*

*Si pendente appellatōne mors interuenerit, lib. 7. titu.  
66.*

*Si per vim vel alio modo absenti possessio perturbata sit, lib. 8. tit. 5.*

*Si plures vna sententia condemnati sint, libr. 7. titul.  
55.*

*Si pignoris conuentionem numeratio secuta non sit, lib. 8. tit. 32.*

*Si pignus pignori datum sit, lib. 8. tit. 23.*

## INDEX TITVLORVM

- Si propter publicas pensitationes venditio fuerit celebrata, lib. 4. tit. 46.*
- Si quacunq; præditus potestate, vel ad eum pertinentes, ad suppositarum iurisdictioni suæ aspirare tentauerint nuptias, lib. 5. tit. 7.*
- Si quis aliquem testari prohibuerit, vel coegerit, libr. 6. tit. 34.*
- Si quis alteri vel sibi sub alterius nomine vel aliena pecunia emerit, lib. 4. tit. 50.*
- Si quis eam cuius tutor fuerit, corruperit, libr. 9. tit. 10.*
- Si quis ignorans rem minoris esse, sine decreto comparauerit, lib. 5. tit. 73.*
- Si quis Imperatori maledixerit, lib. 9. tit. 7.*
- Si rector prouinciæ vel ad eum pertinentes sp̄salitia derint, lib. 5. tit. 2.*
- Si reus vel accusator mortuus fuerit, lib. 9. tit. 6.*
- Si sæpius in integrum restitutio postuletur, libr. 2. tit. 43.*
- Si secundo nupserit mulier, cui maritus vsumfructum reliquerit, lib. 5. tit. 10.*
- Si seruus exportandus ueneat, lib. 4. tit. 55.*
- Si seruus extero se emi mandauerit, lib. 4. tit. 36.*
- Si tutor non gesserit, lib. 5. tit. 55.*
- Si tutor vel curator Reipublicæ causa aberit, libr. 5. tit. 64.*
- Si tutor vel curator interuenerit, lib. 2. tit. 24.*
- Si vendito pignore agatur, lib. 8. tit. 29.*
- Si vnus ex pluribus appellauerit, lib. 7. tit. 68.*
- Si vnus ex pluribus heredibus creditoris vel debitoris*

PER LITERAS.

*toris partem suam debiti soluerit, vel acceperit. li. 8. tit. 31.*

*Si ut se hereditate abstineat. li. 2. tit. 28.*

*Si ut omiffam hereditatem, vel bonorum possessionem, vel quid aliud adquirat. lib. 2. tit. 39.*

*De solutionibus & liberationibus. li. 8. tit. 42.*

*Soluto matrimonii quemadmodum dos petatur. lib. 5. tit. 18.*

*De sponsalibus, & arris sponsalitijs, & proxeneticis. li. 5. tit. 1.*

*De sportulis & sumptibus in diuersis iudicijs faciendis, & de executoribus litium. li. 3. tit. 2.*

*De statuis & imaginibus. li. 1. tit. 24.*

*De successorio edicto. lib. 6. tit. 16.*

*De suffragio. lib. 4. tit. 3.*

*De suis & legitimis liberis & ex filia nepotibus ab intestato venientibus. li. 6. tit. 55.*

*De summa Trinitate, & fide catholica, & ut nemo de ea publicè contendere audeat. lib. 1. tit. 1.*

*De suspectis tutoribus vel curatoribus. li. 5. tit. 43.*

T.

*De libellis exhibendis. li. 8. tit. 7.*

*De temporibus & reparationibus appellationum seu cōsultationum. li. 7. tit. 63.*

*De temporibus in integrum restitutionis tam minorum & aliarum personarum quæ restitui possunt, quam heredum eorum. li. 2. tit. 52.*

*De testamentaria manumissione. lib. 7. tit. 2.*

*De testamentaria tutela. li. 5. tit. 28.*

*De testamentis, & quemadmodum testamentaria ordi-*

# INDEX TITVLORVM

- nantur. li. 6. tit. 23.*  
*De testamento militis. li. 6. tit. 21.*  
*De testibus. li. 4. tit. 20.*  
*De transactionibus. li. 2. tit. 4.*  
*De tutore vel curatore, qui satis non dedit. lib. 5.*  
*tit. 2.*  
*De tutoribus & curatoribus illustrium vel clarissimarum personarum. li. 5. tit. 33.*  
V.  
*Vbi, & apud quem cognitio in integrum restitutionis agitata sit. li. 2. tit. 46.*  
*Vbi cause fiscales, vel diuina domus hominumq; eius agantur. li. 3. tit. 26.*  
*Vbi causa status agi debeat. li. 3. tit. 22.*  
*Vbi conueniatur, qui certo loco dari promisit. lib. 3.*  
*tit. 18.*  
*Vbi de criminibus agi oportet. li. 3. tit. 15.*  
*Vbi de hereditate agitur, & vbi heredes scripti in possessionem mitti postulare debeant. li. 3. tit. 20.*  
*Vbi de possessione agi oportet. li. 3. tit. 16.*  
*Vbi de ratiocinijs tam publicis, quam priuatis, agi oportet. li. 3. tit. 21.*  
*Vbi fideicommissum peti oportet. li. 3. tit. 17.*  
*Vbi in rem actio exerceri debeat. li. 3. tit. 19.*  
*Vbi petantur tutores vel curatores. li. 5. tit. 32.*  
*Vbi pupilli educari debeant. li. 5. tit. 49.*  
*Vbi quis curiali vel cohortali, aliave condicione conueniatur. li. 3. tit. 23.*  
*Vbi senatores, vel clarissimi ciuilitate vel criminaliter conueniantur. li. 3. tit. 24.*



INDEX TITVL. PER LITER.

- Vt in possessionem legatorum vel fideicommissorū seruandorum causa mittatur, & quando satisfdari debeat. li. 6. tit. 54.*
- Vt intra certum tempus criminalis questio terminetur. li. 9. tit. 44.*
- Vt lite pendente, vel post prouocationem, aut definitiuam sententiam nulli liceat Imperatori supplicare. lib. 1. tit. 21.*
- Vt i possidetis. lib. 8. tit. 6.*
- Vt nemo inuitus agere vel accusare cogatur. li. 3. tit. 7.*
- Vt nemo priuatus titulos prædijs suis vel alienis imponat, vel vela regalia suspendat. li. 2. tit. 15.*
- Vt nemini liceat sine iudicis auctoritate signa imponere rebus quas alius tenet. li. 2. tit. 16.*
- Vt nulli patriæ suæ administratio sine speciali permissu principis permittatur. li. 1. tit. 41.*
- Vt omnes iudices tam ciuiles quàm militares post administrationem depositam quinquaginta dies in ciuitatibus vel certis locis permaneant. li. 1. tit. 49.*
- Vt quæ desunt aduocatis partium, iudex suppleat. lib. 2. tit. 10.*
- De vxoribus militum, & eorum qui reipublicæ causa absunt. li. 2. tit. 51.*

P A R A.




1

# PARATITLA IN LI- BROS IX. CODICIS IV.

STINIANI REPETITÆ  
*pralectionis.*

OPVS IACOBI CVIACII.

 Odicis nomine propriè significantur chartæ quibus quod inaratur facile deleri potest vt reponatur aliud : non chartæ simplices, quæ a papyro nomen retinent, licet, non ex papyro fiant, sed ex panniculis, quibus semel tantum fungi possumus. Qua de causa commodatum quidem consistit in codicibus & pugillaribus, l. in Commodato. l. 17. §. sicut. 3. D. Commodat. quæ negantur esse in supellectili, l. 6. D. de supell. leg. sed non in eo chartæ genere, cuius abusus est, non vsus. Et parsimonix species est in Codice scribere, nam & eius scriptura quoque breuior, vt Cassiodorus Fortunatianum artigraphum se profiteatur in pugillarem Codicem, in gratiam eorum qui breuitatem amant redegisse. Chartæ igitur vt & membranæ nomen ambiguum est. Nam vel chartæ aut membranæ simplices in eo significantur, vel pugillares chartæ aut membranei quam multiplicem pellem Martialis. At in disticho inscripto Homero in pugillaribus membranis. & ita l. chartæ. de bonor. poss. sec. tab. noua charta est pugillar purum in quo nondum quidquam scriptum est, deletitia vetus, quod scripturam variã recipit frequenti deletionem, & vt legitur in veteribus glossis, deletitia, *καλίμνητρον*. In his stilus scribit, vt Hieronymus ait ad Principiam virginem, in illis calamus. Est verò maiestas & diuturnitas maior scripto si quid exares in his, hoc est in Codicibus, quàm si in chartis aut membranis simplicibus, sicut membranis quoque maior quàm chartis, adeò vt pleraque hodie non valeant nisi membranis scripta, veluti codicilli dignitatum

& S.C. Verum vt populi leges, ita generales constitutiones Imperatorum, ne dicam rescripta, l. pen. inf. de diu. res. moris erat pugillaribus scribi cuiuscunq̄ue materiæ, chartaceis, ligneis, æneis veleburneis, atque ita seruari singulas vel vniuersas in vnum corpus collectas in scrinijs memoria & dispositionum, vt Imp. l. omnium, de testam. scribunt, ius in suis scrinijs esse constitutum, & ad Traianum Plinius, edicta Imperatorum vera & emendata in scrinijs esse Traiani, & Theodosius in confirmatione sui Codicis, eum Codicem haberi in sacris scrinijs Zonaras de xii. tabu. *ἡ δὲ αὐτῶν ἐκ τῶν ἐπιδικασμῶν ἔστι, ἐν τῶν ἰδίοις ἐπιστολῶν.* Responsa autem sua vel interpretationes & commentaria solebant prudentes chartis aut membranarum perscribere, quorum etiam quidam libris suis membranarum titulum adhibuit. Et hac ratione factum opinor vt liber potius Constitutionum Codicis nomen obtineret Corpus autem collectum ex libris Iuriconsultorum veterum & si potuerit improprie Codex appellari, & verò ita appelletur l. 1. & 2. de vet. iur. enucl. maluit tamen Iustinianus Digestorum seu Pandectarum insignire nomine, quo etiam plerique iuris auctores suos nuncupauere libros. Et obtinuit quidem illud Codicis nomen primum liber quo continebantur constitutiones Imperatorum ab Adriano ad Valerianum & Gallienum, dictusque est Codex Gregorianus, à nomine iuris studiosi, qui huic collectioni dedit operam. b. sequutus est Codex Hermogenianus, ab Hermogeniano similiter eius editionis auctore, quo continebantur Claudij, Aureliani, Probi, Cari, Carini & innumeræ Diocletiani & Maximiani constitutiones, vt perperam Codici Gregoriano adscribantur quædam Diocletiani & Maximiniani, cum fuerint omnes in Codice Hermogeniano. Exijt postea tertius Codex iam non à Iuriconsulto vlllo sed ab Imperatore ipso Theodosio, cuius auctoritate conditus est, denominatus Codex Theodosianus, qui constitutiones complectitur à diuo Constantino Imperatorum omnium vsq; ad ipsum Theodosium. Et ex Gregoriano

## CODICIS IVSTINIANI.


nihil sumpsit Hermogenianus , ita nec ex hoc , vel illo Theodosianus , quidquã . sed omiffas in Gregoriano fequentium Imperatorum Constitutiones Hermogenianus habet vsque ad Constantinũ , omiffas in Hermogeniano Theodosianus . Longe alia ratio fuit Iustiniano cõponendi Codicis huius , quem de suo quidem nomine appellari voluit Iustinianũ , vt suum Theodosius Theodosianũ , sed non eas tantũ Constitutiones in ordinem et compendium digeffit quas post Theodosianũ fequẽtes Imperatores ediderant , sed etiam ex tribus fuperioribus Codicibus Gregoriano , Hermogeniano , Theodosiano , & ex Nouellis etiã post Theodosianum Codicem , vel ab ipfo Theodosio vel ab in fequẽtibus Imperatoribus editis , omnes quæ ad vsum fui temporis facere videbantur . Rurfus cum fimiles effent contrariæque inuicem Constitutiones permiffim relatæ in illos tres Codices , Iustinianus quantum potuit è suo accurauit tolli contraria , fimilia , fuperuacua , inutilia omnia . Et hunc quidẽ suum Codicem edidit bis . Prior editio abolita eft , quæ exierat ante Digeffta & Institutiones , de qua funt constitutiones huic Codici prælatæ de Nou. Cod. fac. & de Iust. Cod. cõf. Posterior , de qua eft cõstitutio illis fubdita , de emed. Cod. Iustin. diuifa in XII. libros quafi XII. tabu. vt Harmenopoius ait ; ea eft qua vrimur & cuius titulos fufcepi-  
mus explicãdos , post editionẽ Digefftorum & Institutionum confirmata atq; confecta . Et hac quidẽ posteriori editione multas quæ erant in priori limauit , detraxit , mutauit , multas addidit & fuas & alienas constitutiones . Suas , in quã , & decisiones iuris controuerfi , numero quinquaginta , & alias complures cõstitutiones nouas . Denique hoc genere priorem suum Codicẽ emendauit & expurgauit atque ob eam rem hunc Iustinianum Codicẽ repetitæ prælectionis appellauit eleganter fcribẽs ; quod repetita prælectio probauit fatis effe validum fatisque formofum , quod & maximẽ notandum eft , fecundas editiones à veteribus ait repetitas prælectiones appellatas fuiffe , & Vlpianum retractatis libris fuis ad Sa-

binum satis innuit secundæ editioni hūc titulum adscripsisse. Prælectiones scilicet vocabant lectiones quibus præceptores discipulis præeunt, præmonstrantque vias discendi ac intelligendi aut voce viua, aut ex scripto. Nā & quæ ex scripto veniunt quasi è voce magistra manare videntur, vt Iustin. in constitu. de confir. Inst. & in alia de concep. Digest. Iuuentuti ait legum eruditionem à voce sua, ab ore suo procedere. Porro quod Alciatus & alij qdam adfirmarunt decisiones tantum quinquaginta emendare ius vetus relatum in Digestis, & dignosci eas ex Coss. Lampadio scilicet, & Oreste, vel post eorum cōsulatum semel & iterum, vel Iustiniano III. vel Iustiniano IIII. & Paulino, id equidem negare malim & adfirmare contra constitutionibus plerisque cum emendasse ius vetus quod erat certum, decisionibus certum fecisse quod erat controuersum. Nam hæc vna ad constitutionem Iustiniani de emend. C. Iustin. constitui differentia potest inter decisiones & cōstitutiones. Et quod ad Coss. attinet, ea nota communis est constitutionibus & decisionibus, non decisionum propria. Sed & Decio Consule, quo anno exierat prior Codex Mense Aprili, possit esse aliqua vel decisio vel constitutio. Quod vero Mattheus Monachus quidam scripsit etiam Digestorum corpus bis editum fuisse: primum breuius, deinde auctius redditum paratitlis, & paratitla esse ἀναπληρώσεις. vt loquitur, siue repletiones eorum quæ cuique titulo Digesti in deerant in priori editiōe & scholia, ipsa fides veri refellit satis, quæ fidem facit vnā tantum Digestorum editio nem fuisse, & paratitla Iustin. l. 1. & 2. de vet. iur. enuc. nihil aliud esse ostendit quàm breues & subtiles titulorum interpretationes & quasi monitoria siue clauis eorum quæ singulis titulis continentur. Et titulus ipse clauis est scripturæ, vt Hieronymus dixit in præfatione Psal-  
 norum, & vt Iustiniani barbarismo vtar,  
 paratitulus igitur.

3

# CODICIS IVSTINIANI LIBER I.

**TIT. I.** *De summa Trinitate & fide Catholica,  
& vt nemo publicè de ea contendere audeat.*

 **V**S sacrum , siue de religione Christiana quod Theodosius contulerat in vltimum sui Codicis librum, Iustinianus in hoc suo Codice honoris causa, vel vt loquuntur, *ὁτιμω*, maluit ponere primo, & exordiri statim à præcipua eius parte, de sancta Trinitate & fide Catholica, deque ea ita definire: Vnum esse Deum in tribus personis, patre, filio, spiritu sancto per omnia æqualibus diuinitate, æternitate, maiestate, virtute, claritate, gloria, substantia, Christum esse singularem & vnigenam filium Dei, summæ Trinitatis personam vnã, Deum de Deo, lumen de lumine, vt ait l. 2. huius tituli. & in humanatum vtero virginis Mariæ, Deum & hominem, Deum patri *ὁμοῦσιον*, id est substantia parem, & similiter hominem *ὁμοῦσιον* per omnia nobis, certissimam salutem redemptionemque humani generis, ac proinde sacratissimam virginem Mariam, non Christi quasi hominis tantum, sed etiam Dei matrem nominari verè, & hanc esse fidem Catholicam, quam & ipse latius profitetur & laudat, l. 5. 6. 7. 8. populo in testimonium aduocato, & vtriusque Romæ Archiepiscopis. Sunt & alia fidei Catholicæ capita. Sed cum in alijs congruerent illo tempore Christiani satis, in his mirum in modum inter se discrepabant. Et qui à Catholicis siue Orthodoxis seorsum sentiebant, Arriani siue Porphyriani sunt, & Nestoriani siue Simoniani & Eutychiani, siue Apollinariani, vt l. 6. & 8. infra de hæret. Christiani hæretici, aut ne Christiani quidem, maximè Arriani & Nestoriani, l. dam-

rato. eod. De spiritu sancto quod Impp. aiunt in l. 2. eum se ex summo rerum parente & sperare & accipere. Accursius malè notauit. Nam & veteres omnes ita loquuti sunt, licet non negarent eum prodire etiam ex filio, nec ea de re ullum erat illorum Imperatorum ætate in Ecclesia discrimen.

II. *De sacrosanctis Ecclesijs, & de rebus & priuilegijs earum.*

**E**cclesia vocat ædes Deo consecratas, siue Dominica in quæ conueniunt Christiani, mysteriorum, vel, vt loquitur l. 5. cœlestium secretorum, orationum, concionum gratia, Pythagoræ *δμολογῶν* & collegia clericorum, vel, vt Hieronymus & Ioannes Romanus Episcopus loquuntur, sacerdotum senatus qui in eis sunt: & ab Ecclesijs martyria separat l. 13. 16. 17. quasi Ecclesiæ scilicet cultui dedicatæ sint Dei omnipotentis. martyria honori, memoriæ & sedi martyrum & confessorum, l. vlt. C. Th. de sep. viol. q̄ & memoriæ D. Augustino. Et de Ecclesiarum & martyriorum bonis hoc titulo potissimum agitur, & de salarijs siue annonis quæ debentur Ecclesijs, etiam annua quæ eis relicta sunt vt integra & perpetua conferrentur. Et de Ecclesiarum officijs quibusdam, veluti Decanis seu collegiatis ad obsequia Ecclesiæ Constantinopoleos, maxime ad iusta funebria, Cedrinus *ἐκκλησιαστικῶν* interpretatur, deputatis & œconomis, id est adm. & tractatoribus rerum Ecclesiæ & dispensatoribus pauperum, & Arcarijs quibus œconomum rationem reddunt, & reliqua quæ in arcam communem conferant, & de Chartularijs qui Ecclesiæ rationes actusque conficiunt. Adduntur etiam priuilegia Ecclesiarum, personarum, & rerum Ecclesiasticarum generalia, vt immunes sint à fordidis, extraordinarijs vel superindictijs muneribus, & nominatim Decani à muneribus argentariorum vel nummulariorum quæ in ciuitatibus etiam inuitis nonnunquam iniunguntur, l. 9. & à lucratiuorum descriptione si curialibus fortè ex causa lucratiua successerint, vt donatio-

nes in eas collatæ valeant etiam factæ *μονομυρῶς* & sine insinuatione, seu intimatione, id est sine confectioe actorum si modo non excedant D. aureos, vt ecclesiastica actiones non tollantur nisi præscriptione C. annorum, quæ duo postrema priuilegia etiam ciuitatibus dantur, & illud de D. aureis abiit in ius commune. Ad verò quod est de C. annis mutatum est in XL. Et hæc quidem sunt generalia priuilegia. Sunt & specialia quædam in hoc titulo, veluti Ecclesiæ Theſſalonicae, l. 8. vt releuetur onere propriæ capitationis, non etiam agrorum censu. Et Constantinopolitanæ, l. 14. 17. vt prædia eius, coloni, serui, rustici annonæ, vasa sacra, siue anathemata nullo modo alienentur aut pignerentur, ac ne dentur quidē iure *προσηλικῶ* quod vulgo dicitur libellaria, sed & locari vel in emphyteusim aut precariam dari vt non possint nisi certa lege, modoque, quod & hodie datum est omnibus Ecclesijs, abrogata etiam Constitutione Anastasij sub hoc titulo quæ aliarum ecclesiarum res alienari & pignerari permittebat adhibito decreto & actorum monumentis confectis apud magistrum census, vel magistratus aut defensores ciuitatum. Item vt eadem sit prærogatiua in Episcoporum creatione, Archiepiscopi Constantinopolitani quæ Romani, & in adsidendo vel procedendo vt is vni tantum cedat Romano, vt l. 6. hoc titu. & l. ult. tit. 1. & Nou. 131. quod priuilegium Patriarchicum dicitur, l. 16. & separatur à priuilegio Metropolitanano rectè. Inferiores enim sunt Metropolitanis Patriarchis, siue Episcopis, & superiores Episcopis.

III. De Episcopis & clericis, & Orphanotrophijs, & Brephotrophijs, & Ptochijs, & Xenodochijs, & Aſceterijs, & monachis, & de priuilegijs eorum, & castrensi peculio, & de redimendis captiuis, & de nuptijs clericorum vetitis seu permissis.

**S**ANè magis probarim, *de episcopis, & clericis, & orphanotrophis, & brephotrophis & ptochotrophis, & xenodochis, & ascetrijs.* Nam de orphanotrophis, & alijs omnib<sup>9</sup> venerabilibus locis simulac de Ecclesijs & martyrijs dictum est titul. superiore. l. 15. 17. 19. 21. 22. 23 & de personis hic titulus est, ille de locis religioni & pietati dedicatis, quæ tamen duæ tractationes ita sunt adfines & coniunctæ, vt vix possit de personis tractare qui non tractet etiam de locis, & contrà. De personis igitur potissimum hic titulus est, episcopis scilicet & clericis, & orphanotrophis, &c. Episcopi, sunt antistites qui clero & populo præsunt, veluti pastores, patres, & vicarij Christi, vel vt in l. 6. tit. sequ. qui populum Christianæ religionis doctrinæ insinuatione moderantur, Optato Mileuitano apices & principes omnium, vetustioribus Primicerij presbyterorum, siue nomen habeant Episcopi, siue Archiepiscopi, siue Metropolitan. Clerici sunt, vt inuenio in hoc tit. ministri diuini muneris. Catholicæ Ecclesiæ, Christianæ legis, Orthodoxæ fidei qui diuino cultui ministeria religionis impendunt. l. 2. C. Th. cod. tit. Presbyteri scilicet qui superiorem inter clericos locū obtinent, l. 8. Nam & Apostolorum vice sunt, vt legimus ἐν διατάγῃς eorundem, eisq̄ue non minus quam Episcopis incumbit cura annunciandi verbi Dei, *σὺ μὲν βοῶλοι τῶ ἐπισκοποῦντες τῆ ἐκκλησίας σέφαιρος.* & D. Paulo. *κοζήνους πρεσβυτέρους ὡς ἀδιδασκαλία,* Episcopis proximī, l. 5. C. Th. de hæret. Et qui hos sequuntur Diaconi vtriusque sexus & Hypodiaconi, ministri sacræ mensæ & totius ornatus Ecclesiastici, vt est in l. vltim. titul. sequen. lectores, cantores, exorcistæ, ostiarij. Sacerdotum nomen solet propriè tribui Episcopis, sed communicatur etiam clericis, vt Græcè *ιερίων,* l. 16. 19. 44. hoc titul. l. 8. infrà de hæret. Imò Christianis omnibus. Eucherius, sacerdos, inquit, ab eo nomen accipit, quod sacrum præbere ducatum minoribus debeat, quo nomine utique censentur omnes qui altitudine rectæ conuersationis ac doctrinæ saluta



salutatis eminent, nec sibimetipsis tantum modò, sed pluribus profunt. Omnes sumus membra summi sacerdotis domini nostri Iesu Christi. Tertullianus, Christus sacerdotes nos Deo & patri fecit, quod idem & de clericorum nomine scribunt. Orphanotrophi ita definiuntur l. 31. qui parentibus atque substantiis destitutos minores sustentant & educant velut affectione paterna, aut quasi tutores pupillorum & curatores adolescentium: ac similiter brephotrophi dicuntur alumni infantium, & ptochotrophi pauperum & mendicorum. Xenodochi autem qui aduenas egrotos, inopes, debiles, inuvalidos necessarium victum sibi parare nequeunt hospitio excipiunt, l. 45. 48. Ascetæ vel ascetriæ sunt deuotæ virgines, aut qui ita vitam instituerunt, vt toti sacris sint dediti meditationibus. quod institutum philosophiam vocat Maiorianus in Nou. de sanctimon. & vid. Gregorius Nazianzenus sæpè, & in Hermiæ historia duobus aut tribus locis vulgò corruptè *μοναχική πολι- πία*, pro *μοναχική φιλοσοφία*, qui separantur à monachis, vt asceterium à monasterio, l. 53. monachis, inquam, id est qui quæve latebras captant & vastas solitudines, l. quidam, in sùà de decur. quorum præfecti Archimandritæ dicuntur, quasi latebrarum præfules. Ac præter eas personas quæ in hac rubrica enumerantur, fit sub ea mentio etiam *νοσοκόμων* & *γεροντοκόμων*: quibus curæ sunt Metudinarij & senes, & parabolanorum medicorum qui fuere in Alexanoria, & eius qui dicitur, *ὁ ἐπι τῶν ψυχῶν* quasi generalis medicorum curator, diuersus à ptochotrophi, & œconomorum, de quibus etiam multa titul. superiore, & defensorum Ecclesiæ, & *ἀρχόντων* siue *Ἐπίσκοποι*, qui sunt Choriepiscopi, vt Zonaras ait, *χωρὲς ἐπίσκοποι οἱ καὶ λέγουσιν οἱ ἑσχαρχοι*, iuris aut suburbij episcopi sub dispositione episcopi aut metropolitani iidem qui & archidiaconi, vel archipresbyteri ferè, vt Leo ait, & vt est in synodo Neocæsarijana *ὡς συλλειτουργοὶ εἰς τὴν πόλιν ὁ*, Sigebertus archidia-

coni qui dicuntur choriepiscopi: qualem in antiquis monumentis appellatum fuisse Lugdunensi supercilio & monti sacro, vt loquuntur, diuorum Irenæi & Iusti prefectum legi, qui hodie Abbas appellatur. Fit & mentio eorum qui περιουλυται dicuntur, ἐκ τῶ περιέρχεται, ἢ καταρτίξει; πύε πισούε, vt Zonaras ait, visitatores, c. non debere. 80. dist. qui & in locum episcoporum ad tempus remotorum substitui solent. Ioannes in Epistola ad episcopos Gallia de Contumelioso episcopo. Ne eius Ecclesia destituta videatur, in eius locum visitatorem dari decernimus qui à se noverit omnia exhibenda vt nihil de ordinibus clericorum, nihil de ecclesiastica facultate præsumat, sed ea quæ ad sacrosancta mysteria pertinent, exequatur. Et ad clerum Ecclesiæ qua fuit Contumeliosus episcopus. In eius Ecclesiæ visitatorem dari nostra decreuit auctoritas, vt Ecclesia priuata præfule summi nequeat Pontificis solatijs indigere, cui vos in omnibus parere decernimus ad ea tantummodò quæ sacris sunt gerenda mysterijs. Fit quoque mentio aliorum qui paramonarij dicuntur, è genere eorum qui res Ecclesiasticas administrant, id est villici siue actores possessionum, quamuis aliàs sic videantur appellati satellites, ad seculæ, buccellarij, certè Nicetæ πύαμονη est πύαλυφορδὸς βάρβαρος. Additur in hoc tit. *Et priuilegijs eorum.* episcoporum scilicet & clericorum & cæterarum personarum, veluti vt inuitis episcopis testimonium non denuncietur, vt presbyteri citra iniuriam quæstionis testimonium dicant, vt clerici & monachi, & xenodochi, & ptochotrophi similesque personæ excusentur à sordidis & extraordinarijs muneribus, à parangarijs, à metatis, à Iustralis auri collatiōe, siue functione auraria, à tutelis & personalibus muneribus, vt iniuriarum sit publicum crimen, si facta sit iniuria episcopo vel clerico, vt sit popularis actio ex testamento si quid relictum sit venerabilibus locis condictio ex lege quæ inficiatione crescat in duplum, & ex cuius causâ si indebitum solutum sit, non compe-

competat conditio indebiti, vt § vlt. Instit. de obl. quæ ex cont. & l. 45. hoc tit. vt irrita fiat substitutio precaria facta sub conditione si sine liberis heres institutus decesserit herede trāseunte in clerum aut monasterium, ac similiter remittatur eidem condicio liberorū suscipendorū. Et de castrensi peculio clericorū quod etiam inter priuilegia connumerari potest, de quo est l. 33. & 49. Et de redimendis captiuis, deq; relictis redemptioni captiuorū, l. 28. 45. 49. Item de nuptijs clericorum vetitis seu permisis, permisis scilicet cantoribus & lectoribus, vetitis ceteris, & permisis primis, vetitis secundis, ac rursus permisis ceteris si coite sint ante clericatū, vetitis post clericatū, & liberis post clericatū susceptis numero spuriorū, nefariorū & incestorū adscriptis, nō naturalī, l. 19. 44.

III. De episcopali audientia, & de diuersis capitulis, quæ ad ius curamq; & reuerentiam Pontificalem pertinent.

Episcopi iurisdictionem non habent, quia nec forū legibus habent, vt ait Valentinianus No de episco. iud. nec apparitionē, nec executionem eorū vt iudicum delictorum qui etiā notionem, non iurisdictionē habent, sententias magistratus exequuntur, l. 8. Sozomenus 1. εἰς ἐργον τὰ κηρύγματα πρὸς τῷ ἐπισκόπῳ ἡγεῖται τοῖς ἔρχονταις καὶ τοῖς διακονεμένοις αὐτῆς σπουδῆται. videtur No. l. 120. δικαιοδοσίαν accipere p notione. Itaq; non de episcopali iurisdictione, sed de episcopali audientia meritò titulus inscriptus est. Et vt Holoander diocesim, ita audientiam malè Accursius iurisdictionē interpretatur, & ita l. 25. sup. titu. prox. Cū clericis in iudiciū vocatis pateat episcopalis audientia. & in supra dicta No. Valentiniani. Clericus sequatur forū rei si aduersarius ad episcopi vel presbyteri audientiam non praestet adensum. ex qua etiam apparet presbyteros qui secundum locū ab episcopis obtinent, non eandē, vt Aeriani dicebāt, habuisse cognitionē, iudicium, audientiā.

Et

Et hanc quidem habuere tantum episcopi vel presbyteri in clericos & monachos in causa religionis, vel negotio ecclesiastico, non in alios vel in aliis causis, nisi inter consentientes, ut hoc titu. demonstratur: qui & alia continet diuersa capitula pertinentia ad ius curamque & reuerentiam episcopalem. Ad ius, veluti ut his consilium adhibitis defensores ciuitatum, & sitonæ, & tutores vel curatores minorum, aut furiosorum instituuntur, ut querela non numeratæ pecuniæ vel dotis, absente magistratu, & quælibet alia præscriptionum interruptio, vel contestatio apud eos instituatur, ut l. 21. 31. 32. Ad curam, veluti disciplina Ecclesiæ, disciplina clericorum & monachorum, & illud inter cætera, ne alexæ & spectaculis dediti sint, & ne per vim vel usurpationem aliquam eripiant iudicatos addictosque supplicio: quod fortè usurpabant exemplo Pontificum Paganorum, quorum occurfus sæpè seruabat ductos ad supplicium. Pertinent etiam ad curam eorundem pauperes, captiui, infantes expositi, custodiæ, meritoria puelle lenonum iniuria captæ & oppressæ, & inspectio operum publicorum rationumque ciuilium, & pleraque alia officia pia & sancta, ne alij quam Christiani aduocati recipiantur, l. 15. ne alij milites, l. 20. quæ reducit quod ante Honorius constituerat, & ut Zosimus refert, mox mutauerat propter Generidum copiarum Dalmaticarum ducem: ne defensores plebis, l. 19. ne in Alexandria archigerontes, <sup>37</sup> hæc- cetæ qui & ipsi defensores fuerunt Alexandrinæ plebis, l. 4. & de quibus nisi vetus error insideret & Theodosiano & Iustiniano Codici, legeremus, ut ex Christianorū numero deligantur. Et generaliter his additur. l. 2. & 18. titu. sequen. ne alij quam Christiani Orthodoxi ad Reip. curam vel administrationem, vel iuuenum institutionem admittantur, datis, ut Cedrinus addit, hæreticis & paganis inducijs trium mensium ad respiscendum, nec alia ratione Gelimeri negauit Iustinianus Patriciatus dignitatem, quam quod Arrianus esset, auctore Procopio. Ad reuerentiam autem episcoporum hoc maximè

pertinet, ne ab eorum sententia possit appellari, l. 8. §. si qui fortè eos vltro iudices optauerint, cum tamen aliàs à iudice dato ex consensu vtriusque partis sine vinculo compromissi liceat appellare, l. ex consensu. ff. de appel.

V. De hæreticis, & Manichæis, & Samaritis.

NE quis existimaret priuilegia superioribus titulis data Ecclesijs & Episcopis & clericis vel monachis, ad alios quàm Christianos Catholicos pertinere, statim initio huius tit. constituitur vt alieni ab huiusmodi priuilegijs sint hæretici. Nam & eorum Episcopos aut clericos hæc sibi nomina falso vindicare, & eorum conuentus & conciliabula non esse Ecclesias, sed quasi Ecclesias, l. 5. non *συναγῆς*, sed *σαροσυναγῆς*, nō baptismata, sed parabaptismata, l. 8. l. 14. No. 132. existimari esse, sed non esse. Et hereticis l. 1. C. Th. cod. tit. adiungit schismaticos rectè. Nam & si hæretici continuo nō sint qui diuertūt à communionis vnitare, nec schisma qui & *ἄφυσιοσμός* dicitur, hæresis sit, plerunque tamen desinit in hæresim vt de schismate Donatistarum ait l. 4. C. Th. ne fac. bap. iter. Quæ ne hæresis vocaretur, appellationem schismaticis præferbat. Sic legendum. Et paulò post, Ex geminatione baptismi contigisse vt hæresis ex schismate nasceretur. Et de iisdem D. Augustinus, in hæresim schisma veniunt. Definiuntur autem hæretici l. 2. huius tit. qui vel *ἀρῆ* argumento decerant à iudicio & tramite Catholicæ religionis, & nomen habent à pertinaci spiritu & opinione singulari, duræ frontis obstinato piaculo, vt Theodosius loquitur No. de Iudæ. sam. & hæ. Frons enim hæreticorum, frons non est. Additur specialiter in hoc tit. de Manichæis quasi insigniorib. hæreticis, quos ad imam vsque scelerum nequitiam peruenisse ait l. 5. & incesta peruersitate religionis nomina lupanaribus quoq; ignota vel pudenda committere. No. Valentiniani de Manichæis ex D. Augustini libris licet agnoscere, & Agathiaë historiæ libr. 2. & Cyrilli Hierosolymitani

Catec. 6. Et Diocletianus & Maximianus in Cod. Grego. velut noua inopinataq; prodigia in hunc mundum de Persica genze prodijisse Manichæos. Additur & de Samaritis propter speciales quasdam constitutiones Græcas quæ de eis sunt in hoc tit. sicut inter Nouel. sunt duæ de Samaritis. Horum secta mista est ex Iudaismo & Paganismo Manichæi sunt ex Christianismo, secundû diuisionem Epiphaniij. Verûm licet varijs hi omnes pœnis adficiantur, tamen eis sole cœnia sepulturæ non negantur, l. 9. Et subiecti tãtûm Romano Imperio his pœnis subiiciuntur, non fœderati, velut Gotthi nominatim excepti, l. 12. quorum pleriq; Arriani erant. nec enim leges ciuiles exteros tenent.

*VI. Ne sanctum Baptisma iteretur.*

**H**ic titulus pars quædam est tituli superioris, nam iteratio ipsa Baptismi siue Anabaptismus per se hæresis est, & hæreticorum quorundam hi mores erant, veluti Donatistarum, Nouatianorum, Eunomianorum, vt à Catholicis baptizatos rebaptizarēt, id auferētes quod geminabant, vt eleganter ait l. 5. C. Th. de hæret. cûm tamen Catholici hæreticos ad se conuersos, qui modò ab hæreticis baptizati essent, in Trinitatem non rebaptizarent. Quod enim in Constitutionibus & Canonibus Apostolorum longè aliter cautû videtur, id de his acceperunt qui nō essent baptizati in Trinitate. Nec probarunt Tertulliani, Cypriani, & Africanorum quorum opionē de rebaptizandis his, quos hæretici baptizassent. D. August. de hæresib. Ecclesiæ Catholicæ placuit, nec ipsis hæreticis baptisma commune rescindere. Optatus de Donatistis. A Donatistis baptizatos simpliciter excipimus: absit enim vt iam lotum reuocemus ad fontem. absit vt iteremus quod semel est, aut duplicemus quod vnum est. Et Imp. Honorius & Theodos. l. 58. C. de her. In modum semel nati hominis baptisma semel à Deo concedi. Deniq; hic tit. est de Anabaptistis genere hæreticorum, vel ob hoc solum quod iterent Baptisma, initiationem, tinctionem quæ fit columbo sacro.

## VII. De Apostatis.

**V**T in schismate hæresim nasci dixi titul. 5. ita possim dicere ex hæresi plerunque nasci apostasim, vt Terullianus hæreses Apostatas facere. Hi sunt quos posteriores dixere Magaritas, qui penitus de seiscunt à religione Christiana, ex Christianis facti Iudæi, vel Pagani, vel Samaritani, vel Saraceni, constitutiones ad peregrinitatem redigunt, & iubent exemplo reorum maiestatis & Manichæorum & Donatistarū, l. 4. sup. tit. de hæ. damnati etiam post mortem intra quinquennium institutæ accusatione, l. 2. in viuos perpetua & publica accusatio est, l. 4. Et hoc quoque in Apostatis proprium est, vt reorum crimen pœnitentia non aboleatur, l. 3. cum tamen hæreticorum aboleri sæpius constitutum sit, d. l. 4. l. 41. C. Th. eod. tit. & eleganter d. l. 3. lapsis & errantibus subueniri, hi sunt hæretici, non perditis, hi sunt Apostatæ. & animaduertendum, eidem legi hæc verba esse per peram inserta, quæ confundunt hæreticos cū Apostatis, hæretica superstitione. Cuius rei satis res ipsa & Codex Th. & inferiora legis verba fidem faciunt. Item animaduertendum est, l. vlt. huius tit. esse fugitiuiam, de hæreticis nimirum, nō de apostatis, & partem l. 8. sup. de hæ. vt constat ex actis Chalcedonensis Synodi.

VIII. Nemini licere signum Saluatoris Christi  
*burni, vel in siliice, vel in marmore scul-  
 ptere aut pingere.*

**V**T hæretici aut Apostatæ, ita qui in pauimento sculpunt vel pingunt signum Saluatoris Christi, erga religionem Christianam contumeliosi esse videntur, & rectè Tiberius Constantinus apud Paulum Diaconum, Crucem Domini qua frontem nostram & pectora munire debemus, eam sub pedibus conculcamus? Idcirco inhibetur hæc res cum hoc tit. tum synodi habitæ Constantinopoli in Trullo, c. 73. Et signū Saluatoris Christi vocat, vt veteres Theologi, crucem quæ veris Christianis sēpet fuit sancta & venerabilis, l. decernimus, sup. de epi.

& cler. l. ii. titu. seq. *πρὸς κυνητόμ καὶ τίμιον* dixit No-  
 uel. 5. non quidem propter se, sed propter Christi memō-  
 riam qui nobis cruci suffixus est, vt Sybilla dixit, *ὦ ξύ-  
 λωμα χαριστὸν ᾧ ὡς θεός ἐξεταυύσθη.* & Cyrillus ὁ  
 contra Iulianum aliter quàm Manichæi qui id reijciebāt  
*ὡς κενκαθηρά μύθου ὄργασου.* Ad eò verò fuit signum  
 Christi sanctum, vt in instrumentis pro fide & subscrip-  
 tione cederet, l. vltim. infra de iudic. delib. & Leonis No-  
 uell. 72. & collocatione eius profana loca expiari & Deo  
 consecrari solerent, l. vlti. C. Th. de pag. fac. Nou. 5. & 67.  
 & præferri quoque in Litanijis publicis, No. 123. Et Chri-  
 stiani etiã omnes vt Tertullianus, Hieronymus, Augu-  
 stinus, Chrysofomus scribunt, ad omnem actum & om-  
 nem incessum eo signo frontem terere & sentemunire.  
 Et signum dici idem Chrysofomus pia interpretatiōe,  
*ὅτι πάσας τῶ θεῷ τὰς παρακαταλήκας, ὅσας ἄμ-  
 λάβω μύθου γὰρ καθάπερ τινὶ σημάντρω βασιλικῶ  
 δακτυλίῳ σφραγίζομεν.*

### IX. De Iudæis & cœlicolis.


**P**OSTEAquam dixit de Apostatis, qui scilicet prodita re-  
 ligione Christiana defecerunt ad Iudæos vel Paga-  
 nos, inde dicere instituit de Iudæis, postea de Paganis. Et  
 Iudæis iungit Cœlicolas. Iudæorum sectam non prohibet.  
 Nam & circuncisio eis permittitur l. circuncidere,  
 D. ad l. Corn. de sicar. & in ordinem Decurionum alle-  
 gi possunt, l. 3. §. vltim. D. de Decur. non etiam iudicandi  
 potestate fungi, l. vlt. hoc titu. Sed & necessitates, vt ait d.  
 l. 3. id est, munera ciuilia obire coguntur, l. 15. De exc.  
 tur. l. 2. l. iustio. hoc titu. Cœlicolarum secta prohibetur,  
 l. 12. quorum nomen inauditum esse ait, & nouum su-  
 perstitionis crimen, & nescio cuius dogmatis noui habu-  
 isse conuentus, l. 43. C. Theo. de hære. Iudæorum sectam  
 esse verum est, qui, vt Iuuenalis ait, Nil præter nubes &  
 cœli numen adorant, & in Catalectis Petronius, Iudæus  
 licet



licet & porcinum nomen adoret, Et cœli summas aduo-  
cet auriculas. Et Sophonias propheta inter eos quosdam  
adorare militiam cœli. sed miscuisse se quoq; eam Chri-  
stianismo ad aliquid, quando quidem hanc sectam hære-  
ticis & dogmaticis adnumerat, & vt ad Christianam reli-  
gionem reuertantur quodammodo cohortatur d. l. 12. &  
inuenio in epistola Augustini 163. maiorem Cœlicolarū  
noui apud Donatistas baptismi auctorem instituisse, &  
multos illo sacrilegio seduxisse. qui locus etiam probat  
exemplo Iudæorum non malè vulgò in l. 3. huius tit. Cœ-  
licolis dari maiores, licet vox Cœlicolis absit à C. Th. &  
à quibusdam manuscriptis.

*X. Ne Christianum mancipium hæreticus vel Iudæus  
vel paganus habeat, vel possideat, vel  
circumcidat.*

**P**ARS origine sua titu. hic fuit tituli superioris, id est, de  
Iudæis tantum, sed ex Græca constitutione Iustinia-  
ni, & l. Deo nobis. suprâ de episc. & cle. idem Paganis in-  
terdicitur & hæreticis, ne Christiana mancipia habeant  
iure domini, vel possideant quo alio iure veluti fidei cõ-  
missi aut bonorum possessionis, nefas esse religiosissima  
mancipia impijssimorū inquinari dominio, l. vlti. C. Th.  
eod. tit. & similiter Eusebius IIII. de vita Constantini,  
ἀθεμιτὸν εἶναι προσφητοφόντους καὶ κυριοκτόνοισ  
τοῦς ὁ ὁ σωτῆρος ἐλευθερομωδὸς ζυγῶ δ' αἰτίας  
ὑπ' ἀγῶς. Sed additur generaliter ne etiã alterius quam  
sue sectæ vel nationis hominem possideant. Et capitale  
esse si eum hominem circumciderint, si non circumcide-  
rint multæ subijei 30. librarum auri, l. 2. Seruum autem,  
si rem derulerit, liberum fieri, alioqui fisco vindicari, vt  
l. 2. C. Th. eod. & Cedrinus & Sozomenus probant. Nec  
ad Christianos tantum homines eæ leges pertinent, qui  
scilicet baptizati sunt in Trinitate, sed etiam ad Catechu-  
menos, id est, auditores baptismi designatos, ne impunè  
circumcidantur, l. 2. & No. 37.



## XI. De paganis, sacrificijs, &amp; templis.

SEquitur titu. de tollendis sacrificijs Paganorum, & de claudendis fanis, delubris, templis eorum, non etiam diruendis. Nam & si velint Imp. aras & sensu carentia simulacra auelli, nolunt tamen etiam ædificia templorū & publicorum operum ornāmenta destrui, l. 3. & rectè, ornāmenta Nam templa quæ in agris & locis abditis cōstituta nulla ornāmenta habent, patres in concilio Africano destrui postulant. Est & de tollendis annonis templorum l. vlt. quas transfert ad milites l. 19. C. Th. eod. tit. Longè igitur est deterior Paganorum condicio, quàm Iudæorum, quorum secta legibus prohibita non est longè deterior quàm hæreticorum, quibus omnibus non est propositum capitale supplicium, sicut Paganis qui exercent sacra sacrilegia, l. 1. 2. 7. & vlt. & Augustini epist. 48. vbi addit, quod etiam ad hunc tit. propriè pertinet, tã Catholicos quam hæreticos, omnes laudare leges ab Imp. datas aduersus sacrificia Paganorum. Et sunt Pagani cultores simulacrorum & dæmonum, qui & gentiles l. ii. C. Th. eod. l. 46. C. Th. de hæret. & Theo. Nou. de iu. Gentiles à Iudæis quibus non Iudæi gentes sunt & barbari. Pagani autem vulgari sermone, vt Orosius ait, quasi exagrestium locorum compitis & pagis alieni ciuitate Dei.

## XII. De his qui ad Ecclesiam confugiunt, vt ibi proclamant.

POSTeaquam dixit satis de ijs qui alieni sunt ab Ecclesiarum Catholicarum priuilegijs, hæreticis putà & Apostatis, & Iudæis, & Paganis quanquam Iudæis manent adhuc sua priuilegia quædam, redit ad earundem Ecclesiarum priuilegia, & exponit vnum hoc tit. de Cōfugis (sic appellantur & in l. si qua per calumniam, supr. de episc. & cl.) vt præsidium & securitatem Ecclesiæ tribuant his qui ad eas confugerint vexationis euitandæ causa, siue ob reatum, siue ob debita publica vel priuata, ita vt inde temerè abduci nequeant, sed loci reuerentia

via & intercessione defendantur, vt c. eos qui. 87. dist. Et quod adijcit aliud, pertinet etiam ad Ecclesiarum venerationem, de his qui: bi exclamant, ex l. 5. & vlt. vt nullus in eis tumultus moueatur, nulla seditio, nulli clamores concitentur suæ vel alienæ rei causa.

XIII. De his qui in ecclesiis manumittuntur.

ET sequitur aliud priuilegium Ecclesiarum & clericorum, cum esset difficile ad ciuitatem Romanam peruenire, nec manumissione quacunque eam serui adipisci possent, vt Hermias ait i. cap 9 *ωολιπιας δε χειριστος ουσκησεντι τω κτητηρι τ' αμεινον* *ελευτησιας ημωολιπιας δε μαωμω κ' αλ' ασι*: vt qualiscunque manumissio sufficiat seruis cuiuscunque ætatis sint, vt l. 2. infr. Comm. de manumiss. ad obtinendam plenam & iustam libertatem, quæ modo fiat in Ecclesia teste populo & signatore Episcopo. Imò & clericorum seruos manumissos quibuscunque verbis, quacunque scriptura, quouique loco, etiam absente Episcopo ad ciuitatem Romanam perducipacet.

XIV. De legibus & constitutionibus Principum & edictis.

Satis dictum est supra de iure sacro parte iuris publici. Consequens est dicere de reliquo iure publico, quod scilicet consistit in populi, senatus, Principis, Magistratum Imperio, ex quo proficiuntur leges & constitutiones, & aliæ partes iuris civilis. Ac primum quidem in hoc fit agitur de legibus publicis & generalibus, quæ antiqua sunt iussa populi vel plebis: quales nullæ feruntur hodie populi potestate translata in principem, & cõsequenter nullæ leges positæ sunt de ambitu, quia ad curam principum pertinet magistratuum creatio non ad populi fauorem, l. 1. D. ad l. Iul. de Amb. l. quidam. De re iud. l. 2. de alb. scrib. Quamobrem constitutiones principum hodie leges cõstat esse, rescripta dico, subscriptiões, adnotatiões, pragmaticas, decreta, mādata, interlocutio

orationes, edicta. Et decreta quidem, rescriptaque, & interlocutiones leges sunt, si vt Leo ait No. 92. animus principis fuerit τὸ κριθεὶς ἐπὶ τῶν νομοβήτημα, Si, vt ait l. 3. princeps censuerit ea quæ in certis negotijs statuit similibus quoque causarum fata componere: alioquive iudicium ita Principum res iudicata alijs non noceat vel prodesset. Itē si de his princeps orationem ad senatū miserit, vt quod sibi placeret S. C. firmaretur, & firmatum sit: cuius generis orationes multæ referuntur in libris nostris: & secundum l. 8. huius tit. si obseruaretur, leges omnes generales principum Orationes appellari possent: Vel, si legem edicti nomine nuncupauerit princeps, cuius nominis vis hæc est, vt per omnes populos programmata iudicium in celeberrimis locis veluti in foro, vel in theopropia, vt in scriptoribus sacris legimus, in suggestu illo scilicet & ambone vnde Christianis recitatur verbum Dei, diuulgetur, d. l. 3. quod est anteferri, l. rescriptum. C. Th. he hære. Hæ leges principum generales sunt & omnes populos tenent, paganos & milites, l. 3. §. Diuus. D. de sep. viol. l. vlt. D. de accus. & homines domus Augustæ, l. 10. hoc tit. & Augustum ipsum & Augustam, l. 4. vt olim populus quoque suis legibus tenebatur. Omnes autem quæ in corpore iuris referuntur, ferè generales sunt paucae speciales siue personales quæ pertineant ad personas vel corpora aut collegia certa, scrinia, officia, ciuitates, curias, prouincias, scholas, quæ etsi non relatae in corpus iuris, nihilominus vim suam & robur obtineant. vt est in Cod. Justiniani de Iust. Cod. conf. tamen omnes non tenent, l. 2. hoc tit. & hæc differentia legum vt obseruaretur, ideò sæpè monent nos auctores iuris quæ sint edictales leges, generales leges, generalia rescripta, l. 1. §. vltim. D. de leg. tut. l. quotiens, §. sed si non in corpore. De hered. institu. l. Diui. §. vlt. ad l. falc.

#### XV. De mandatis principum.

**E**X Constitutionibus specialibus principum sunt priuilegia & decreta interposita in negotio aliquo, ita vt in exemplum non trahantur, l. 2. tit. prox. sunt & mandata

**D**ata, id est præcepta sine monita quæ certis personis dantur à principe, veluti præsidibus aut procuratoribus, quæ Dio LIII. intellexit his verbis, *ὅτι τὰ ἀπὸ τῆς βασιλεῦς καὶ τῶν ἐπιτρόπων καὶ τῶν ἀνθυπάτων, τοῖς περὶ τῶν ἀντιγραφήων δὲ δώσιμ, ὅπως ἐπὶ ῥηκτοῖς ἔγγισσι,* aut iussiones quæ dantur Comitibus consistorianis vel tribunis & notarijs executoribus imperialium iussionū, vel referendarijs palatij perferendæ ad præsides prouinciarum, quæ nisi consent ex scripto, nullius momenti sunt, l. 1. præterquam vno casu qui proponitur in l. 2. quæ restitui & exposui Obs. 12. c. 31. & stultus est qui pro ea reposuit in hoc tit. Iustiniā Nou. 17. quæ fuit emissa post editionem Codicis Belisario Consule.

*XVI. De senatusconsultis.*

**S**equitur alia pars iuris Ciuilis, Senatusconsulta, id est iura quæ Senatus facit, siue decreta, amplissimi ordinis, quæ tamen in posterum fieri vetat Leonis Nō. 78. tū forte Senatus etiam potestate translata in principē. Antiqua tamen Senatusconsulta manent, sicut antiquæ leges, & vt hic ostenditur, contra ea elicita rescripta, veluti contra S. C. Tertullianum aut contra S. C. Velleianum, nullius momenti sunt. Imò si obseruaretur l. 8. sup. de legib. nulla lex principis generalis valeret sine S. C. quod & Pothum constituisse Vopiscus refert.

*XVII. De veteri iure enucleando, & de auctoritate iurisprudentum qui in digestis referuntur.*

**S**equitur alia pars iuris ciuilis, responsa & interpretationes Iurisconsultorum veterum, qui ab Imperatoribus condendi iuris, respondendi, scribendi, cauendi, interpretandi potestatem acceperunt, aliorum enim qui eandem potestatem non acceperunt, nulla auctoritas est, nec eorum scriptis iudices alligantur, cum tamen à supradictorum scriptis recedere non possint, quæ sunt

pro parte iuris ciuilib. & eleganter Iustinianus dum sibi vindicat Iurisconsultis auctoritatem parè in l. vlti. sup. de legib. nihil tamen se eis derogare ait, quibus hanc facultatem olim dederit maiestas imperialis. Iubet autem priori Constitutione tituli huius in Digestorum L. libro Tribonianum & antecessores & rogatos amplissimæ præfecturæ, quos ille sibi in eo opere conficiendo adiutores delegerit, necessaria & vsu recepta quæque conferre ex veterum Iurisconsultorû scriptis, atque ita ius vetus, vt ipse loquitur, purgare, & certum finitum constituere atq; in controuersum, quod enucleare dicit, vt Modestinus enucleatos casus definitos iam & certos. Ius ergo vetus antiquam Prudentiam Iurisconsultorum vocat. De Institutionibus etiam componendis aliquid aspergit. Posterior Constitutio vtraque lingua conscripta enarrat quæque parte Digestorum contineatur, & vtrique operi parem atque Codici Constitutionum vim tribuit. nec enim iam dicimus responsa Prudentum aut S. C. vim legis obtinere perlatæ scilicet ad populum, sed Imperatore sustinente vicem populi & sibi soli vindicante auctoritatem condendi & interpretandi iuris, l. i. 9. pen. & vlti. sup. de legib. dicimus responsa prudentium & S. C. Constitutionum vigorem obtinere. Et quod in hoc titulo additur de auctoritate Iurisprudentum, qui in Digestis referuntur, eo pertinet quod præcipuè priori Constitutione definitur, vt omnium Iurisprudentum sit eorum auctoritas, nec alter altero potior habeatur, ne Paulianoputà Vlpianus vel Paulus vel Martianus cedat, abrogata l. i. C. Th. de resp. prud.

### XVIII. De iuris & facti ignorantia.

**E**Narratis partibus iuris ciuilib., subiicit generalem titulum de iuris & facti ignorantia. Iuris enim nomen & leges complectitur & Constitutiones & S. C. & edicta prætorum, vt & ad illum & responsa prudentum, ad eo vt &

& in C. Th. l. pen. huius tit. ponatur sub titulo de Constitutionib. prin. & edictis ac forsitā in hoc possit etiam ius accipi specialiter ex d. l. pen. pro constitutionibus, vel si quid Constitutionum vim & fidem obtinet. Et iuris quidem ignorantia non excusat, vt si nescieris liberis petendam esse bonorum possessionem intra annum, si nescieris ex eo testamento legata non deberi quod capitum diminutio testatoris irritum fecit, nisi fortè militem aut minorem XXV. aut rusticum, iuxta illud Homeri, ἄγχιον ἔμπεδον ἔνδον ἔδοξα ἔμπεδον δέμισαν, aut mulierem in damnis amittendæ rei suæ, & recte l. penul. infr. de in integr. rest. min. minoribus addideris mulieres ex C. Th. & l. vlt. huius tit. & est etiam vtriusque communis hæc vox iuris & legum, Deceptis non decipientibus subueniri, l. 2. §. pen. D. ad Vell. l. 1. C. Greg. Si maior fuerit prob. Facti, id est rei gestæ error excusat. Iura certa sunt, facta incerta.

*XIX. De precibus Imperatori offerendis, & de quibus rebus supplicare liceat.*

**P**ersequitur eam partem iuris ciuilibus, qua præcipuè his liber constat, quæ conficitur ex Constitutionibus principum, quarum species sunt edicta, rescripta, mandata, l. 3. sup. de legib. nam de edictis quidem & mandatis habuimus proprios titulos supra, sed nō de rescriptis, de quibus ab hoc titulo tractare incipit: nam preces sunt desideria supplicantium comprehensa libello principi dato, & rescripta sunt responsa principis ad preces. Preces ergo præcedunt, sequuntur rescripta, subscriptiones, adnotationes, & ideo de precibus primum agit. Sed quidquid constituitur de precibus, idem obtinet etiam in rescriptis. nam quod precibus oblati postulari non debet, nec impetrari rescripto, aut certe impetratum non valet. idē è contrario, si quid postulari possit. Vt ecce, nō potest creditor postulare non debitor vtatur exceptione peremptoria, l. 2. & condēnatus aliquis nō potest iterum

iterum supplicare aduersus sententiam præfecti prætoriol. §. Semel supplicare potest, semel ex rescripto principis iterari & retractari iudicium, l. 1. infr. de sent. præf. prætor. l. 1. Co. Th. de off. præf. prætor. & iudicium sane criminale iterari frequens erat, vt historia sacra Seueri docet, & l. 2. infr. de cus. reor. Item non possunt postulari quæ sunt damnosa fisco aut iuri contraria in damnum alterius, l. 3. ergo & rescripta ad hæc impetrata non valent. At contra postulare & impetrare licet, ne debitor vtatur exceptione dilatoria, d. l. 2. l. 3. §. si is pro quo. D. quod quis iur. & oblata satisfatione vt prorogetur tempus solvendæ pecuniæ, l. 4. & rescripta igitur huiusmodi valent. Etiam illud hoc titulo ostenditur, offerri preces recte per seruum alieno nomine vel etiam suo nomine iusta ex causa, l. 1. & 6. & non tam esse necessarium precibus inferi exempla instrumentorum de quibus agitur, vt l. vt responsum. inf. de transf. quàm vim & mentem & verba ipsa proprie de quibus ambigitur. l. vlt. hoc tit. l. verbum. inf. de causis ex quib. inf.

*XX. Quando libellus principi datus litis contestationem facit.*

**H**IC etiã titulus est de precibus ad quas rescripsit princeps. ergo & de rescriptis. & hoc vult, libellum precum principi datum pro litis contestatione haberi, si modo ad eum rescripserit princeps: inanis enim est libellus sine rescripto. Rescripto concedi ius contestationis illam. infr. de Donat. Non habetur pro vocatione in ius edicto de in ius vocando, nec pro accusatione in S. C. Turpiliano, & tamen in causa præscriptionum habetur pro litis contestatione, in hoc scilicet, vt datione libelli & rescriptione perinde atque litis contestatione actiones tempore perituræ in tutum redigantur, vt loquitur l. ordinata. D. de lib. cau. & perpetuentur atque ad eò dentur hæredi & in heredem. quod non ita obtinet libello dato præf. prætorio, l. 1. infr. de offic. præf. prætor. Or. & multo minus libello porrecto alijs magistratibus  
vel



vel iudicibus. ac rursus de dato principi quod diximus, id Iustinianus vult tantum pertinere ad actiones prætorias annales, non ad eas quæ longiori tempore perimuntur, l. 2. hoc tit. 1. 3. inf. de præf. 30. ann. Quando igitur libellus principi datus litis contestationem faciat, si quæras, dicam quando actio est prætoriana annalis, non quando est ciuilis. nec offendat l. 2. infr. de an. exc. quæ non de libello precum loquitur oblato principi, sed de libello tantum quærelæ & protestationis, qui tunc offertur præfidi, cum nemo est qui conueniri & interpellari possit, & pro litis contestatione cedit l. 2. D. de nau. fœn. l. 2. infr. de an. exc.

*XXI. Ut lite pendente vel post prouocationem aut definitiuam sententiam nulli liceat Imperatori supplicare.*

Satis fuisse dicere, *ut lite pendente vel post definitiuam sententiam nulli liceat Imperatori supplicare.* nam post interpositam prouocationem satis prohibetur, qui lite pendente supplicare prohibetur, ac similiter post omisam prouocationem, qui post definitiuam sententiam ut breuior summa hæc sit, ne lite pendente de re qua de agitur quidquam supplicare liceat, ut Nou. 82. & 113. sed expectetur sententia iudicis apud quem litigetur: & ut definitiuam sententiam, quæ non est appellatione rescissa, rescisso non rescindatur aut retractetur, etiam si preces oblatae principi fuerint ante definitiuam sententiã. nam & si quando appellare non possum, supplicare possum, velut contra sententiam præf. prætor. non tamen ubi appellare possum, nec appello intra tempora constituta, postea licet mihi supplicare, aut quod supplicauit, de eo rescriptum impetrare: quia sententiæ semel adqueui. Docuit tit. 19. quæ non liceat supplicare, hoc verò docet quo tempore non liceat.

**XXII.** *Si contrarius vel utilitatem publicam, vel  
per mendacium fuerit aliquid postula-  
tum vel impetra-  
tum.*

**R**epetitur in hoc tit. l. ult. quod satis, vt arbitror, fuerat expositum tit. 19. non valere preces aut rescripta contraria iuri vel utilitati publicæ, quia haud dubiè subreptionem arguunt impetrantis, vt l. 10. supr. de sac. eccl. l. 1. supr. de S. C. l. 47. C. Th. de hæ. & Nou. Valentiniani, In damnum publicum non valere rescripta. Sed adijcitur, ne etiam preces mendaces aut per eas elicita rescripta recipiantur. quod quidem mendacii crimen est falso proximum. l. si quis obrepserit, D. ad leg. Corn. de fals. & rectè. Augustinus in Ioannem, iuris esse forensis, vt qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit quod impetrauit. Iudex tamen rescripto datus, iudex manet, etiam si preces ad quas rescribens Imperator iudicem dedit, subreptitiæ & mendaces sint. Iudicis datio valet, impetratio non valet. non est ergò rescriptum omni ex parte inatitile atque vitiosum. Sed de hac re aliter distinguitur in c. super literis, de resc.

**XXIII.** *De diuersis rescriptis & pragmatice sanctionibus.*

**D**E precibus supplicantium egit principaliter in superioribus titulis quatuor, nunc agit de rescriptis principum, veluti de his quæ duobus supplicantibus in causa communi diriguntur ad vnũ tantum, vt prosint vtrique, l. 1. de his quæ ad ius pertinent, vt sint perpetua nec anno finiãtur, l. 2. & l. ult. C. Th. eod. Iure veteri annalia fuisse videntur, quod nos sequimur ex c. plerunque, de resc. Item de ipsis authenticis rescriptis iudicibus insinuandis, non exemplis, l. 3. & de his quæ sunt sine die & Consule, l. 4. vt non valeant si sint beneficia personalia. idemque de ordinationibus Episcoporum cautum est in Concilio Mileuitano. Nam generalia rescripta, quæ  
modo

modo relata sunt in corpus Iuris, valēt etiam si diem vel Consulem adscriptum non habeant, vt constat ex Constitutionibus Iustiniāni de Nou. Cod. fac. & de Iustiniā. Cod. conf. D. Augustinus in collatione tertij diei cū Donatistis, Euidētissimis legibus definitum esse Imperialia constituta etiam si Coss. nō legerentur, in dubium nō vocari. Item de hisdem beneficijs principū, l. 5. precibus extortis, veluti tribunatu militari, centurionatu, præpositura, præfectura, primatu numeri: quæ & Cicero & Suetonius & Lampridius beneficia vocant ad ærarium delata, & vt Hygenus ait, adscripta in librum beneficiorum, vt hæc scilicet beneficia & promotiones à iudicibus non reiciantur, aut contemnantur. Item l. 6. de rescriptis, quæ non sunt subscripta encauro sacro & manu principis, vt non valeant. *Encauro scribo, non encausto*, quia sic omnibus locis scriptum inueni, atque etiam in glossis, encautum, *ἐν καύρῳ*. Et ait, *Diuersis*, nā ex his alia ius faciunt, alia non faciunt, alia sunt personalia, alia generalia. alia perpetua, alia temporaria. alia valent, alia non valent. alia adnotationes & subscriptiones ad libellum breues, l. 1. supr. de prec. Imp. off. alia epistolæ, l. 12. C. Th. de epist. & cle. alia pragmaticæ iussiones siue sanctiones, quibus scilicet tractatu & consilio adhibito princeps diligentius diffusiusque respondet ad preces, relationem vel suggestionem iudicum vel aliorum, & alijs quidem rescriptis preces inferuntur, non pragmaticis. Augustinus in collatione supradicta, in pragmatico rescripto preces inferri non solere. D. omnibus autem rescriptis etiam illud generaliter constituitur l. ult. vt non aliter valeant, quod tamen ius pontificium non probat, quam si hæc sit eis iniecta clausula, si qui rescriptum impetrauit, docuerit esse vera omnia ea quæ contulit in preces, quæ & alijs verbis variè solet inferri, Si ita res habet, vt à præsentibus supplicatur. Si preces veritate nitantur. Si desideria petitorum veritate subsistunt. Si veram cognoscis esse querimonia supplicantis. Si vera est fides suggerentis. Denique

vti iudici cui rescriptum insinuatur, prima hæc sit cura de veritate & fide precum. Et specialiter de pragmaticis iussionibus, ne fiant ad preces singulorum in priuatis causis, sed in publicis ad preces ciuitatum vel prouinciarum vel scriniorum vel officiorum vel cuiuscunq; corporis aut vniuersitatis. Fiunt tamen sæpè ad relationem vel suggestionem iudicum.

### X XIII. De statuis & imaginibus.

**I**Nrer beneficia principalia, quæ rescriptis principum ad postulationem ciuitatum vel aliorum corporum certis personis dantur de Rep. vel de suo corpore siue collegio benè meritis, sunt statuae & imagines, ἀνδριάντων ἀναστοιχάσεις, l. 1. & vlt. huius tit. Sed & de ipsorum principum statuis vel imaginibus in ciuitate statuendis in ornamentum ciuitatis necesse erat à principibus concedi beneficium, l. 26. suprà de episco aud. quod proprium esse Romanorum vt adfectarèt Nazianzenus scribit *σηλιτ. α. τῷ λίαρ πωσδαζομύωρ εἰκόσι δημοσίαις ἑμιᾶσαι τῆς βασιλέωντας*. Sed ab his reatissimè l. 2. aufert omne fastigium adorationis, quod solerèt olim, vt Ambrosius ait VI. Hex. sola æra fusa principum capita & ducti vultus de ære vel marmore adorari. Et rectè Tyberius, auctore Suetonio, qui eas inter ornamenta domorum, non inter simulaca Deorum poni voluit.

### X XV. De his qui ad statuas confugiunt.

**H**ic etiam titulus est de statuis principum, quæ perinde atque Ecclesiæ suam confugis securitatem præbent, l. capitalium. §. ad statuas. D. de poen. l. si quis sit. §. apud. D. de ædil. ed. & eleganter Theodos. & Valentinia. Impp. βωμόν σωτηρίας καὶ εἰς τοῖς ἑμετέροις ἀφιδρύμασιν ἢ ἀρχαιοτέης ἀέθικε. de Ecclesijs dixere βωμόν λέει, l. vlt. supr. de his qui ad eccle. conf. & Latinè (fuit enim vtraque lingua conscripta) aram salu-

salutis, quia nihil interest aram salutis dixeris, an aram misericordiae. Eæ igitur sunt nobis duæ aræ misericordię siue salutis de ea quæ fuit Athenis, Theophilus in §. ius ciuile. De iu. nat. & alij plerique auctores.

*XXVI. De officio præfectorum prætorio Orientis, & Illyrici.*

**C**VM ex partibus iuris ciuilibus residerent adhuc magistratuum edicta, formæ, dispositiones, quæ non minorem obtinent iuris auctoritatem quam leges, S. C. responsa prudentum, Constitutiones, edicta, mandata, rescripta principū, ideo & huius partis explicandæ causa de magistratibus dicere instituit. ex his sunt præfecti prætorio, qui summam obtinent & omnem iudiciorum potestatem, omnium honorum apicem, vt Amm. Marcellinus ait, cum & patres dicerentur imperij, & patres prouinciarum, auctore Cassiodoro VI. & VII. & XI. & plenissimum imperium etiam in senatores, licet ipsi ante Alexandri Constitutionem non fuerint senatores, sed equites Romani, vt Lampridius scribit in Alexandro & in Commodo, & Capitolinus in Pertinace, & Suetonius in Tito, ipso solo Tito excepto quæ pater præfec. prætorio fecit, vnde huic honori decus primum. Primæ igitur & summæ potestati, quæ & ἀρχὴ δλιυτέρῃ μετὰ τὰ ἑκὴν πρῶτα à Zosimo dicitur, merito datur titulus primus. Fuere autem sub imperio Iustiniani duo in vrbe præfecti prætorio Orientis, l. raptores. sup. de epi. & cl. & sub eorum cura diœceses quinque, Oriens, Aegyptus, Asiana, Pontica, Thracia, & cuiusq; diœceseos prouinciæ variæ. Sub dispositione præsidū singulorū erāt prouinciæ singule. Sub dispositione præf. præt. diœceses, id est vniuersitas quædam prouinciarum. Fuit & alius præf. prætorio Illyrici, & sub eius dispositione diœceses duę. Macedonia & Dacia. Ioannes, ad quem mittuntur responsa non tantum ad Orientalem sed etiam ad Illyricianam aduocationem, videtur Orientis & Illyrici præf. prætorio fuisse. & ad hos quidem præfectos respiciunt Constitutiones huius

c

tituli,

tituli, vt formæ & edicta eorum generalia vim legis obtineant, l. 2. hoc tit. l. 27. inf. de fideiuff. & vt sub cura & iurisdictione eorum sint præfides prouinciarum, vt l. ne quis. inf. de decur. adeo vt promouere eos possint. l. 9. inf. de adu. diu. iud. l. vlt. inf. ad leg. Iul. rep. & remouere atq; in locum eorum alios substituere, & de criminibus eorū cognoscere, l. 2. hoc tit. Cassiodorus de præf. prætorio, Delicta prouinciarum iudicum punit. Et verò si diœceses sub cura sunt præfectorum prætorio, & prouinciæ diœcesum singulæ igitur, sicut sub cura præfidis prouinciæ sunt singulæ ciuitates eius prouinciæ. l. penul. D. ad munic. l. cum vnus. §. pen. D. de reb. auct. iudi. poss. l. 7. D. de interd. & rel. Mamertinus in Panegyrico Iuliani. Cùm me prætorijs præfecisti, prouincias de te egregie meritas meæ fidei tutelæque mandasti. Alia præf. præt. priuilegia sunt in l. 1. inf. de sentēt. præf. præt. & l. 2. inf. de sent. ex per. recit.

XXVII. *De officio præfecti prætorio Africae, & omni eiusdem diœceseos statu.*

**F**Vit etiam ætate Iustiniani alius præf. prætorio Africae, quem ipse constituit post multos annos Africa Vandalis liberata & restituta Romano imperio. Et sub eius dispositione prouinciæ septem, Zeugitana, Tripolitana, Numidia, Mauritania, & quæ proprie dicitur Africa siue proconsularis prouincia Carthago, Sardinia insula, & Bizacium, quæ corruptè Sex. Ruffo Hieratium, putant plerique & corruptè appellari Bizantium, quos refellit Eustathius in Dionysium. Septem prouincias facit Iustinianus, alij sex tantum, confusa Zeugitana, & Carthaginensi. Singulis autem prouincijs septem idem Iustinianus suos constituit rectores, id est consulares & præfides, Consulares Zeugitanæ, Carthagini, Tripoli, Bizacio, & ad Consularem Bizacij scripta est. l. 1. inf. de off. Com. rer. pr. Præfides autem cæteris. Constituit & duces militares prouincijs quinque, Tripoli, Bizacio, Numidia,

diæ, Mauritanix, Sardinix, simul ac definit quid hi omnes pro codicillis dignitatis suæ inferre debeant scrinijs sacri laterculi siue palatij, aut pro insinuatione codicillorum scrinijs & officijs præfecti præf. præsidis prouinciarum, vel scrinijs magistri militum duces militares, & quæ cõmoda vel stipendia de publico ferant ipsi vel præf. prætorio vel homines eorum, scinarij, cohortales. Sed & hominum numerum statuit, & suam præfecto præf. ac cuique duci sedem, & alia pleraq; de constituendis militibus limitaneis, & de disciplina militari, deniq; de omni statu eius dioceseos diuisæ sicut dixi in prouincias septem. Fuit & sæculo Iustiniiani quodam tempore præf. prætorio Italiae, de quo No. 69. & 70.

XXVIII. De officio præfecti Vrbi.

SEquuntur tituli de officio præf. vrbi, & de officio magistri militum, quia potestates sunt præf. prætoriarum pares, l. 1. inf. de præf. præf. siue vrbi germanæ potestates, l. aduocatos. inf. de aduo. diu. iud. licet in Senatus cõfessu præf. vrbi cæteris omnibus præferatur, quasi prætorio cedente vrbi, vt amplius quoque & speciosius vrbis est nomẽ. l. 3. hoc tit. No. 62. Sicut princeps Senatus olim fuit in Senatu dignitate non potestate maior. Hic est, ad quæ custodia & cura vrbis regix totius spectat, & quicquid intra centesimum lapidem admittitur, vltra centesimum præf. prætorio cognitio est. Hic, ad quem spectat cura æmonæ, cura excubiarum, cura corporatorum, veluti pistorum, suariorum, boariorum, pecuariorum, qui in certum tempus coacti & ei corpori quasi seruitute quadam obstricti sunt in perpetuum, & cura thermarum, cura vernalium rerum, cura spectaculorum, ac popularium siue factionum, Venetæ, Prasinæ, Albatae, Russatae. qua de causa Capitolinus in Pertinace dixit, præf. vrbi cum omnibus participasse sermonem. Idem quoque præf. vrbi dicitur vice sacra iudicare, sicut præf. prætorio. l. 11. 16. 18. 61. C. Th. de appell. l. 2. C. Th. de pac. Et hunc magistratum instituisse Augustum, Suetonius auctor est, & Victor Aurelius.

## PARATITLA IN LIB. IX.

### XXIX. *De officio magistri militum.*

**Q**uæ potestas est præf. prætorio in priuatos & in præfides prouinciarum, eadem est magistri militum siue equitum siue peditum, siue vtriusque militiae in milites, & in duces vel comites militares singularum prouinciarum, & inter priuatum actorem & reum militarem, l. penul. inf. de iud. l. pen. inf. de iurisd. vt è contrario, præf. prætorio vel alterius ciuilibus magistratus inter militarem actorem & priuatum reum, vt olim prætoris vrbanus inter peregrinum actorem & ciuem reum, prætoris peregrini inter ciuem actorem & peregrinum reum, quia actor sequitur forum rei. Et auctore Zosimo, primus Constantinus magistros militum fecit à præf. prætorio in eos translata disciplina militari, quæ scilicet olim ad præf. prætorio pertinebat, perinde atque annonarum erogatio. Sic præf. prætorio auctoritatem etiam imminuit aucto eorum numero, & factis patricijs, qui ante nulli fuerant, qui præf. prætorio antecederent.

### XXX. *De officio quæstoris.*

**M**agisteriæ potestatis partem sibi quæstura vindicat, nam quæ beneficia olim permittebantur arbitrio magistri militum, veluti tribunatus, præfecturæ, præposituræ numerorum aut castrorum, ea modo sub iura sunt & sollicitudine quæstoris & scrinio memoratæ, atque etiam reliquæ omnes dignitates, officia, conditiones, curæ minoris laterculi ciuiles aut militates adiuncta subscriptione principis. Laterculum minus est liber siue abacus & notitia dignitatum administrationumque minorum, ducto nomine à quadrata figura, quasi *καλινός*, Gallico interpreti, le petit roule. Laterculum maius est notitia maiorum, quod fuit sub cura & dispositione viri spectabilis primicerij notariorum, idque depictum videmus sub primicerio notariorum in ea notitia laterculoque veteri dignitatum, quam Andreas Alciatus, & pleniorum Beatus Rhenanus luci restituerunt.

Per



Per quæstorem igitur princeps largitur honores minoris laterculi, per primicerium tribunorum & notariorum honores maioris, & in formulis Cassiodori idem fit Comes sacrarum largitionum simul & primicerius notariorum, ut per eundem princeps largiatur & pecunias suas & honores. Verum non illud præcipuum tamen quæstoris munus fuit, sed leges dictare, precibus respondere, consilia dare principi, qua ex re à Symmacho dicitur precum arbiter, legum conditor, & à Cassiodoro quæstura dignitas literarum, quod ea scilicet literatis tantum deferatur iurisque peritis, lib. i. Var. & alibi, quæstor siue os principis, imago principis, vox legum, custos legum, & in No. Valentini ani de hom. ca. fac. iustitiæ & legum custos, thesaurus famæ publicæ, armarium legum. Idem postea *μῆγος λογοβήτης* appellatus est, & nouissimè Cancellarius, ut Nicetas scribit v. l. l. annali. Cur verò huic dignitati aut quomodo quæstoris nomē inditum sit, quod ad eos propriè pertinet qui ærario præfunt, si quæras, dicam assumptos primum ex plebe ut præfectos prætorio ita homines literatos fuisse qui orationes, epistolas, libellos principis in senatu recitarent, initio Candidatos Cæsaris dictos, l. l. D. eod. sed cum non esset eis ingressus in Senatū, ut pote plebeis, licet pecuniā publicam non curarent, donati sunt honore & titulo Quæstorum, ut hoc honore freti ingrederentur in Senatū: erat enim quæstura, ut Aconius ait, primus gradus in Senatū, ac post crescente eorum auctoritate, iamque non recitantes tantum, sed & componentibus eis Orationes, rescripta, leges vice principis, idem Quæstorum nomē retinuerunt.

### XXXI. De officio magistri officiorum.

**ET** hic quoque videtur ex militari magisterio partem adeptus non inferior quæstore. Nam & vterque illustris & ex quæstore plerunque magister officiorum fit, ut Cassiodori formulæ docent, vel etiam vnus idemque simul vtrouque honore fungitur: & officium ma-

gistri officiorum honor est iurisperiti, sicut quaestoris officium. & philosophi. Nam & quaestori aderas, vt idem Cassiodorus ait, & disciplina morum ad eum in palatio pertinebat, quasi iudicem & magistrum officiorum aulicorum, quales sunt cubicularij, l. 3. & 4. infr. de praep. sac. cub. castrensijs & ministeriani, l. 3. & 4. infr. de cast. & min. silentarij, l. 4. inf. de silent. decani. l. 2. infr. de decan. qui omnes obsequio & ministerio principis dedicati erant. denique magister officiorum est magister  $\tau\eta\tilde{\nu}\ \tilde{\nu}\ \tau\tilde{\eta}\ \tilde{\alpha}\ \mu\lambda\tilde{\eta}\ \tau\acute{\alpha}\xi\tilde{\iota}\omega\mu$  (sic lego in Theodosio Suidæ) vel, vt Theodotius ait,  $\eta\ \gamma\delta\ \mu\omega\ \tau\eta\tilde{\nu}\ \beta\alpha\sigma\iota\lambda\epsilon\iota\omega\mu$ . Sed & Senatores in consistorium inducit, gloriosus, vt idem Cassiodorus ait, donator alicui consistorij quasi alter lucifer. Nam sicut ille venturum diem promittit, sic iste desiderantibus vultus regiae serenitatis attribuit. Et curam gerit cursus publici, l. 9. infr. de cur. pub. Curios cursus publici curagendariosque constituit ex schola agentium in rebus, ex qua etiam sibi officiales assumit. qua de causa magisterianos vbi legis, agentes in rebus semper interpretere licet, siue officiales magistri officiorum. Hoc autem ex militari iurisdictione habet, quod sub cura & iurisdictione eius sint fabricæ armorū & fabricenses, & limites ac limitanei milites, & scholares omnes, qui milites supernumerarij sunt taxati in XI. scholis, vt ait l. vlt. infr. de locat. videlicet si his adn. res fabricenses & agentes in rebus.

### XXXII. De officio Comitjs sacrarum largitionum.

**S**equuntur alij magistratus siue dignitates illustres. Comes sacrarum largitionum est is cui gubernandi committuntur thesauri maiestatis Imperatoriae, quos largitiones dicimus & remunerationes plausibili vocabulo, & dignitatem ipsam Comitjs munerariam dignitatem Cassiodorus, quasi muneribus potissimum & liberalitatibus exercendis thesauri imperij destinati sint, quam-

quamuis & in alias pleraſque res inſumantur, & omnino talis eſt Comes ſacrarum largitionum, qualis præfeſtus ærario olim vel etiam diſpenſator, qui à Papinio demonſtratur his verbis: Iam creditur vni ſanctarum diſgeſtus opum, partæque per omnes diuitiæ populos &c. & à Numatiano illo loco: Opum curam, quamuis ſit magna, ſacrarum Præfeſti nomen mutatum eſt in Comitæ nomen, quod & omnibus magiſtratibus datū eſt, qui ſacrum comitatum obſeruant, vel qui ex eo prodirent, & inde nomen poſtea porrectum eſt ad omnes qui cui negotio præpoſiti eſſent, veluti ad nauarchum apud Euſtathium in Homerum, & Suida quoque generaliter definitur Comes ὁ λαῶν ἀρχων, id eſt, populi iudex qui libet. Porro in theſauris ſiue opibus imperij numeramus etiam veſtiarium & ornamenta imperialia, qua de cauſa non tantum ſpeciales quidam Comitæ largitionum diſſuſi per diœceſes, & comites metallorum, & rationales ſummarum, præpoſiti theſaurorum, procuratores monetarum, quandoquidem & Comiti ſacrarum largitionum curæ eſt, vt idem Papinius ait, quæ diuum in vultus igni formanda liqueſcat Maſſa, quid Auſoniæ ſcriptum crepet igne monetæ, non inquam, hi tantum erant ſub diſpoſitione viri illuſtris Comitæ ſacrarum largitionum, ſed etiam procuratores gynæceorum, id eſt, tetrinorum ſacrorum, procuratores baphiorum, id eſt, tinctorum præcioſi muricis, & procuratores linificiorum, & præpoſiti barbariciorum, id eſt, phrygionum, & præpoſiti baſtagarum, qui ſcilicet curant ſacris largitionibus ſiue ærario ſacro perferri canones collationeſque ſolemnes.

XXXIII. *De officio Comitæ rerum  
priuararum.*

**V**Tterque Comes ab Imperatore ſignificatur his verbis, in l. 3. inf. vbi Sen. vel cl. Cui noſtra ſerenitas ſacros noſtri numinis theſauros aut res priuatas noſtræ pietatis gubernandas iniunxit. Ille qui theſauros gubernat

nat opesque fiscales, Comes est sacrarum largitionum, qui à Grecis Comes  $\delta\alpha\delta\lambda\alpha\omega\mu\iota\tau\omicron\iota\ \pi\alpha\rho\chi\omega\mu$ . Ille qui propriam substantiam siue patrimonium principis, siue dominicam & diuinam domum, Comes rerum priuatarum quæ honestantur etiam largitionum nomine, l. prope-  
randum. §. sin autem vtraque, inf. de iud. l. vlt. infr. de ad-  
fess. Paulinus in Eucharistico. Nomine priuatæ Comiti-  
nam largitionis dans mihi quam sciret nullo subsistere  
censu, Bona igitur principis aut fiscalia sunt, aut patri-  
monialia, & vtraque propria, aut quasi propria & priua-  
ta principis. Nam ita est scriptum l. i. D. ne quid in loco  
publ. res fiscales quasi proprias & priuatas principis esse  
& quod vulgò dicitur, Omnia esse principis, id interpre-  
tatur rectè l. 3. inf. de quadr. præsc. vt omnia, id est tam fi-  
scaliam, quàm patrimonialia principis esse intelligantur.  
Quæ priuati possident sunt in imperio principis. Pro-  
pria bona quæ princeps possidet, in patrimonio & do-  
minio principis. Fiscalia quasi in patrimonio, propriè  
in patrimonio principis non sunt. hæc enim in hæredem  
principis non transeunt, patrimonialia transeunt in he-  
redem vel in bon. possessorem etiam si non successerit in  
imperio, l. 36. D. de lega. 2. fiscalium rerum est commer-  
cium, l. pacta. §. vlt. D. de contr. emp. Patrimonialium nõ  
item, l. 39. §. vlt. D. de lega. 1. Denique ex hac bonorũ di-  
uersitate facti sunt duo Comites, vnus qui præesset fisco  
li substantiæ, alter qui propriæ, hic Comes rerum priua-  
tarum dicitur frequentius, illè Comes sacrarum largiti-  
onum, facti etiam inde sunt alij palatini largitionales, a-  
lij priuatiani, qui huic vel illi Comiti obsequuntur. Tres  
tantum sunt sub hoc titulo, Cõstitutiones Latinæ, nulla  
Græca desideratur, & quæ à me adnotata est l. 7. infr. de  
de la. secundum locum occupat infr. tit. de offi. diu. iud.

XXXIIII. De officio comitis sacri pa-  
trimonij.

**A**T rursus duplex est patrimonium, priuatum, de quo  
superior, & sacrum, de quo hic titulus, atque  
ita

ita separatim legitur vnum ab altero in edicto Iustiniani 4. & 8. in formulis Cassiodori. Quod attentè obseruandum est: alioquin prima specie idem videretur esse Comes rerum priuatarum, & Comes sacri patrimonij. Sed duo planè sunt diuersi Comites. Et Comes rerum priuatarum, vt dixi, gubernat priuatam principis substantiã, per rationales scilicet præpositos, procuratores, atque etiam Comites quosdam speciales. Comes patrimonij sacri est veluti procurator penus, qui regias, vt Cassiodorus ait 6. epulas sollicita ordinatione disponit, iudex aulici apparatus & epularum, cui vt idem significat libr. 12. commissæ sunt apothecæ & enthecæ aulicæ, & putem cellario principis dicatorum prædiorum in Cappadocia prouentus quoque ad eum rediisse. Tres igitur erant principis περιβηταί, quod & Græci interpretes notant, largitiones, priuatæ, patrimoniales. Et hic quidem tit. nullam habuit Latinam, Græcam habuit constitutionē quæ desideratur.

XXXV. *De officio Proconsulis & legati.*

POſt illustres dantur spectabiles, ex quibus primi sunt proconsules, qui in prouincias certas, veluti Asiam, Achaiam, Africam sortitò mittuntur cum imperio consulari, vt tam bella, quàm ciuilia regant, ex ordinatione Augusti, vt Suetonius & Strabo scribunt, separatas ab his quas ipse sibi recepit, adiuncto etiam legato vno si qui mittitur Prætorius vir sit, vel legatis tribus si Consularis vt Dio scribit 53. datis à Senatu, vt in Gordianis Capitulini, & Probo Vopisci, vel probatis à principe, quibus suam iurisdictionem mandent atq; etiam criminum cognitionem extra ordinem, l. solet. D. eod. De proconsule eleganter Saluianus 7. Quotidianus iudex & rector, quantum ad nomen quidem proconsul, sed quantum ad potentiam consul. Malè autem inter primam & secundam legem huius tituli, quidam posuere titulum nouū de officio Comitum sacri palatii.

XXXVI. *De officio Comitis Orientis.*

**S**equitur Comes Orientis, qui etiam est spectabilium numero, & latissimam iurisdictionem habet. namq; Oriens ei totus regendus committitur, qui conficitur ex 15. prouincijs, Palæstinis tribus, Syrijs duabus (Optatus tamen Mileuitanus facit Syrias tres) Cilicijs duabus, Phœnicijs duabus, Cypro, Eufratensi, Osroena, Mesopotamia, Isauria, Arabia.

XXXVII. *De officio præfecti Augustalis.*

**P**ræfectus Augustalis est etiam spectabilis, sic dictus, quod Aegypto in prouinciam redacta ei regendę primum sit ab Augusto constitutus ex equitibus, non ex Senatoribus, vt Tacitus scribit 12. & Dio 52. & Arrianus 3. de exped. Alex. ne sub potentiore præfecto, vt sunt leues & mobiles Aegyptij, facillè ad res nouas impellerentur, quos & eadem ratione in alienam ciuitatem ciues al legi noluerunt Romani Impp. vt Iosephus scribit 2. contra Appionem. Idem verò dicitur etiam præfectus Aegypti, l. 35. D. ex quibus cau. ma. l. 1. infr. de postul. Et præfectus, non proconsul aut consularis, quod vetustius esse videtur constitutione Augusti, cum ex oratione Ciceronis in Gabinium Trebellius Pollio referat fascis cōsulares Alexandriam ingredi non licere, quæ fuit sedes præfecti Augustalis. Sub cura autem eius prouinciæ v. 1. Lybiæ duæ, Thebais, Aegyptus, Arcadia, Augustanica, & præsides earū, l. 2. hoc tit. Et non ex Consulibus tantum Romanis, sed etiam ex suo Augustali Alexādrinos annum numerasse, Chronica Alexandrina quæ habet CL. Puteanus v. C. & eruditissimis manifestò comprobant. Inuenio eodem tit. præfecti Augustalis etiā præsidem Dacia, quo plus auctoritatis haberet, Hadrianum Imp. ornasse apud Spartianum.

XXXVIII. *De officio vicarij.*

**V**icarius quoque spectabilis est, quæ media est dignitas inter illustres & clarissimos, vt ait Iustinian. Nouel. 7. in fin. Nam inferiores his quidem sunt equestres, per-

perfectissimæ, egregiæ dignitates, non Senatoriæ. Senatoriarum tripartita duntaxat diuisio est, & qui superillustres esse dicuntur, hi illustres sunt & patricij, & illustres igitur, & adiectione tantum patricij superillustres. Nec tamen omnes Senatores illustres sunt, aut spectabiles, aut clarissimi, quidam sunt expertes harum dignitatum omnium, l. 52. 54. C. Th. de hæret. Vicarius autem pro præfecto prætorio mittitur in tractum vel diocesim aliquam aliquot in se prouincias continentem, veluti Thraciarum, quæ prouincias continet VI. vel Ponticam, quæ XI. vel XII. si ex constitutione Valentis, cuius meminit interpretes Naziāzeni, feceris Cappadocias tres, primam cuius metropolis Cæsarea, secundam cuius metropolis Tyana, tertiam cuius metropolis Musicyssus: vel Asianam, quæ XI. vt Theodoritus scribit li. 5. Sed octo tantum ponit sub dispositione Vicarij notitia vetus dignitatum Orientis. Fuit etiam in Illyrico Vicarius Macedonia, l. vlt. inf. de diu. off. & app. & aliquando in Occidente Vicarius vrbis Romæ, & iurisdictio eius intra XL. lapidem. Vicarius Italia, & sub eo prouinciæ X. Vicarius Africa, & sub eo prouinciæ V. sicut sub Vicario Britanniarum. Vicarius VII. prouinciarum in Gallia, Germaniæ, Belgiæ, Aquitanicæ, Narbonensis, Lugdunensis, Maximæ Sequanorum, Nouem populoniæ, è quibus Narbonensis, & Germania, & Belgica, & Aquitania rursum diuiduntur in primam & secundam, Lugdunensis in primam, secundam, tertiam, Senoniam, Alpes in maritimas, Pœninas, & Graias, & in Narbonensi secunda facillè compræhenderim Viennensem, vt sint summatim prouinciæ septem, quarum etiam mentio fit in constitutione Constantini ad Agricolum præfectum Galliarum, relata à Nicolao Cusano 3. de conc. cath. Fuit & Vicarius Hispaniarum, & sub eo prouinciæ VII. quæ olim regebantur à Proconsule, vt scribès de Vicario Hispaniarum rectè subiiciat Sulpitius Seuerus in Historia sacra, nam iam proconsulem habere desierant. Hi sunt Vicarij præfecturæ prætorianæ par-

potesta-

potestate præditi, & in legibus sæpè dicuntur vices agere præfectorum prætorio, aut agere vicariam præfecturam, & in l. 1. D. de leg. 3. vice præfecti ex mandatis principis cognoscere, & in l. 6. infrà de mo. mul. scripta ad præfectum prætorio, his verbis demonstratur, Qui vice vestra (sic legendum) administrationis gubernacula suscepèrint. Verùm non vt alij qui funguntur vice prætorum aut præsidum nihil proprium habent, ita possim idem statuere de vicarijs præf. prætorio. Nam & si dicuntur vicarij, propriam iurisdictionem habent datà à principe, & vt Cassiodorus cum præfectis portionem aliquã, quod sumpsisse videtur ex l. 1. huius tituli. quæ vicarios præfecturæ prætorianæ trahere portionem ait, moxque subiicit, eosdem disceptationis principalis repræsentare reuerentiam, quod Cassiodoro est vice sacra iudicare tanquam præfecto prætorio, & habitu militari.

### XXXIX. De officio prætoris.

**A** Diungitur spectabilibus prætor quibusdam locis, sed plerunque clarissimis, qua re fecerim libentius ab hoc titulo clarissimorum, id est, tertij ordinis initium. Quæ autem magna olim fuit vis imperij iurisdictionisque prætorianæ, ea cœpit onus esse Senatorum in edendis populo scenicis & circensibus voluptatibus, quod sustinere etiam prætores olim, l. si vt certo. §. interdum. D. comm. & in fabricis operibusque publicis, l. 13. C. Th. de *quæst.* & quæst. idque oneris ferè tantum prætura retinuit, adeo vt vocarentur ad eam inuiti, vt Zosimus exposuit lib. 2. atque etiam præsentibus deficientibus absentes Senatores qui in prouincijs non in vrbe domicilium haberent, & minores 25. annis, l. 1. & 2. Cod. Th. cod. vbi sicut prætores & consules, ita quæstores accipere oportet pro inani nomine, & onere populo edendi muneris, vt illo Lampridij loco in Seuero (Quæstores candidatos ex sua pecunia iussit munera populo dare) non pro amplissima illa dignitate, de qua actum est tit. 30. cui etiam non sufficeret minor ætas, nec ad alios honores, l. ad Remp.



**D.** de mun. & honor. qui etiam non patent foeminis, & hanc tamen praetoram onerariam subeunt quodammodo in specie l. 17. C. Th. cod. titu. paucissima autem retinuit praetura ex iurisdictione & Imperio prisca, & ferè ea tantum quæ referuntur in l. 1. huius tit. l. vlti. infra de praed. min. & tandem functione eius etiam liberati sunt Senatores absentes, No. Valentiniani & Martiani, & generaliter omnes qui praetores designati essent sumptibus & erogationibus faciendis in vrbis fabricas aut populi voluntatibus, l. 2. hoc titu. l. 1. infra de praetor. nisi quid vellet expendere sua sponte. Etiam illud additur eadem Nou. vt hi tantum designentur S. C. legitimo legitime celebrato. Fuere primis temporibus xviii. in antiqua Roma, post in noua modo tres, modo quatuor, modo quinque, modo octo, & tandem ex ea No. tres, & designati vt dixi, S. C. ex l. 12. 13. 15. C. Th. cod. titu. vbi additur, legitimo vel legitime celebrato, id est, loco & numero competentis, & locus quidem definitur Nou. 62. numerus quinquaginta scilicet Senatorum, l. 9. C. Th. cod. Hoc enim numero praescribi S. C. solet. Lampridius in Seuero. Nul- lam constitutionem sacrauit sine xx. Iurisperitis, & doctissimis ac sapientibus viris, iisdemque disertissimis non minus L. vt non minus in consilio essent sententiae quam cum S. C. fieret. Et S. C. verò dum praetores designari constituitur, nominatio & designatio censualibus quæ fuit aliquando concessa, abrogatur. l. 13. 26. 27. C. Th. cod. Quidam Codices habent, *De officio praetorum*, vt in Digestis, sed vt proconsulis & vicarij, ita praetoris appellatione omnes continentur.

*XL. De officio rectoris prouinciae.*

**P**roconsul, Comes Orientis, praefectus Augustalis, de quibus actum est supra, sunt rectores prouinciarum, sed spectabiles. Hi de quibus hoc tit. agitur clarissimi veluti praesides, correctores, consulares, & vnus tantum prouinciae, illæ ferè plurium, & hi quoque sub cura illorum, & hi rursus sunt qui in his libris saepissime ordina-

rij iudices appellantur, Græcè ἐμεάθμης interpretatur. No-  
 uel. 20. & 112. qui non tantum exactionibus tributorū ci-  
 uilibusq; negotijs, sed etiam militaribus occupabantur,  
 l. 2. §. in bonorum. D. qui in bon. poss. Et publici iudices,  
 l. pen. sup. de pag. fac. atq; idè l. 2. §. ult. D. de iud. his esse  
 ius multæ dicendæ, quibus publicè iudicium est, id est  
 qui publici & ordinarij iudices sunt. Hi fratres à princi-  
 pe appellabantur in Constitutionum ad eos directarum  
 subscriptionibus, vt Cassiodorus ait, vt nobilitate pretio-  
 si nominis affecti uilitate criminum abstinere, & simi-  
 li modo magister officiorum frater carissimus Augusto-  
 rum in No. Th. de princip. ag. in reb. & No. de lampad. &  
 No. de meta. Et Comes rerum priuatarū in eisdem no-  
 uellis, l. 3. de tyronib. & No. Maioriani de bo. cad. & Co-  
 mes sacrarum largitionum in eisdem Nouell. Theodos.  
 l. 3. de palat. Addit idem Cassiodorus, rectorem prouin-  
 ciæ in præfecti prætorio militem cum ipsius tamen con-  
 scientia iudicare, quod confirmat. l. 4. huius tit.

*XLI. Vt nulli patriæ suæ administratio sine speciali  
 permissu principis permittatur.*

**P**ARS hic titulus est superioris, nimirum de rectore pro-  
 uinciæ, vt nemo eius prouinciæ fiat rector, aut præfes  
 ex qua originem ducit, vel in qua domicilium habet, A-  
 nastasij Constitutio Græca, cui similis l. vltim. infra de  
 cr. sac. & uetustior Antonini apud Xiphilinum, *ἡ μὴ  
 ἂν τῶ ἐθνῶ ὄθεν τὸ ἀρχαῖον ὄσιν ἄρχεσθαι*, nisi sci-  
 licet hic honos ab ipso principe vtrò ei concedatur, vt  
 Cassiodorū legimus patriæ suæ Lucianæ, & Brutiorū,  
 correctorem fuisse, lib. 1. Varia. ac similiter nemo potest  
 in patria sua officium fiscale administrare, vel præfidi  
 adfidere vtrà menses quatuor, l. 10. infra de adfess. l. 1. C.  
 Theo. eod. nisi cui id princeps speciali beneficio permise-  
 rit. l. 38. D. ex quib. ca. ma. l. 3. D. de off. adfess. Et rationem  
 reddit Paulus V. Sentē. ne aut gratiosus aut ca. umniosus  
 apud suos esse videatur, & attigit Cassiodorus supradit-  
 to loco scribens, gloriosum esse in patria sua præsidatu  
 fungi

Fungi præclare, vbi necesse est vt aut gratiam parentela prouocet, aut odium longæ contentiones exasperent. At contra prætores in vrbe non fiunt, nisi qui in ea domicilium habent, l. 2. sup. tit. 39. quia prætorum tū iurisdictio parua, & prætura onus potius quam honos, adeo vt plerique eam detractarent: eademq; ratio magistratuum municipalium, vel generaliter vrbe, vbi est sedes imperij & magistratuū ingens copia, & obseruatores actus cuiusq; multi, ciuibus & incolis magistratum capeffere licet, in prouincijs præsidatu fungi non licet, quoniam lōgè maius est præsidis imperium, quàm cuiusque magistratus in vrbe, l. 7. §. vlt. & l. 8. de off. proc.

*XLII. De officio præfecti annonæ.*

Clarissimis adnumeratur præfectus annonæ, & se. tit. præf. vigilum Senatoriæ igitur dignitatis sunt. Et sub Alexandro Vlpianum legitimus præfectum prætorio & præf. annonæ fuisse. l. 4. infra loca. l. 4. inf. de cont. stipul. Porrò superiores legitimi magistratus sunt, hi duo præf. annonæ & præf. vigilum extraordinarij pro tempore & necessitate exigente constituti, l. 2. §. capta. D. de orig. iu. & hi sunt qui extra ordinem ius dicere dicuntur, l. si in aliquam. in fin. D. de off. proc. & tamen excusantur à tutelis & curationibus, l. administrantes, §. 1. D. de excusat. perinde atque hi qui ordinariam potestatem gerunt, §. ei qui potestatem. Instit. eod. Ceterum præfectus annonæ cogit etiam criminaliter de his que ad vtilitatem annonæ publicæ pertinent, & ad accusandum admittit etiam mulieres si qui dicuntur annonam flagellasse, l. vlti. §. vlti. D. ad l. lul. de ann. l. mulierem. D. de accus. & cano- nem frumentarium vrbis per officia sua exigat, l. 2. inf. de appa. præf. ann. l. 1. inf. de can. fru. vrb. Rom. per centuriones & milites suos, l. vltimi. §. vltimi. D. de pignor. act. & dat ex contractu magistri & negotiatione conuendæ annonæ exercitori actionem extra ordinem, in eos qui cum magistro contraxerunt. l. 1. §. est autem, D. de exerc. act. nam & nauicularios, qui annonæ vrbis seruiūt, constat fuisse sub eius cura, qui etiam petentes veniam etatis, apud eum de suis moribus probationes implēt. l. 1.

C.Th.de his qui ven.æt.imp.& negotiatores, vt opinor, qui annonam vr̄bis adiuuant, & in priuilegijs nauicularijs iunguntur, l.semper. §.negotiatores. D.de iur.immun.nam & de pecunia debita ex negotiatione annonæ cognoscit, l.vltim. D. quod cum eo, &c. Fuerunt etiam sub cura eiusdem mensores frumentarij, l. mensores, D. de excuf. & pistorum, & fundi dotales pistorum emolumentis adscripti, l.12. & 17. Cod.Th.de pistor. &, vt Cassiodorus ait, per officinas pistorum præf. annonæ discurrit, pensumque & munditiam panis exigit. Solicitius auro pensari panem quo Quiritēs aluntur. Et quamuis iurisdictio præf. annonæ videatur esse pars iurisdictionis præf. vr̄bi, & ille sit sub dispositione præfecti vr̄bi, tamen præf. vr̄bi nihil potest disponere de annonarijs necessitatibus sine præf. annonæ, l.1. suprâ de offic. præf. vr̄b. l.1. C. Theo. de cond. in pub. hor. & ab eo appellatur princeps, non præfectus vr̄bi, l.vltim. D. quod cum eo, &c. Loco autem huius tituli, alij ponunt malè titulum de quadrimenstruis breuibus, vel, vt in quibusdam libris scriptum legi, de quadrimenstruis tam ciuilibus quam militaribus, est enim de his l.vlti. suprâ 31. & l.1. suprâ 32. non specialis vllustit.

### XLIII. De officio præfecti vigilum.

**P**ræfectus vigilum spectabilis appellatur in l. 3. D. cod. Sed qui in hoc libro instituitur ordo, eum potius auster clarissimos. neque est nouum vt idem modo spectabilis censeatur, modò clarissimus. exemplo sunt prætores, silentiarij, tribuni, notarij, & alij plerique. Porrò custos hic est nocturnus vr̄bis, iudex obscurus, arbiter silentiosus, incendiariorum & furum indagator. & eleganter Cassiodorus, præf. vigilum, furta in furibus facis, dum illis noctu circumuenis. Constantinopoli prætor plebis appellatus, No. 13. Vigiles milites sunt qui eis obsequuntur, nam & iure militari testari possunt, l. vn. D. de bon. poss. ex testam. militis, & habentur pro absentibus reip. causa, licet præsentēs sint, l. si maritus, §. legis. D. ad l. Iul.

Iul. de adulte. vt si quid damni pertuleriat, dum eam militiam exercent, merito ex edicto restitui possunt in integrum, meritoque dixerit Cassiodorus, eis tempora momenti esse prolata. Erant ex libertinis, vt Strabo & Suetonius & Dio scribunt, & Latini si sex annis militassent lege Visellia perducebantur ad ciuitatem Romanam, auctore Vlp. tit. de Latinis. Ceterum de criminibus que grauiorem animaduersionem desiderant, præf. vigilum cognoscit quidem, sed non pronunciat, reos si liberi homines fuerint remittit ad præf. vrbi, l. 3. §. 1. l. vlt. D. eo. l. 1. hoc tit. Cassiodorus in formula præf. vigilum, Si tibi leges fures punire minimè præcipiunt, tamen eos indagandi licentiam contulerunt. Et ita legatus proconsulis reos puniendos remittit ad proconsulem, l. 1. supr. de off. procō. Et similiter præfectus annonæ cognoscit quidem de crimine fraudatæ annonæ publicæ, sed non etiam pronunciat, verùm remittit reos, vt opinor, ad præf. vrbi, vti eos vel condemnet vel absoluat, nisi specialiter præfecto annonæ datum sit ius gladij. est enim vterq; præf. sub dispositione præf. vrbi. Equites Romani pctentes veniam ætatis mores suas probant præfecto vigilum, l. 1. C. Th. de his qui ven. ætat. quia & ipse præf. vigilum creabatur ex equestro ordine, auctore Dione, ex Senatorio ordine, secundum Nou. 13. vt non malè Tribonianus hoc titulum adiunxerit Senatorijs dignitatibus, postremum tamē prælato præf. annonæ.

*XLIIII. De officio ciuilium iudicum.*

**P**ost speciales titulos singulorum magistratuum dantur generales, & quia magistratuum siue Iudicum vna diuisio hæc est, alios esse ciuiles, alios militares, quid sit proprium ciuilium hoc tit. declaratur, quid propriū militarium tit. sequenti, quid commune omnium, tit. 48. Ciuiles sunt, quibus inter priuatos vel inter militem actorem & priuatum reum iurisdictio est, veluti præf. vrbi, prætor, & cæteri, de quibus hoc tantum in hoc tit. constitutum inuenitur, vt benignè audiant allegationes

eorum qui se adferunt esse immunes à publicis functionibus, Allegationem immunitatis suspendere exactione tributorum, l. 2. vt honorati, principales nimirum ciuitatum, qui perfuncti sunt omnibus muneribus ciuilibus, & cæteri omnes qui honorariam adepti sunt dignitatē ciuilem vel militarem, l. 1. inf. de hon. veh. vel qui consulatum aut aliam dignitatem administrauerunt, vt in No. Valentiniani de hon. & qui in gr. præf. quibus ius est confidendi in secretarijs iudicum, l. vlt. inf. de off. diu. iud. cū iudice non sedeant interim dum eorum lis agitur, contestatur, & disceptatur, l. 1. hoc tit.

*XLV. De officio militarium iudicum.*

**M**ilitares iudices sunt, quibus non inter priuatos aut inter militem & priuatum reum, l. 2. hoc tit. sed inter milites, aut inter priuatum actorem aut militē reum. iurisdictio est, veluti Comites & magistri equitum & peditum illustres, l. pen. inf. de iurisd. om. iud. & viri spectabiles Duces aut Comites rei militaris. Ciuiles iudices habent etiam suos milites, suam militarem manum, id est lictores & apparitores, sed horum officio in causis priuatorum milites iudicum militarium fungi non possunt, nec se eorum actibus immiscere.

*XLVI. De officio tribuni & Comitum rei militaris.*

**E**X militaribus iudicibus inferioribus & minoribus, celeberrimi sunt Tribuni & Comites rei militaris viri clarissimi, l. 1. sup. de off. quæst. tribuni scilicet minores cohortium seu numerorum, & præfecti & præpositi castrorū honorati comitiua dignitate, de quorum officio desideratur Græca Constitutio in hoc tit. Superiores, magistri scilicet & duces, sunt illustres vel spectabiles, & emittuntur ex maiori laterculo.

*XLVII. Ne Comitibus rei militaris vel tribunis lauacra præstentur.*

**E**tiam illud additur de Tribunis & Comitibus rei militaris inferioribus, id est clarissimis (legendum enim est

est in l. 1. huius tituli. *aliorum re minorum comitum*, in l. 2. C. Th. eodem, *inferiorum*.) ne à provincialibus qui eos hospitio excipiunt, exigant etiam priuata balnea. hoc enim licere illustribus solis comitibus & magistris vtriusq; militiæ, l. 6. inf. de metatis.

*XLVIII. De officio diuersorum iudicum.*

**H**ic titulus est communis omnium iudicum ciuiliū & militariū, ne ob publica tributa vllius iudicis auctoritate matresfamil. domo extrahantur in forum, & quod de viduis additur in l. 2. C. Th. eod. ne à patria sua trahantur in sacrum comitatum, relatum à Triboniano proprio titulo, *Quan. imp. int. vid. & c. & l. 3. Cod. Th. eo. tit.* vt provinciales prætorium iudicibus non cōponant, ornant, instruant, sed vt ipsi sibi iudices id componant si velint, & vt contenti sint annonis & cellarijs, quæ accipiunt ex horreis publicis, nec quidquā præterea exigant à provincialibus, vt l. 32. C. Th. de erog. mil. ann. Cōmunia hæc sunt præcepta omnium iudicum, nec nō etiam quod habet l. 2. huius tituli. Constitutio Græca, quæ specialiter de Comite rei priuatæ loquitur, & generaliter de omnibus iudicibus vrbani & provincialibus à me restituta in l. 7. inf. de delat. Et quod l. 3. ne iudices confundant inuicem dignitatum gradus, putant ne minor iudex maiorem in relationum suarum subscriptionibus quasi parē, fratrem audeat nominare, & l. vlt. vt honoratis non negetur confessus in secretarijs iudicum.

*XLIX. Vt omnes iudices tam ciuiles quàm militares post administrationem depositam L. dies in ciuitatibus vel certis locis permaneant.*

**E**ST etiam hoc commune omnium iudicum provincialium ex Constitutione Zenonis, vt perfuncti administratione, postquam successorem acceperunt, clarissimi in Metropoli provincie, quam administrauerunt, spectabiles in maioribus potioribusq; ciuitatibus administratæ diocescos) de illustribus nihil exprimitur, quia

publicæ sunt potestates) dies L. permaneant, & in publico faciant sui copiam, vt volenti cuilibet sit cum eis ciuilitè aut criminaliter experiundi potestas de furtis aut criminibus. de furtis lege Iulia repetundarum. de alijs criminibus veluti peculiaribus, aut manubijs, id est, de prædationibus & concussionibus alijs legibus vel S. C. vt l. vlti. infra de mo. mul. quam rem Zeno vult definiti intra 20. dies, & interim reum iuratoria cautioni committi, qua adfirmet se in iudicio permansurum vsq; ad terminum litis. Confirmatur hæc præscriptio 50. dierum Iustini-ani Nou. 8. 95. 128. 161. & ex Nou. quidem 8. intelligitur in hæc Constitutione Zenonis proculdubio esse legendum, nec vllam ante præfinitum tempus de prouincia discedendi excusationem ei tribuat vel diuina reuocatoriæ vel codicilli, &c. Quod autem quidam scribunt, idem fuisse cautum l. Iulia repetundarum, prolata Ciceronis auctoritate, falsum est. Nam quod Cicero scribit 2. & 3. Epist. lege Iulia cautum, ne rectores prouinciarum ex prouincia decederent, antequàm rationes pecuniæ publicæ in prouincia confectas & consolidatas deposuissent, non est de excipiendis actionibus omnium qui eos de furto vel alijs criminibus compellere voluerint, & magis pertinet ad leg. Iuliam residuorum, vt l. sacrilegi. §. vlt. D. ad leg. Iul. pecul. quàm ad leg. Iuliam repetundarum. Porro Constitutio Zenonis locum habet non tantum in iudicijs, sed etiam in adfessoribus, domesticis & canonicis iudicium, l. 3. l. 3. infr. de adfess. & vel in manipularijs, qui iustus est militiæ gradus militarium iudicium, & ministris, l. 1. infr. ad leg. Iul. repet. Ex Nou. Theodosij & Valentiniani de trib. sic. erant præscripti tres menses, quos ante non liceret iudicibus prouincia decedere, & forsitan in l. vlt. C. Th. de adfess. legendum est, *per continuos tres menses*, non *per continuum triennium*, & in eadem No. eleganter hæc quoq; harum constitutionum redditur causa, vt coram positi bene actæ rei fruantur laudibus, aut certè si direptionis alicuius conscijs docebuntur, discessus celeritate se non subtrahant.



*L. De officio eius qui vicem alicuius iudicis obtinet.*

**E**T hic quoque titulus de quocunque iudice accipien-  
 dus est, siue de eo qui cuiuscunque iudicis vicem ob-  
 tinet: Is verò non est vicarius, non legatus, nò is cui præ-  
 fectus mandat iurisdictionem suam, sed is qui, vt est scriptũ  
 l. 1. D. de tuto. & cur. da. moderamen prouinciæ temporis  
 causa obtinet, præside scilicet defuncto, vel quia ei pro-  
 uincia ad tempus regenda commissa est. atque ita non-  
 nunquam procurator Cæsaris vice præsidisungebatur,  
 l. 1. inf. de ped. iud. l. 2. inf. de pœn. l. 3. inf. vbi caus. fisc. vt  
 Pontius Pilatus procurator Cæsaris erat in Syria vice præ-  
 sidis, vel etiam quæstor ille olim qui cum procōsule aut  
 pro prætore in prouinciam mittebatur pecuniæ publicæ  
 causa. Porro ei qui vicem alicuius iudicis obtinet, permis-  
 sa sunt eadem quæ iudici, cuius locum tuetur, leges spe-  
 cialiter dederunt, & est apud eum legis actio, perinde at-  
 que esset apud iudicem ipsum, l. 2. hoc tit. quæ tamen o-  
 mnia legatum proconsulis, vel eum cui præfens manda-  
 uit iurisdictionem constat non habere.

*LI. De adfessoribus domesticis, & cancellarijs iudicum.*

**E**T hic quoque titulus est de adfessoribus quorumcun-  
 que iudicum. Adfessores sunt Iurisprudentes qui cō-  
 silia iuuant iudicum, vel qui consilijs suis iudices adiu-  
 uant, l. 7. hoc tit. l. 1. C. Th. de Com. qui ill. ag. adf. Maca-  
 rius Homi. 15. ὅταν γένηται ὁ ἄρχων λαμβάνει ἑαυ-  
 τῷ βροτῶν τὸν συγκαθέστρον, nō sunt iudices. nā nec  
 libellis subscribere possunt, l. 2. hoc tit. nec causas audire  
 & iudicare absente magistratu, l. 13. & l. pen. hoc tit. qua-  
 rū vna est Zenonis, altera Iustiniani, vtraq; eiusdem sen-  
 tentiæ, & his paucissimis verbis perstricta in Basilicis.

Μηδέποτε χωρὶς τῶν ἀρχόντων διτύμωνοι δια-  
 ζέτωσαν, τὰ ἐκείνων πθένητες δῖόματα, Habētur in

iudicum partem, vt Cassiodorus ait X I. & Impp. l. omnis, C. Th. de his quæ adm. trad. sunt. quædam vniuscuiusque iudicis portio videtur adfessor. Et chartis iudicium signa sua imponunt, l. vlti. hoc titu. qua ex re & Comites dicuntur & participes, Comites scilicet sedendi, vt Cicero loquitur, & participes consiliorum, aut participes consiliarij & quasi pars iudicum, vel simpliciter consiliarij, & consiliatores, vt βεληφόρον ἀνδρα, Fulgentius interpretatur consiliatorem virum, & inde adfessum pro consilio, illo versu Propertij, Turpior adfessu non erit illa meo. & adfessorium, in pandectis, liber, quo quæ ad ea consilia iudiciaque pertinent, explicantur. Dixi, Iuris prudentes, vt l. i. hoc titu. l. i. ff. eod. nam ab eis Iuris prudentia exigitur, quæ non exigitur in magistratu cui adfident. Cicero pro Plancio. P. Rom. magistratum virtute & innocentia contentus est. quotus enim quisque disertus, quotus quisque iuris peritus est? Denique imprudentia imputatur adfessori, non magistratui, l. 2. D. quod quisque iur. Cancellarij autem sunt, qui iudicibus sunt à secretis, milites electi ad secreta iudicum periculo primatum officij ex eodem officio, l. 8. hoc tit. vt in Basilic. ἀπό τῆ τάξιως ὀφείλοισιν εἶναι, ne quis ea verba ex eodem officio, temerè etiam si non habeantur in C. Th. tollenda putet, sic dicti, quod scribendis & expediendis epistolis, iussionibus, edictis, relationibus, responsis, sententij iudicum operam darent loco quodam proximo consistorio vel secretario iudicum, clauso reticulis siue cancellis, vt fit hodie etiam in curijs. quod ex Cassiodoro cõpertissimū est, & per hos etiã ad iudices admissionē fieri Agathias scribit. I. hist. hoc addito de eorū appellatiōe, τῶν ἐξ ὧν ῥωμαίοις ἐκ τῆν κινηλιδῶν ἐρηνομαζουμ ἂν τῶν τῶν ἐπιμελείας. Qui sunt à secretis principum, tribuunt & notarij dicuntur. Qui à secretis iudicum, cancellarij. Domesticos iudicum, de quibus & l. i. infra ad l. Iul. rep. quoniam lego arceri à publicis actibus necessitatibusque, l. 4. hoc tit. puto nomen commune ha-

ne habere cum domesticis protectoribus principum, eademque sustinere militiam, & creari ex officio iudicum periculo primatum, d.l.8. & annonas de publico ferre, vt Cassiodorus docet IX. Var. sicut adseffores & cancellarios, vt tit. seq.

*LII. De annonis & capitu administrantium, vel adsefforum aliorumve publicas sollicitudines gerentium, vel eorum qui aliquam consecuti sunt dignitatem.*

**H**IS omnibus iudicibus de quibus actum est. tit. superioribus, & adsefforib<sup>9</sup>, domesticis, cancellarijs eorū, & alijs omnibus quibus curatio, officium, ministeriumve publicū aliquod iniungitur, vt Comiti commerciorum cui curæ est ne cōmercia illicita exerceantur, cuiq; soli à barbaris cōparandi serici in vsum principis ius potestatisque est, & sine quo cū barbaris vltra fines constitutos negotiari nō licet, & magistro lineæ vestis, magistro æris, Comiti auri, & rationali vtriusq; ærarij, ac similibus omnibus de publico præbentur salaria .i. annonæ & capita. & adsefforib<sup>9</sup> ea Alexandrū instituisse Lamprid. scribit, & confirmati l.4. D. de off. adseff. Annonæ sunt veluti panis, vinū, oleum, liquamen, laridū, & cetera quibus vitā toleramus. Capita sunt pabula equorū, mulorum, camelorum, quib. vehimus nos aut sarcinas impedimenta; non. Am. Marcellin. 22. pabula iumentorū q̄ vulgo dicitantur capita. Hesychius κρητόν, παράλλημα ἀλόγων, igitur in l.2. inf. de cur. pub. & l.9. inf. de iur. fil. alimenta pecorū vel pabula sunt capita. sumptus familiæ annonæ. Dicitur singulari numero capitū, vt l.2. sup. de off. præf. præf. A fr. & No. Th. de trib. fil. & Cassiodori 7. ad equos capitum definitū. & patrio casu, capitu, inflexione Græca. Porrò solebant hæc præberi in speciebus ipsis. Verūm hac constitutione rediguntur ad pretia definita in delegationibus, quæ eo nomine singulis officijs dantur. Delegationes, quæ & delegatoriae, sunt notitiæ quæ & singulis administratoribus & officijs delegantur, qua annonæ eis

debitæ taxantur, & capita aut pretia eorum quæ sumantur ex tributis illius vel illius prouinciæ, vel ex publicis horreis.

*LIII. De contractibus iudicum, vel eorum qui sunt circa eos, & inhibendis donationibus in eos faciendis, & ne administrationis tempore proprias aedes ædificent sine sanctione pragmatica.*

**V**T superior, ita hic titulus communis est iudicum omnium & adfessorum vel domesticorum, quo Iustitiani constitutione iudices urbani separantur à prouincialibus, ita ut urbani ex pragmatico principis emere & proprias aedes ædificare possint, non etiam donationem accipere, quæ tamen si facta fuerit, post depositam administrationem confirmari potest vel ratihabitione donatoris vel silentio quinquennij. Prouinciales autem ne ex rescripto quidem Principis emere per se vel per aliam personam quidquam possunt, præter ea quæ victus cottidiani sunt, nec domum ædificare aut nauem, ut lauferitur, §. quod à præfide. D. de iu. fil. nec ducere uxorem, l. qui in prouincia, l. præfectus, D. de rit. nupt. ac multò minus donatum suscipere: quo verbo etiã hereditatem significari testamento extranei relicta conueniens est his quæ de hac constitutione ex Theophane retulit Anastasius bibliothecarius. quæ & in eos fortè collata fuerit donatione inter viuos, aut venditio, nec ratihabitione, nec silentio quinquennij confirmatur, nimirum abrogata l. 5. & 6. C. Th. de his quæ adm. vel off. pub. ger. quæ admittit præscriptionem quinquennij, & abrogata etiã Nou. Valentiniana. de conf. his quæ admit. vel pub. off. ger. dist. vel don. quæ nos tamẽ in Gallia vtimur magis. Et ratio differentia inter urbanos & prouinciales, quia maior est in prouinciis præsidibus grassandi copia si sua potestate abuti velint, idcirco durioribus legum vinculis coercentur, ac similiter ut diximus tit. l. 4. mittuntur in prouincias exteri & incogniti prouincialibus, in vrbe ferè ciues au-

inco

Incolæ magistratus capeſſunt. *Qui ſunt circa eos*, dixit, vt l. 3. D. de reb. cred. pro adſeſſoribus vel domeſticis & alijs officijs. & ruruſ ſecundum hanc Conſtitutionem Iuſtiniani quod excipitur in l. non licet. D. de contr. empt. niſi ſpecialiter quibusdam hoc conceſſum ſit, habet locum in vrbe tantum. & addenda alia exceptio ex l. qui officij. D. cod. niſi paterna à fiſco diſtrahantur, vt l. milites. D. de re mil. & l. princeps. Cod. Theod. de his quæ admit. vel off. pub. ger. Videnda hac de re No. Leonis 84.

*LIV. De modo multarum quæ à iudicibus infliguntur.*

**P**ERTINET etiam hic titulus ad iudices omnes, de quibus actum eſt ſupra. Omnes enim qui iudicationem habent, id eſt, qui publicè iudicium exercent, multæ dictionem & pignoris capionem habent, qua ſuam tueantur iuriſdictionem & coerceant inobedientes, l. 2. §. vltim. D. de re iud. l. aliud. §. vlti. D. de verb. ſign. & excepti tantum inueniuntur procurator Cæſaris & curator rei p. l. 2. & 3. hoc titu. & defenſor plebis, l. 5. titu. ſeq. Sed nec ad infinitum cuiſlibet iudici multam dicere licet, l. 5. inf. quand. prouoc. non eſt nec. Modus quem ſequi vnusquiſque debet in multa dicenda hoc titulo definitur. Præfecto prætorio ſupremæ multæ irrogandæ ius eſt, l. 4. hoc titu. **C**affiodorus, Magna, inquit, quantitate multat errantes. & plerunq̄ue omnis multa accedit fiſco, niſi ſpecialiter deputetur publicis operibus, vel curſui publico, vel alijs neceſſarijs cauſis, l. 5. hoc titu. vel pauperibus, l. 2. ſup. de episc. aud. quod ſit in omnibus cauſis eccleſiaſticis, l. 20. C. Th. quor. ap. non rec. & Caffiodorus viii. Var. Multa autem eſt pecuniaria coercitio. non eſt ſatis: nam & pœna quædam eſt pecuniaria coercitio. Pecuniaria igitur coercitio quæ arbitrio iudicis irrogatur. Nam & ſi certum modum iudex non poſſit excedere, intra eum modum tamen ſui arbitrij res eſt, quin etiam poſteaquam multam irrogauit, ex cauſa moderari eam & remittere,

verbi gratia, propter inopiam rei, id est, necessitatem solutionis, l. vlti. in fine. hoc tit. l. 6. §. pen. & vltim. D. de off. præf. reprehensa, vt ait, exactorū auaritia. Bene reprehensa, & cōprehensa, l. 16. C. de don. int. vir. non punita. Minus enim est reprehēdere, l. 7. §. ad tempus. D. de interd. & rel. Cicero pro Flacco, non modo reprehendendum, sed etiam condemnandum putas. Et omnino abrogari contrario iudicio, moderari vel remitti multę dictio, sicut nec quælibet alia sententia ab eodem iudice potest, à superiore potest. Plinius IIII. Epistol. Prætor Senatori multā dixit, egit ille in Senatu causam suam sic vt deprecaretur, remissā est multa.

*LV. De defensoribus ciuitatum.*

**M**agistratus de quibus actum est supra, vel in vrbe Roma veteri aut noua Rempub. administrant, vel in aula principis, vel in prouincijs, & ex his alijs diœceses regendæ, commissæ sunt, alijs prouinciæ singulæ. Hi de quibus sunt hi postremi tres tituli, non vrbis, nō prouinciæ, non diœceseos, non aulæ, sed ciuitatum singularum potestates sunt. Et defensores ciuitatum in primis, similes tribunis plebis qui olim in vrbe fuerunt. Nam & defensores plebis dicuntur, defensores locorum, patroni, parentes rusticorum & suburbanorum, l. 3. & 4. hoc tit. l. 1. tit. vlt. huius lib. l. vlti. inf. de princ. ag. in reb. & reprehensionem habent sicuti Tribuni plebis. l. 21. sup. de ep. aud. No. 15. in qua plenius scripsimus de officio & iurisdictione eorum. Sed inuenio etiam ad eorum curam pertinere persecutionem seruorum fugitiuorum Reip. ex l. mancipia. inf. de ser. fug.

*LVI. De magistratibus municipalibus.*

**I**n quibusdam ciuitatibus erant defensores tantum, l. in hac. inf. de donat. in quibusdam defensores plebis, atque etiam magistratus municipales, plurimum Duumiri, similes duobus Consulibus pop. Romani. Et sumebantur quidem Duumiri ex ordine decurionū, defensores ex plebe, l. 2. sup. tit. prox. vtriq; decreto clerico-  
rum,

rum, honoratorum, possessorum, decurionum, l. 8. cod. l. 1. D. ad l. Iul. de amb. No. Leonis 46. & 47. ex quibus tamen hodie etiam creatio eorum pertinet ad principem, Vtriq̄ue habent ius conficiendorum actorum, l. pen. sup. tit. prox. l. 2. hoc tit. præsentibus scilicet tribus curialibus & exceptore publico, vt l. 151. C. Th. de decur. & No. Th. de trib. fis. Vtriq̄ue habent ius dandi tutoris. l. 3. D. de tut. & cur. da. §. nos autem. Insti. de Att. tut. Cæterum quam inuenio legis actionem aliquando esse apud magistratus municipales, l. vltim. inf. de man. vind. l. 4. D. de adopt. & Pauli 2. Sent. tit. 25. nusquam inuenio esse apud defensores plebis: & rursum quam inuenio multæ dictionem nõ esse apud defensores, l. 5. sup. ti. prox. suspicor fuisse apud magistratus municipales, licet pœnali iudicio iurisdictionem suam tueri non potuerint eo scilicet de quo agitur. l. 1. D. Si quis ius dic. non obt. nam & pignoris capionem habent, l. quemadmodum, §. Magistratus. D. ad l. Aquil. l. 4. §. 1. de dam. inf. l. 3. §. 1. D. de reb. eor. & c. & modicam coercionem in seruos, l. 12. D. de iurisd. l. si priuatus. D. qui & à quib. man. l. 15. §. adijcitur. D. de iniur. Maior igitur est Magistratuum quàm defensorum potestas.

*LVII. De officio Iuridici Alexandria.*

Constitutio huius tituli docet etiam iuridico Alexandriae ius esse actorum conficiendorum. Fuit & ius dandi tutoris & legis actio, l. 1. & 2. D. eod §. nos autem. Inst. de Att. tut. & iurisdictionio in Alexandria ciuitate, & inde iuridici nomen proprium, quod poterat esse commune, *Ἰουριδικὸς* Straboni, æquidicus antiquis inscripti onibus, sub præfecto Augustali & ipse Augustalis. Ordo autem siue curia Alexandriae initio nulla fuit, sed neque vllus Alexandrinus in Senatum vrbs cooptari potuit ex lege Augusti, post Seuerus Alexandrinis ius curiæ dedit, Antoninus ius in Senatum cœundi, auctore Dione lib. LI.

# CODICIS IVSTINIANI LIBER II.

## TIT. I. De edendo.



Xpo sitis officijs diuersorum iudicum, ordinem tractandum suscipit quo de iure suo quisque apud iudices experitur, & initium facit ab editioe actionis, vt Vlpianus quoque & Paulus libris ad edictum, vt inde fiat verisimile etiam ab editione cœpisse edictum perpetuum, cuius ordo vtique magis obseruatur in Codice quam in Pandectis & vero Pandectæ initium faciunt à vocatione in ius, non ab editione actionis, & defendi possunt hac ratione, quò eodem fere tempore & reus vocaretur in ius & ei ederetur actio, quæ res efficit, vt omnium actionum instituendarum principium dicatur proficisci à titulo De in ius vocando, in §. vltim. Instit. de pœ. tem. lit. vt æquè contra possim dicere omnium actionum instituendarum principium proficisci à titulo de edendo. Nam facile constitui non potest, editio vocatione, an vocatio editione tempore prior fuerit, coniunctæ potius & adfines videntur atque contiguæ. Est autem edere actionem demonstrare specialiter genus futuræ litis, l. 3. hoc tit. vel exprimere specialem & nomen actionis, l. vltim. inf. de interd. Editio, præparatio & indicium litis. Contestatio, initium litis atque iudicij, & de editione actionis est tantum in hoc tit. l. 3. Aliæ leges pertinent ad quæstiones adfines, an reus edat actori rationes suas, an actor reo, an acta publica edantur cuilibet postulanti, propriè ad edicta de edendo non pertinent, quæ sunt tantum de edendis actionibus, & instrumentis litis, &

de edendis rationibus argentariorum. Inuenio & reis accusatores edere

crimina v. sentent.

Pauli.



II. *De in ius vocando.*

**I**N ius vocare non est libellum dare iudici, l. 5. D. cod. l. quæsitum. D. ad Turpil. non interpellare iudicem defensionis suæ audiendæ gratia, l. 14. D. cod. sed ducere vel trahere inuitum ad iudicem agendi gratia, quo genere hi quibus reuerentiam debemus honestè non vocantur, nisi præmissa venia. Venia conseruat reuerentiam illæsam.

III. *De pactis.*

**F**Rustra aduersarium in ius vocasti, & ab eodem frustra stipulatus es iudicio sisti, si tecum postea de re transigerit ante vel post diem in quem sisti promisit. Nam & si contemnat promissionem iudicio sistendi causa factam, vel stipulatio non committitur, vel eliditur exceptione pacti aut transactionis. ideoque in hoc iudiciorum instituendorum exordio, quo plerunque litium transactiones fiunt inter partes, quæ pactorum species sunt, titulos dedit de pactis, & de transactionibus. Pactum est conuentio cuius nullum neque nomen proprium subest, neque causa. Vel, res de qua cõuenit, quæ nomẽ non habet aliud quàm pacti, quæque nondum vlla ex parte paciscentium sumpsit effectum. Denique pactum nudum, solum, simplex, quod κατ' Ἔξαιρητον nudum dicitur, ἢ πρὸς Διαβολήν. Græci ita definiunt, si neque datione aut facto vlllo præcedente conuenierit tantummodo de dando vel faciendo, quæ definitio etiam in stipulationem cadit. Sed hæc proprium & speciale nomen habet, quod lex dedit, vt appareret non inanẽ, non inefficacem conuentionem esse, non inane nomen. Sed & si defineris conuentionem esse quæ placiti sine stetit, vt l. si tibi, infr. de loc. l. si diuisionem, infr. fam. ex. vt Quintiliani declamatione quadam, Intra verba primumque promissum stetit: idem conueniet emptioni v̄ editioni, quæ tamen contractus est, non pactum, quia ei iure geatium proprium nomen inditum est.

IIII. *De*

IIII. *De Transactionibus.*

**T**Ransactio, est pactio qua lis vel controuersia & res aliqua dubia perinde ac iudicato dirimitur. Nec enim minus ex transacto, quàm ex iudicato euentus litis pendet, l. vlt. D. mand. Vel, decisio litis aut controuersia facta consensu partium. Controuersia, est litis causa. Lis, est controuersia quæ iam contestata est tabellis obfignatis, vel res in iudicium reducta. Pacti nomen latius patet, quàm transactionis. Nam pactum fit etiam de re certa & indubitata donationis causa, veluti pactum de non petendo debito. Transactio est pactum quod fit tantum de lite incerta, neque iudicata aut de re dubia, l. i. D. eod. veluti de conditionis incerto, l. i. supr. de pact. atque ita nunquam fit gratuito, nunquam donationis causa, sed aliquo dato vel retento vel promisso, l. 38. hoc tit. & à donatione separatur, l. ex conducto. §. Pap. D. loc. l. quidam. D. de donat. l. tutores. §. ab eo. D. de adm. tuto. Deniq; transactio refertur ad litē vel negotium aliquod ambiguum: & vt quidam ait, est εἰρηνικὰ ἐναλλαγαῖ.

V. *De errore calculi.*

**P**ost titulum de transactionibus datur hic titulus, quasi pars illius, vt intelligatur corrigi transactionem, si erratum sit in computatione, nisi specialiter etiam de errore computationis transactum vel iudicatum sit. Quod idem & de dolo & de falso superiore titulo proditū est. Valdè autem pertinet ad cōstitutionem huius tituli hæc sententia Pauli, Ratio calculi sæpius se patitur supputari, atque ideò potest quocunq; tempore retractari, si nō longo tempore euanescat.

VI. *De postulando.*

**R**ectè sequitur pacta & transactiones titulus de postulando. Nam si rem pacto non decident inter se partes, quid aliud superest, quàm vt desideria sua exponant apud iudicem per se vel per aduocatam, & fuit eodem

dem quoq; ordine in x i i. tab. ita per scriptum, Rem ita  
 ni pagunt, in comitio aut in foro ante meridiē causam  
 conijcito, id est, agito. Postulat, qui causam agit & tue-  
 tur suam vel alienam, quod fit non litis contestatione  
 tantum partibus præsentibus, sed & qualitercūq; etiani  
 aduersario absente aut nullo aduersario existente. Postu-  
 lationis enim nomē latissimè patet. Fuit autem sub hoc  
 tit. propositum edictum prohibitorium de his qui apud  
 iudices postulare non possunt, quibus cōstitutiones ad-  
 dunt etiam alios, putà non Christianos, l. vlt. & eos qui  
 depecti sunt partem litis quam tuendam susceperunt, l.  
 5. & qui sunt ex numero iudicum, quos tamen olim non  
 fuisse prohibitos constat ex i i i. Epist. Plinij, & qui dati  
 à iudice non inuenienti patronum, pro eo postulare de-  
 tractant sine causa, l. pen.

*VII. De aduocatis diuersorum iudiciorum.*

**S**equitur titulus de his quibus postulare pro alijs li-  
 cet, quippe postulant in foro diuersorum iudicum,  
 præf. prætorio putà aut præf. vrbi aut præsidum, horum  
 variæ sunt appellationes. Nam & patroni dicuntur &  
 aduocati & causidici, quòd cur quæque facta sint expedi-  
 ant, vt Apuleius ait i. Apol. & oratores, rhetores, scho-  
 lastici, togati. Fuit quidem olim differentia inter patro-  
 nos & aduocatos. Illi agebant causas, hi aduocabantur  
 in cōsiliū. Cicero pro Cluent. Quis enim vnquā non  
 modò in patroni, sed in laudatoris aut aduocati loco  
 viderat. & Asconius Pedianus. Qui defendit alterum  
 in iudicio, aut patronus dicitur, si orator est, aut aduo-  
 catus, si aut ius suggerit, aut præsentiam suam com-  
 modat amico. Sed hodie his nominibus abutimur, &  
 aduocamus patronum, vt agat litem nostram, inuoca-  
 mus iudicem, vocamus aduersarium, euocamus testem  
 ita scilicet hæc in iure verba distinguenda sunt. Porro  
 certus fuit in vnoquoque foro aduocatorum numerus  
 ingenuorū vel libertinorum, certa matricula, l. vlt. supr.  
 de adfess. certum corpus. consortium, collegium sub pri-  
 mice-

micerijſ qui priores & primates dicuntur hoc tit. & quæ intra hunc numerum ſtatuti dicebãtur, qui vltra, ſupernaturarij ſtatuti priuilegarij. Nam & fori priuilegium habent, & immunitatem, & ſi filijfam. ſint, quod ex ea profeſſione adquireunt, id omne ſibi habent & poſſident tanquam caſtrenſe peculium, & filij eorum quotiens in locum ſtatutorum demortuorum ſupernumerarij ſufficiendi ſunt, præferuntur cæteris ſupernumerarijs etiã in aduocationis officio exercendo antiquioribus, nihilque impendunt pro introitu. Habent & pleraq; alia conſtitutionibus conceſſa priuilegia reuerentia ſtudiorum, vt ait l. 5. reuerentia literarum, contemplatione literatæ militiæ, vt No. Valentiniani de poſtul. Supernumerarij non ſunt priuilegarij, ac propterea ſtatuti ſuo foro nunquam excedunt, ſupernumerarij oberrant circum fora omnia, & publica quoque ſolaria ſiue annonas & præbendas illi habent, hi non item, & hac diſtinctione habitata apud Phoſtium diaconus quidam contendit clericis quidem non licere aduocatis eſſe ſtatutis, ſed ſupernumerarijs eſſe licere, aut certè talibus, quales ſunt hodie omnes nulli additi certo foro, nulli ordini vel matriculæ vel ſalario publico.

### VIII. De aduocatis fiſci.

**R**Eſtè iungitur hic titulus ſuperiori, non quaſi ille ſit de his qui priuatorum, hic de his qui fiſci cauſas agunt, ſed etiam quia ex corpore illorum deliguntur aduocati fiſci ſecundùm ordinem quo recepti ſunt in numerum aduocatorum, id eſt, ex formula forẽ ſi, vt Spartianus loquitur in Antonino Geta, qui cauſis fiſcalibus interueniant & delatorum intentiones exequantur, vt l. 5. §. aduocatum D. de his qui vt indig. l. 5. inf. de dilat. & quos deficiente alio accuſatore vt ſit hodie, & feciſſe Maximum Imp. Galliarũ Sulpitius refert in hiſto. ſacr. princeps opponat accuſatores reis. Hi quoque multa habent priuilegia atque etiam liberi eorum, & hi potiſſimum, qui in foro præfectorum prætorio fiſci cauſas agunt,

com-

communia in eodem foro cum aduocatis LXIII. pri-  
oribus, & in foro præfecti vrbi cum XV. l. 15. & 16. sup-  
tit. pro. & inde Nou. Theod. de postul. Curiales, inquit,  
qui post LXI V. priores aduocatos in amplissimo foro  
postulant, per substitutum munia suæ ciuitatis agnosce-  
re. & hæc priuilegia omnia proponuntur titulo superio-  
re. Hic tit. est de officio aduocatorum fisci, veluti ne ab-  
sentibus his procurator Cæsaris disceptet causas rei pri-  
uatae vel ærarij sacri, l. vltim. ne alij cuiquam adsint con-  
tra fiscum quandiu sunt aduocati fisci, etiam si de publi-  
co nondum salarium acceperint, l. 1. ac ne deposito qui-  
dem officio in ea causa quam cum erant aduocati fisci e-  
gerūt pro fisco, l. 2. nisi fortè suo aut liberorum aut pa-  
rentum aut pupillorum suorum nomine, l. pen. & vlti.  
D. de postul. Nam & aduersus quem aduocatus quis fu-  
it, eius filij pupilli tutor relictus, in eadem causa pupillo  
adesse potest, vt ex Massurio Sabino Gellius refert. V. c.  
XIII. & principis rescripto confirmatur d. l. vltim. Ac  
præterea ne aduocati fisci supprimāt iura fiscalia, ne sub  
nomine fisci falsas accusationes instituant, l. 3. & eleganter  
Philostatus in Cyrino, aduocationem siue patrona-  
tum fisci, patronatū ærarij, l. pen. sup. tit. prox. vocat τὴν  
τῷ τὰ μείζων γλῶττιον, & Basilius in epist. συνήγορον τῷ τὰ μείζων,  
qui interueniat pro fisco in aula apud Comitem thesau-  
rorum, id est, sacrarum largitionum. In prouincijs scilicet  
apud procuratorem Cæsaris, in vrbe apud præfectū  
ærarij.

*IX. De errore aduocatorum vel libellos seu  
preces concipientium.*

**D**E aduocatis hoc quoque proprio titulo adnotandū  
censuit, errorem aduocatorum non nocere litiga-  
toribus absentibus, nocere præsentibus nec cōtradicen-  
tibus intra triduū. & addit errorem quoque libellionum  
nihil nocere litigatoribus, l. 2. separantur libelliones ab  
aduocatis. Hi agunt, illi scribunt. & ita l. moris. D. de  
pœ. alias interdicitur aduocatione, alias libellorum con-

ceptione, libelli qui & epigrammata Aristoteli in Rhetoricis, sunt preces vel inscriptiones in crimen, vel conventiones, vel acta, vel literæ dimissoriaræ latius igitur libellorum quàm precum nomen.

*X. Quæ defunt aduocatis partium iudex  
suppleat.*

**H**Oc quoque dignum erat de aduocatis proprio titu. indicari, posse iudicem supplere ea quæ defunt partibus vel aduocatis, dicere putà & quærere ea quæ dicto quæsitoq; opus sunt, etiamsi is cuja res est, ea neque dicat neq; postulet, qua de re dubitabatur, propterea quod vt est apud Gellium XIII. c. II. patrocinari hoc videtur esse, non iudicare. Sed vt negotio possit iudex cõgruam imponere sententiam, & certam, sane nonnunquam cogitur vicem supplere aduocatorum aut partium. & similiter recte l. vlt. infr. de appell. iudicem absentis litigatoris partes adimplere, atque ea re hunc titulum malim ita concipere, *vt quæ defunt aduocatis, vel partibus iudex suppleat.*

*XI. De causis ex quibus infamia alicui non  
inrogatur.*

**Q**Via infames aduocati esse non possunt nisi pro exceptis personis quibusdam, l. i. §. ait prætor. D. de postul. nec si hoc facile velint & ferant aduersarij, vt Paulus ait l. Sent. tit. II. & l. quos D. eod. quia ea res pertinet ad dignitatem iudicis, ne apud eum temerè infames audiantur, ideo hic titu. vt perseveret dicere de his qui pro alijs postulare possunt, exponit causas, de quibus tamen ambigi poterat, ex quibus infamia non inrogatur, ne quis temerè aduocato obijciat infamiam quæ etiã procuratori obijci potest tam ex sua, quàm ex mandatoris persona, quia honor est per procuratorem litigare posse quo indignus est infamis. quanquam in procuratore hæc hodie exceptio subtilius non spectetur, relicto principali negotio. §. vlti. Insti. de excep. Aduocatorum maior est dignitas, qui tacentibus procuratoribus, verba faciunt

faciunt apud iudicem , aut certe aduocatorum corpus  
 seminarium dignitatum, vt Valentinianus ait in Nou-  
 de postul. ex quo scilicet sumuntur & patroni fisci, &  
 quæ amplissima dignitas est quæstores sacri palatii, vt  
 in formulis Cassiodori, & sane indecorum esset si infam-  
 is famæ forsitan alterius tuendæ adlisteret, qui suam  
 nescierit conseruare. Sic autem vt proposui concipi-  
 endus est titulus. Nam causæ in eo illæ potius recensentur  
 quibus infamia non inrogatur, & præter ver. lib. eti-  
 am in Basilicis concipitur, *πρὸς τὴν ἀτιμίαν δὲ τῶν ἐπι-  
 μισθίων ὅντι προσγίνεται*. Illæ non recensentur qui-  
 bus infamia irrogatur, sed intelliguntur per consequen-  
 tiam, vt cum dicitur eum qui abstinet bonis paternis  
 vel qui suis bonis cessit non esse infamem, hoc dicitur  
 ad differentiam eius, cuius bona ex edicto possessa &  
 distracta sunt, & quod dicitur non notari infamiam eum  
 qui nomine reip. suæ causam aliquam egit nec obtinuit,  
 hoc dicitur ad differentiam delatorum. Est autem infam-  
 ia læsæ dignitatis status, vel macula existimationis,  
 vel damnum famæ, quæ & diffamia dicitur. Augustinus  
 in quæst. vet. test. Senatoribus fœnus diffamia est qua de  
 re Lampridius in Alexandro, & l. 2. & 3. C. Th. de vsur.  
 Infamis, qui honestioris nobilisque personæ decore &  
 iure priuatur, l. 2. inf. de sec. nup.

XII. De procuratoribus.

**N**ON solum aduocati, sed etiam procuratores aliam  
 defendunt in iudicio, patrocinantur, adsunt, adli-  
 stunt, supersunt, postulant pro alio. idcirco aduocatis  
 proxime procuratores recte coniunguntur. Aduocati  
 sunt oratores vel iurisperiti qui causis alienis agendis  
 adsunt. Procuratores, qui vice, mandato, nomine alieno  
 litem persequendam suscipiunt, & vel in rem suam ac  
 propriam lucrum, si verbi gratia donandi animo  
 mandata eis sit actio, vel in rem alienam, si manda-  
 ta sit non donandi animo, sed hac mente vt ex causa

judicati emolumentum ad mandatorem rediret, quales iure antiquo constitui non poterant, exceptis quibusdā causis, vt Inffit. tit. de his per quos ag. poss. Aduocati personam suscipiunt. Procuratores negotium. & inde aduocato meo sum susceptus vel cliens: procuratori, mandator vel dominus. nec enim cum aduocato contraho mandatum, sed applico me in fidem eius & clientelam quasi patroni.

XIII. *Ne liceat potentioribus patrociniū litigantibus præstare, vel actiones in se transferre.*

**P**ARS est tituli superioris. nam verat potentiores, id est eos qui gratia & opibus pollent, ad agendum procuratores fieri. Puto potentiores causam orare pro quolibet & aduersus quemlibet posse, l. quisquis. supr. de postul. Sed nō possunt etiā agere procuratorio nomine aduersus mediocres, qui, vt ait Gaius in l. 3. D. de ali. iudic. mut. ca. fac. potentioribus pares esse non possunt. quod dictum prouerbij speciem habet, nam & Pindarus, χαλεπὰ δ' ἔρις ἀνδρῶ ποσσὶν ὀμιλᾶν κρείσσονων. & Hesiodus, ἀφρωρ δ' ὄσκη' ἔπειλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφίριζαν. Et patrociniij nomine in hoc titulo significatur procuratio, nō aduocatio. nec enim minus, imò magis patrociniū litiganti præstat procurator qui quasi rem suam agit, viget, instat, imminet rei semper, quam aduocatus. Et **Q**uod adijcitur *vel actiones in se transferre*, eo pertinet vt intelligatur, neque potentiori recte mandari actionem vt eam intendat procuratorio nomine sicut diximus, neque vt eam intendat suo nomine omni iure & emolumento litis in se translato, quam operam à potentioribus eliciunt facile creditores vel prece vel pretio aut pactione certa. & longe alia est causa Constitutiones Anastasij in l. penul. inf. mand. ea enim est de redemptoribus actionum alienarum. Cōstitutio autem Claudij, de qua agitur in hoc ritu. est de his qui actionum suarum alios redimunt exactores, de quē redēptis actoribus. & rursus hoc



hoc distat hic titulus à titulo siue edicto de alienatione iudicij mutandi causa facta, quod hic titulus est de lite siue actione, edictum de re translata in potentiolem ab eo qui eius rei nomine verebantur ipse iudicium accipere. Punitur autem hoc titu. nam potentior qui suscepit, quam creditor qui ei cessit actionem. hinc enim ius crediti amittit. ille verò extra ordinem prout præfidi prouinciæ visum fuerit. Nam ex Constitutione Claudij huius rei coercitio pertinet ad præsidem, etiam si Senator aut clarissimus sit is qui alienam actionem suscepit exequendam, cum tamen alias de Senatorum delictis iure veteri cognitio sit principis vel præf. prætorio vel præf. vrbi, non præfidi prouinciæ, vt dicemus lib. 3. tit. 24. Potentiores sunt, qui opibus & gratia valent, & conuentu sunt difficiles.

*XIIII. De his qui potentiorum nomine titulos præsidij adfigunt, vel eorum nomina in lite prætendunt.*

**A**dditur de potentioribus, ne rei qui cõueniuntur suo nomine contradictorijs libellis falsa nomina Senatorum vel aliorum potentum inferant, ne falsos titulos prædijs quorum nomine conueniuntur, imponant, qui prædia scilicet adferant potentioribus, quod plerumq; faciunt possessores vel diffidentia causæ suæ vel aduersa in perterrefaciendi aut submouendi gratia, dum ita scilicet quodammodò negant suum esse prædium, & adferunt eius esse quem titulus commendat. qua de re D. Augustinus in hunc fere modum Psalm. 21. Ne domum ipsius petat aliquis, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces, ipse vult esse possessor, & frontem domus suæ de alieno titulo muniri, vt cum titulus lectus fuerit, conterritus quis potentia nominis absteineat à petitione. Porro non licet etiam sine titulo in litibus potentioris nomen ementiri & prætere, quod est ἐπιφνημίση. Et potens qui hæc fieri scit & patitur ipso iure notatur infamia qua redemptor calumniæ, & ἀνομιᾶτος, vt Græ-

ci notant ex his verbis legis, adficiendi sunt, publicæ sententiæ nota, etiam si nulla condemnatio interuenerit. Is autem qui potentum nomine abutitur, causa cadit. vel si iniustam causam habuerit, plumbatis cæsis damnatur in metallum.

*XV. Vt nemo priuatus titulos prædijs suis vel alienis imponat vel vela regia suspendat.*

**D**E titulis etiam hic agitur non iam potentiorum, ut titulo superiore, sed principis nomine aut sacrarum necessitudinum principis, ut additur in No. Theod. de trib. fisc. ne quis eos sine auctoritate iudicis imponat prædijs suis vel alienis, etiam si sit iniustus possessor aut prædoris qui ea tenet, ve etiam si in ea causa sint prædia ut fiscus vindicari debeant. Eum qui suo prædio imposuerit titulum principis, prædium amittere, & titulo non deposito prædium vindicari fisco, & ut ait Augustinus in Sem. principem titulum non deponere, & possidere prædium, quia inuenit ibi titulum suum, Eum vero qui alieno prædio titulum principis imposuerit, si plebeius sit quasi ex causa criminis extremi, adfici extremo supplicio, si honestior, plecti maxima capitis deminutione. Tabulas titulosve impune diligi & frangi, à quolibet quantumuis licet nomine principis inscribere. Prædium non publicari, cui inscio domino vel possessore alius titulos regios imposuerit. Denique iudicum esse titulos adfigere prædijs nomine principum redactis aut redigendis in fiscum, ut l. 3. infr. de bon. vac. l. 2. infr. de aquæduc. l. vlt. D. de requ. nec abs. damn. l. 11. & 20. C. Th. de bo. prof. non priuatorum, non procuratorum, actorum, conductorumve prædiorum principalium. ut est in no. Tiberij de diuinis domib. Idemque constituitur de velis purpureis principis, seu de imaginibus & characteribus, ut est in eadem No. Tiberij, ne quis scilicet vela regia suspendat ædibus suis vel alienis. Solebant foribus ædium prætendi vela, ut rectè Aeschylus  $\chi\alpha\theta\acute{\omicron}\rho\acute{\omicron}\rho\omicron\iota\varsigma$  dixerit

It Βηλὸν ἔρμειον (est enim vox veli Græca) & Stephanus: Βηλὸν Βηλὸν τὸν ὀδὸν τῆς θύρας. & inde leuato velo, id est, aperta fore, l pen. infr. de naufr.

*XVI. Ut nemini liceat sine iudicis auctoritate  
signa imponere rebus quas alius  
tenet.*

**TIT. XIII.** fuit de titulis potentiorum, xv. de titulis regijs, hic verò xvi. est de titulis proprijs, ne quis rei mobili vel immobili quam alius detinet, ipse suā sorte aut sibi debitam vel obligatam esse contendit, ante sententiam sigillum suum imprimat, vel titulos sui nominis adfigat, nisi velit suis omnibus rebus quasi publicatis titulos fiscales apponi, quæ est pœna Nou. 17. imò & extremum supplicium, No. 164. Post sententiam si vice rit licet cuiq; rei suæ suum titulum vel signum imponere. Titulus præfert nomen domini. Signum characterē, siue aposphragisma anuli signatorij.

*XVII. Ne fiscus vel Respubl. procuracionem  
alicui patrociniy causa in lite  
præstet.*

**Q**UOD de potentioribus tit. xiii. idem isto cauetur de fisco & Rep. ne procuratorem litis alienæ in perniciem priuatorum suscipiat, nec hoc prætextu quod is cuius est debitor sit fisci vel Reip. nec quod partem litis donauerit fisco vel Reip. quæ donatio non recipitur, l. 2. hoc tit. l. res. §. lites. D. de iu. fil. & illud quoq; mandatum nullum, si debitor fisci mandet fisco actionem aduersus debitorem suum, l. 3.

*XVIII. De negotijs gestis.*

**S**Equitur titulus de procuratoribus voluntarijs, qui sine mandato dominorum sua sponte litibus se vel negotijs alienis immiscent. Hi sunt qui Gestores appellantur. Procuratores qui ex mandato dominorum constituuntur, de quibus actum est supra, necessarij sunt, non voluntarij. nā etsi beneficij & nudæ voluntatis sit manda-

tum suscipere, necessitatis tamen est consummare id quod susceperis semel, l. in cōmodato. §. sicut. D. Cōm. §. mandatum, Instit. de mand. etiam si nondum quidquā gerere cœperis, l. si remunerandi. §. 1. D. manda. Qui autem sine mandato accedit ad negotium alienum, non ante obligatur, quàm id gerere cœperit. verùm vbi cœperit, deserere quod inchoavit non potest, d. §. sicut. At alijs quoque eiusdem amici negotijs gerendis non obstringitur. propria enim voluntas finem ci administrationis facit, vt ait l. tutori, hoc titu. id est, vt Græci interpretantur, ὅτε βέλεται ἀφίσταται, quia satis abundeque sufficit, si cui vel in vno negotio amici labore consulatur. Quæ verba l. tutori. sumpta sunt ex Papiniano in l. tutores. §. qui se. D. de adm. tut. Ergò negotiorum gestorum actio datur tantùm voluntario procuratori, actio contraria scilicet, nisi donandi animo sumptus fecerit, purà affectione paterna, maritali, domestica, vel obsequio libertino, l. 1. §. 11. 12. 13. 15. hoc tit. & nisi post denunciationem & prohibitionem domini, l. vlt. hoc titu. Directa datur dominio negotiorum in gestorem doli vel culpæ nomine. Et rursus contraria directo tantùm datur gestori voluntario, vtiliter datur etiam ei qui vel ex necessitate officij quod inuitus suscepit, vel quasi ex necessitate serui errās in statu cōditionis suæ negotia aliena gessit, veluti curator adolefcentis aut furiosi, vel ei qui falso seruum se opinabatur eius esse cuius negotia gessit, cum liber esset, & vicissim in eundem adolefcenti aut furioso eive ad quem res pertinet, l. ob negotiū, hoc tit. l. 3. §. pen. l. 6. si quis quasi seruus. D. eo. nam vt ex mandato est mutua actio, directa & contraria, ita ex negotijs gestis directa in gestorem, contraria in dominum etiam inuitum & ignorantem, l. 2. l. soluendo. D. eod. licet actio mandati non detur in inuitum vel ignorantem, l. qui fide. D. mand. Oriuntur quidē ex gestione negotiorum alienorum etiam mādati, & tutelæ, & protutelæ, & funeraria, & de in rem verso, & actio in factū ex edicto de rebus auctoritate iudicis possidendis, sed quæ

hoc

hoc tit. proponitur negotiorum gestorum sola sibi vindicavit nomen, vel Negotiorum simpliciter, vt l. 6. Cod. Th. de denun. rer. Dicuntur & aliæ omnes actiones quæ sunt ex contractu vel quasi contractu, esse ex negotio gesto. nam contractus omnis, negotij contractus est. & contractus dicitur per defectiõnem. nam plena oratio est negotij contractus. Sed non sunt ex alieno negotio gesto, illa tantum *πλειὰς* actionum est ex alieno negotio gesto.

XIX. *De his quæ vi metusve causa gesta sunt.*

NEGOTIA gesta videntur traxisse iuris conditores ad gesta vi metusve causa. illa prætor tuetur datis vltro citroque actionibus negotiorum gestorum, hæc verò rescindit. & negotijs gestis in rem actio non est, sed in personam, l. penult. supra tit. prox. atque idè perpetua, l. 8. eod. Per vim aut metum re aliqua gesta non tantum est actio. Quod metus causa in rem scripta, vt ipsa in personam quæ vim aut metum intulit, sed etiam in rem actio cum eo tamen vt vna electa altera consumatur, l. 3. hoc tit. l. 9. §. volenti. §. licet. D. eo. Et actio quidem quod metus causa, quæ in hoc tit. proponitur, intra annum vtilè datur in quadruplum, si arbitrio iudicis res non restituitur, post annum in simplum causa cognita, id est, si alia actio non sit, l. 4. hoc tit. l. item si cum. §. post annum. D. eod. est enim actio extraordinaria, nec datur habenti ordinariam, ac prætereà superior titulus est de his qui rem alij gerunt honesta ratione, hic de his qui rem gerunt sibi mala ratione moreque malo illata vi, illato terrore aliquo maiore, extorquendo inuitis fortè alienationem, vel obligationem, vel transactionem, quas LXX. interpretes vocant Esaiæ LVIII. *σφαγαλίας βιαίων σωμαλλαγμάτων.*

XX. *De dolo malo.*

SEquuntur gesta dolo malo. quo verbo & gesta vi aut metu comprehenduntur, l. item si cum. §. cum qui. D. quod met. caus. Sed & innumera alia, quæ etiam prætor rescindit data in personam actione famosa quanti ea res est de dolo malo causa cognita. nec enim passim indulgetur, non certè si alia actio sit, l. 2. hoc tit. non aduersus parentes vel patronos, sed in factum, quæ detracta infamia eandem vim habet, quàm actio de dolo malo, l. si superstitite, hoc tit. Et rursus hæc actio quæ olim dabatur intra annum utilem, hodie ex eo tempore quo dolo admissus est, datur ex Constitutione Constantini intra annum continuum, & ex die quo impetrata vel contestata est finiri debet intra biennium continuum, l. vlti. hoc tit. Actio famosa breuiori tempore constringitur. Diuturnior est actio Quod metus causa, quæ non est famosa, & in quadruplum durat quadriennio continuo atque etiam post quadriennium in simplum. Vt autem, quæ dicebatur olim de eo Quod vi metusve causa, hodie dicitur de eo quod metus causa, quia metui inest vis, ita hæc quæ dicebatur de dolo malo & fraude, l. i. D. de his qui no. infa. hodie dicitur simpliciter de dolo malo quia dolo malo inest fraus. De vi & fraude loquimur, quæ est cõtra bonos mores. nam vis quæ moribus fit & fraus fide bona, in has actiones non cadit.

### XXI. De in integrum restitutione minorum

SEquuntur gesta cum minore XXV. annorum natu, quæ perinde ac gesta metus causa vel dolo malo in cõfilio causa cognita rescindit prætor intra annum utilem iure veteri, intra quadriennium continuum iure nouo, postquam is XXV. annum impleuit, videlicet si minor læsus & deceptus probetur in re, etiamsi dolo absit aduersarij, l. minoribus, hoc tit. & postulauerit se in integrum restitui, hoc est, in eum locum & in eam causam reponi vnde excidit. In integrum restitutio est redintegratio amissæ causæ, l. 2. infra titul. 40. & dicitur proprie de circumscriptis adolescentibus ingenuis aut liberti-

nis, quia auxilium huius ætatis proprio nomine nō censetur, nec enim actionis beneficio tribuitur, sed cognitione prætoris. Quæ ex metus causa aut doli aut absentia aut capitis minutiōis vel ex alijs causis restitutiones dantur, actionis restitutoria vel rescissoria nomen habent. Et duxi quidem ordinē à negotijs gestis pro alio ad gesta metus causa vel dolo malo vel cum adolescente, sed confirmatur etiam hic ordo ex eo quod edictō superiore de postulando hæc inerant verba, Qui ex omnibus his in integrum restitutus non erit, l. 1. §. deinde. D. de postul. quæ de in integrum restitutionibus tractatum et filagitant. Item quod sub titulo superiore de procuratoribus hæc quoque incidebat quæstio, an causa in integrum restitutionis agi per procuratorem posset, vt infra tit. 48. Item quod de potentioribus cum esset actum supra tit. 13. & 14. ad quos re vel lite translata cōstabat ei ad quem ea res pertinet dari restitutionem in integrum ex edictō de alienatione iudicij mutandi causa facta, inde probabilis sumeretur occasio tractandi de omnibus causis restitutionum. & ad extremum de ea quam præbet alienatio facta iudicij mutandi causa, infra tit. 54.

### X XII. De filiofam. minore.

POst generalem titulum de restitutione adolescentiū, sequuntur speciales, quibus quæstiones multæ cum tractatum pertinentes explicantur. ac prima quidē hæc, an etiam filiofam. minori XXV. ann. detur restitutio in integrum, si pater eius sit maior. nam si filium f. minorē restituis in integrum, per consequentias videris etiam restituere patrem qui maior est. quod est alienum à proposito prætoris. Sed hæc dubitatio remouetur, quia restitutio filij soli filio prodest, non patri ex eadem causa suo nomine obligato, l. 3. §. sed vtrum. D. de minor. l. vltim. in fr. tit. 42. Suo, inquam, nomine. Secus si filij nomine, si peculiari nomine, l. patri, in princ. D. eod. Itaque filiusfam. minor XXV. ann. in integrum restitui potest, si sit obligatus suo nomine, vt in casu l. i. (quæ in Basilicis est secunda, si fideiusserit pro extranco, vel pro patre

patre ipso ignorante. nam si non sit obligatus suo nomine, vt si ei pro quo fideiussit. heres extiterit, quo genere perimitur obligatio fideiussoria, d. l. 1. vel si pecuniam mutuam acceperit contra S. C. Macedonianum, non est necessaria restitutio l. 2. hoc tit. Imò & si obligatus sit, vno casu in integrum restitutio filiosa. denegatur, d. l. 2. & d. §. sed vtrum. putà si iussu patris mutuam pecuniã acceperit. Iussus efficit quo minus existimetur contra S. C. mutuam pecuniam accepisse, & vt conuentus filius. nō restituatur in integrum.

*XXIII. De fideiussoribus minorum.*

**V**T patri, ita fideiussori restitutio in integrū rei principalis lubrico inuentæ lapsi non prodest, l. Stichum, §. quod vulgo. D. de solut. nisi salua sit aduersario translatio iudicij in alium, l. minor. ff. de proc. l. si pupillus se hereditate. D. de adq. hered. vel nisi fideiussor ignorauerit minorem eum esse pro quo intercessit, argument. l. si Titius. D. de fideiuss. Restitutio autem minoris circumscripti dolo aduersarij, etiam fideiussori prodest, l. 7. in fi. D. de except. l. 1. & 2. hoc tit.

*XXIII. Si tutor vel curator interuenerit.*

**N**ON prodest restitutio patri eius qui beneficio ætatis restitutus est, vt tit. 22. non prodest fideiussori, vt tit. 23. Hic verò tit. 24. ostendit eam quoque non prodesse tutori vel curatori, nec ideò minus rescindi gestum minore XXV. annis, si captus probetur, quod gesta sint auctore tutore vel curatore, vel nomine eius per tutorem ipsum vel curatorem qui utique semper est maior xxv. an. scilicet quod possit adolescens suum seruare à tutore vel curatore. nam non vt ex prima & secunda edicti causa restitutio cessat, si alia actio sit aliave ratio seruandæ rei iurisque sui, ita ex ætatis causa, l. in causæ, 2. §. Pomp. D. de minor. quinimò fauore ætatis & ordinarium minori & extraordinarium auxilium suppetit, & electo vno non consumitur aliud, veluti electa actione tutelæ vel neg gestorum non consumitur ius petendæ resti-



restitutionis in integrum, l. vlt. hoc titul. Cessat quidem restitutio si minor ipso iure munitus sit, si contractus ipso iure non valeat, d. l. in causæ, l. siue generalis. D. de iur. dot. l. 4. infrà titu. 26. l. penultim. infrà titu. 30. Sed non si ei alia actio competat, qua ad ius suum peruenire possit.

*XXV. Si in communi eademq<sup>3</sup> causa in integrum restitutio postuletur.*

**N**ON prodest etiam restitutio minoris fratri consorti & quamuis communis res sit inter fratres, non est commune auxilium restitutionis in integrum, l. 2. infr. Si vnus ex plur. app.

*XXVI. Si aduersus rem iudicatam.*

**A**B hoc titulo incipit enumerare causas ex quibus solet minoribus dari restitutio in integrum. Prima hæc est, si contra eos litigantes tutorum vel curatorum auctoritate, vel contra tutores aut curatores aut procuratores litigantes eorum nomine iudicatum sit. nam si læsos se esse doceant, litem instaurari placet, quod est restitui rem aduersus sententiam vel aduersus rem iudicatã, quod hodie nõ fit, nisi allegetur error iuris aut facti. Excipitur res iudicata pro libertate, l. vlt. infr. tit. 30. præpõderat enim præualetq<sup>ue</sup> libertatis fauor.

*XXVII. Si aduersus venditionem.*

**S**ECUNDA hæc est, si quid rei suæ minores vendiderint, vel si quid tutores aut curatores eorum vendiderint, figmento tituloq<sup>ue</sup> venditionis potius quam venditione vera, ita vt ex ea lædi contingat minores iniuratos aut iuratos ex scripto tantum. nam obiurati corporaliter, putà tactis sacrosanctis Euangelij, vel manu sublata, vt apud Orpheum ὄρκια δὲ μακάριοντες, ἔσθην ἠνυδαῖον τοῦ δὲ χριστοῦ. vix rescindunt venditionē à se factã quãuis læsi & re ipsa decepti sint. & obseruanda est differentia inter duo genera dandi iurisiurandi ex l. 1. nam etsi instrumento iurauerit minor se esse maiorem, restitui potest

potest si instrumentis probauerit se minorem fuisse: *Si* corporaliter, nullo modo, l. 3. infr. si mi. se maio. dix. Et episcopi vel clerici corporaliter iurare vetantur, non ex scripto, si vera est distinctio Balsamonis tit. 19. Nomocanonis tit. 17. qua in concordiam adducit l. cum clericis, su. pr. de epi. & cl. cum l. 3. & 6. supr. de his qui ad Eccles. cōf. Titulus autem licet sit de venditione tantum, porrigitur etiam ad emptionem, si plus quam oportet emerint. l. pati, §. prædium. D. de min.

*XXVIII. Si aduersus venditionem pignorum.*

**T**ertia causa hæc est, si creditores pignora sibi obligata ex contractu minorum, vel capta ex causa iudicati, vt l. 1. hoc tit. l. 1. inf. de præd. min. non item ex contractu hereditario, vt l. 2. hoc tit. iure suo distraxerint, & ex ea re minores magno detrimento adficiantur.

*XXIX. Si aduersus donationem.*

**E**ST & hæc causa probabilis dandæ restitutionis in integrum, improbabilis donationis enormitas, vt ait l. 4. infra de inoff. don. Si minor xxv. an. immodicã & stultam rerum mobilium donationem fecerit auctore curatore. non etiam si seruato modo patrimonij sui eam spõsã fecerit ante nuptias, quando, vt ait l. 1. Cod. Greg. si aduer. don. Sp. fac. huiuscemodi causam communis voti cõplendi ratio prouocat. Dixi, rerum mobilium. Nam prædiorum donatio ipso iure non valet vlla ex causa, C. ædia infr. de præd. min. quæ coniungenda est cum l. 1. huius titu. Item datur ei restitutio aduersus donationem, si patri donanti alteri res mobiles iam pridem sibi emancipato donatas, inconsulta ætatis facilitate consensum accommodauerit, l. 2. hoc tit.

*XXX. Si aduersus libertatem.*

**E**T alia, si seruum manumiserit. Nam & à prætore non possit aduersus libertatem restitui in integrum, à principe potest magna ex causa, vt si remerè actorem bonorum suorum & columellã manumiserit, cuius dånã ad totius domus euerсионẽ pertineat, l. 10. D. de min.

XXXI. *Si aduersus transactionem vel diuisionem minor restitui velit.*

**P**Lacet etiam restitui minorem in integrum causa cognita, si fortè cum aduersario suo inconsultò transegerit tutore vel curatore auctore, vel si cum coherede aut socio diuisionem fecerit, l. pen. inf. com. diuid. Transactioni diuilio subijcitur, quasi species generi, quia diuilio plerumq; fit transigendi causa, & transactionem Græci hoc loco ἀπρησιν, vocant, quasi finem & consummationem negotij.

XXXII. *Si aduersus solutionem à debitore vel à se factam.*

**R**estituitur etiam minor si per errorem iuris soluerit indebitum legatum, vt l. 2. hoc tit. putà existimans iure factum testamentum quod ipso iure nullum erat, vt l. 11. inf. de test. man. quæ coniungenda est cum d. l. 2. Et rectè l. pen. sup. tit. 21. minoribus consulti in his quæ ignorauerunt, id est ignorantibus ius, vt l. 5. D. de l. Cor. de fal. l. 6. infr. de his quæ vt ind. Restitutus autem minor aduersus solutionem à se factam condicit id quod soluit. Item restituitur, si ei pecunia à debitore rectè soluta sit, & hanc perdidit, vt l. 1. & restitutus agit cum debitore pristina actione, perinde ac si debitor non soluit, necessaria est restitutio, quia debitor liberatur, etiam si curator non interuenerit, & si interuenerit, vix minor restituitur, l. ait prætor, D. de min. maximè si per iudicem facta sit, vt l. 25. infr. de adm. tut. Igitur de solutione à minore facta, id est l. 2. de solutione à debitore facta minori vel curatori eius, l. 1. nec in vet. lib. aut in Basil ita conceptus est titu. vt vulgò, *Si aduersus solutionem à tutore*, sed generalius, *Si aduersus solutionem à debitore vel à se factam*, ἐὰν ἢ τῷ πλὴν διαλυσι πλὴν πρὸ τῶ χρεῶσις ἢ παρ' αὐτῶ γεγενημένη, & obseruandū in ead. l. 1. minorē restitui aduersus solutionem curatori factā, posse

posse aliquem statuere facillimè nisi cohibeatur d. l. ait prætor. simulque animaduertat non præcisè legem restitutionem polliceri, sed an sit tribuenda per causæ cognitionem æstimari posse, hoc tantum edicere.

XXXIII. *Si aduersus dotem.*

**I**tem datur minori restitutio aduersus dotem, vt putà si vltra vires bonorum suorum dotem dederit, l. si ex causa. §. in dotis. D. de min. vel si omnia bona. quod fit quidem iure, l. 4. infra de iur. dot. ( quæ cum l. vnica, huius tit. coniungenda est) quoad ratio patitur, vt ait l. quæro. D. eod. & modus scilicet legis Papiæ, aut Nou. 22. librarum auri C. Sed lædi ex ea re quandoque mulier heresque eius potest dolo fallacijsque mariti effundens in dotem omnia bona sua vel minoris æstimans res dotales, qua ex causa etiam minori subuenitur, liure, §. vlti. l. si res. §. 1. D. eod. Sed maiori iudicio dotis concepto in bonum & æquum, minori etiam per restitutionem in integrum. Restituitur etiam aduersus dotem, si duriorem aliquam pactionem dotis fecerit quam nunquam faceret maior, l. minor se. §. vitim. D. de minor. vel si ex interuallo patri stipulanti soluto matrimonio dotem sibi reddi consensum adhibuerit, l. 3. §. sed vtrum. in fine. D. eodem.

XXXIV. *Si aduersus delictum suum.*

**D**elicta alia contrahuntur opera consulta. alia ignorantiam. in his minori subuenitur per restitutionem in integrum, vt pœna liberetur quam commisit, vt si mater minor X X V. ann. per errorem iuris liberis impuberibus tutorem non petierit, l. 2. hoc titu. vel si eodem errore matrimonio contracto incestum iure ciuili commiserit, l. si adulterium, §. stuprum. D. ad l. Iul. de adult. In illis, veluti fuit, adulterio, homicidio, non item, quæ contra leges admittuntur dolo malo, & quæ legibus antiquis etiam nominatim in impuberibus vindicantur. Et ratio differentiæ, quod illa veniant ex animo, hæc ex contractu, id est, ex re ipsa tantum. Sic enim legem

legendum est in l. 1. Sed cum delictum non ex animo sed ex contractu venit, ut in Basil. *ἄλλ' ὅτι τὸ ἀμάρτημα μὴ ἀπὸ ψυχῆς πονηρᾶς, ἀλλ' ἀπὸ συναλλάγματος ἐρχεται.* Et contractum igitur accipio pro facto ipso siue delicto, ut l. si rerum. D. de re iud. vel, ut loquitur Aristoteles, pro inuoluntario contractu.

XXXV. *Si aduersus vsucapionem.*

**S**ed & si quis rem minoris vsuceperit, ei subuenitur rescissa vsucapione. Vsucapio, est adquisitio domini per possessionem iustam iusti temporis. Si aduersus prescriptionem, non datur titulus, propter l. vlti. infr. in quib. cau. in int. rest. &c.

XXXVI. *Si aduersus fiscum.*

**H**oc titulo ostenditur non tantum aduersus priuatū, sed etiam aduersus fiscum minores deceptos restitui venditionis à se vel à fisco factæ vel alterius contractus rescindendi causa, & aduersus priuatum notionem esse præsidis, aduersus fiscum procuratoris Cæsaris adiuncto præside & præfente aduocato fisci.

XXXVII. *Si aduersus creditorem.*

**C**reditor proprie is est qui pecuniam credidit, id est, mutuam dedit, & debitor qui accepit. Hic si minor sit, an. paterfam. aduersus creditorem bonæ fidei restituitur rescissa cautione creditæ pecuniæ si ea pecunia in rem eius versâ non sit. Dico paterfam. Nam filiusfam. qui mutuam pecuniam accepit non est debitor. Dico creditorem bonæ fidei, ex l. Stichum. §. quod vulgo. D. de solut. Nam is qui sciens perdituro credidit, creditor non est, l. si vero non remunerandi. §. Si adolefcens. D. manda. l. quod si minor. §. penult. D. de minor. Similis est tit. lib. vii. Sed qui ad præscriptionem longi temporis pertinet, non restitutionem minorum.

XXXVIII. *Si ut se hereditate abstineat.*

**R**estituitur etiam minor abstinenti causa qui temere damnose hereditati permiscuit se, vel qui adiuit aut pro herede gessit aut bon. possessionem agnouit, quod etiam est pro herede gessit, l. 12. infr. de iu. delib. qua in re seruanda est forma prodita No. Iustin. 119. §. *πρὸς τὸ τοῖς*, Letjam. §. vlti. D. de mino. Et abstinenti verbo addamus, vel repudiandi, vt l. 7. §. pen. D. eod. l. 2. hoc tit. quæ communis est huic titulo & sequenti.

XXXIX. *Si ut omissam hereditatem, vel bonorum possessionem, vel quid aliud adquirat.*

**E**T ex diuerso idem quoque restituitur adquirendi causa, si intra tempora constituta hereditatem non adierit vel bonor. possessionem non agnouerit, id enim est proprie omittere hereditatem vel bonor. possessionem, sed & si alio genere hereditatem vel bonorum possessionem sibi delatam amiserit. Adiecit, *vel quid aliud*, quanquam de eo nihil in constitutionibus sub tit. positum sit expressum, sed quod in eis de hereditate & bon. possessione, facile trahitur ad legatum & fideicommissum vel quid aliud.

XL. *In quibus causis in integrum restitutio necessaria non est.*

**V**ariæ quidem iam ante varijs locis sunt demonstratæ causæ in quibus minori non est necessaria restitutio in integrum quasi ipso iure munito satis, vt si rē mobilem vendiderit sine curatoris auctoritate, l. 3. titul. 21. vel immobilem sine decreto, l. 12. titul. 29. vel si creditor curatoris fidem secutus cum eo principaliter contraxerit ignorans curatorem eum esse & rem agere alterius, l. pen. tit. 24. vel si res iudicata sit contra minorem indefensum, l. pen. tit. 26. vel si minor xx. ann. seruum manumiserit contra legem Aeliam Sentiam, l. pen. tit. 30. Sed quia restant aliæ quædam, de his visum est proponi debere.

bere titulum speciale, in quo quæ præter eas continentur eæ sunt, si cum non defenderetur vltus non sit necem defuncti: nec enim ei ob eam rem hereditas eripitur quasi indigno, quæ maiori eriperetur, l. i. hoc tit. Item si non interpellauerit personam debitoris ex contractu bonæ fidei vel ex legati aut fideicommissi causa, vt ex mora fructus & vsuræ cederent. Nam & sine interpellatione minori debentur ipso iure ex solo tēpore tardæ solutionis, constitutione Seueri, vsque ad legitimam ætatem, l. cum vero. §. apparet. D. de fideicom. lib. l. Titia. §. 1. D. de lega. 2. l. 3. hoc tit. coniuncta l. 5. infr. de act. emp. Item si tutore datiuo litigante pupilli nomine qui non satis dedit rem pupilli saluam fore, res contra eum iudicata sit, l. pen. hoc tit. coniuncta l. 3. infr. de tut. vel cur. qui fat. non ded. Item si in instituenda querela inofficiosi testamenti minori obijciatur præscriptio quinquennij, l. 2. hoc tit. vel in petenda bon. possessione, & generaliter ex l. vltim. si qua alia obijciatur præscriptio temporis aduersus quam potuerit restitui in integrum, præter præscriptionem XXX. aut XL. ann. quia aliæ præscriptiones ipso iure non currunt aduersus minores XXV. ann. & ob id opinor in hoc libro poni quidem titu. *Si aduersus vsucapionem, sed non etiam, si aduersus præscriptionem longi temporis*, quæ tamen minori non restituito obijci poterat, vt l. 3. infr. quib. non ob. lon. temp. præf. minori scilicet qui pupillus non esset.

*XLI. Quo, & aduersus quos in integrum restitui non possunt.*

**H**Atenus dixit de causis in quibus minoribus necessaria est restitutio in integrum, vel non. Nunc tractare incipit qui minores & aduersus quos in integrum restitui non possunt. ac primum non temere in integrum restitui minores quos constat esse attentos & diligentes patres fa. quosque verisimile non est ætatis infirmitate lapsos, nec quemlibet minorem vtique semper in consilio prætoris aut præsidis haberi pro minore, ac ne lapsos

quidem vel circumscriptos re cum parentibus aut patris vtriusque sexus gesta, restitui aduersus eos, nisi aduersus matres quæ secundas nuptias contraxerunt ex No 115. quod quacunque ex causa restitutio postuletur, videatur quodammodo suggillari pudor & grauari opinio eius aduersus quem restitutio postulatur, & olim forsitan famosa fuit actio de circumscriptioe adolescentium ex lege Lætoria, vti ne propter te fidem ve tuam captus fraudatusve siem, quodque honestius & melius sit adolescentem æqui boni consulere damnum quod fecit, quàm retractare quod cū his personis gessit, in quas etiam fraudis suspicio non cadit. Et in sequentibus titulis plerique alij demonstrantur esse minores qui in integrum restitui non possunt.

*XLII. Si minor se maiorem dixerit vel probatus fuerit.*

**E**T hoc titulo quidem, non posse in integrum restitui minores qui iurauerunt, vel forte vt sibi pecunia crederetur dolo malo se maiores esse dixerunt & persuaserunt, vel etiam dolo malo scientes se esse minores prætori aut præsidi imposuerunt & falso probauerunt se esse maiores, quia in his malitia supplet ætatem, vt ait l. 3. ideo non restituuntur aduersus eos quos deceperunt, & idem dicitur de minoribus quod de mulieribus l. 2. §. pen. D. ad Vel. deceptis non decipientibus subueni. l. 1. Cod. Greg. si ma. fu. prob. l. 2. hoc titul. nam si minorum dolus absit, vt si per errorem aut per fraudem aduersarij maiores probati fuerint, non immeritò postulant auxilium, l. 1. 3. 4. hoc titul. Probare autem maiorem & perfectam ætatem Græcis hoc loco est *πράπτα- τή- λεγομένη τελεόικτα*, & probationem sc qui solet decretum prætoris vel præsidis permittentis administrationem rerum suarum his qui maiores probati fuerint. Et probatur ætas testibus vel instrumentis, l. 2. titul. 44. veluti tabulis professionum, l. 2. D. de excus. l. 1. hoc titu. quæ ibi a Græcis vocantur *ἀπογραφῆ τῶ πατρῶς* quod plerumque cōficiantur



ciantur à patre natis filijs. Apuleius 2. Apol. Pater natam sibi filiam more cæterorū professus est, tabulæ eius partim tabulario publico, partim domo adseruantur. Sed fidem faciunt etiam confectæ à matre vel auo, l. etiam. D. de prob. Probatum etiam ex aspectu, d. l. 3. d. l. 1. Cod. Greg. l. minor xxv. D. de minor. & ex aspectu vt op. nor. necessariæ partis, maximè si quæratum de pubertate maritum. Aristoph. σφῆκες. πατέρων Δοκίμοι Ζημιῶν, αἰδοῖα πρὸς τὴν θεῶν. Plato legum xi. πῶ τῷ τῆ γὰ λων γῆ. & συµµετρίαν τε καὶ ἀμετρίαν ὁ δίκαιος ἰσσοπέων κρινέτω. γυμνοὺς μὲν τοὺς ὄρῆνας, γυμνάς δὲ ὀμφαλῶν μέχρι δεώματος τὰς θηλείας. Quintilianus decl. 279. Postea nudari filium atq; in conspectu iudicum constitui cogit. Idem in Instit. quaestionem hanc centumviralē esse ait, pubertas annis an habitu corporis æstimetur, quam definiuit tandem Constitutio Iustiniani sedata controuersia, quæ hac in re erat inter Cassianos & Proculianos, à qua nec abhorret, l. 4. inf. qui test. fac. poss. & secundum eam impubes est qui nōdum peruenit ad annum xiiii. etiā si facies vel alia pars corporis pubertatis computet ætatem, & contra, pubes qui peruenit ad annum xiiii. etiam si ex habitudine eius ætatis non videatur esse.

*XLIII. Si sepius in integrum restitutio postuletur.*

**H**Oc autem titulo ostenditur, non posse in integrum restitui minores in eacausa, in qua iam ante petita restitutione in integrum repulsam passi sunt, nisi nouas proferant defensiones, ne res semel ritè iudicata temerè retractetur. & hoc est quod Paulus ait 1. Sent. integri restitutionem plusquam semel non esse decernendam.

*XLIII. De his qui veniam ætatis impetrauerunt.*

**E**T præterea hoc titul. non posse in integrum restitui minores, qui à principe extra ordinem, vt ait l. 3. D.

de minor. vel ex No. Leonis 28. à magistrat ueniam ætatis impetrauerunt, in his scilicet quæ gesserūt post impetratam ueniam, l. 5. infr. tit. 52. ne qui cum eis contrahat principis auctoritate circumscripti videantur, l. 1. hoc tit. Neque verò impetrant ueniam ætatis, id est, ius legitimæ ætatis, & rerum suarum administrationē, nisi impleuerint mares annum XX. & fœminæ XVIII. Celerior est cursus prudentiæ muliebris, quæ ætas proprio nomine à Constantino firmata appellatur, l. 1. C. Th. co. nec enim perfecta, iusta, legitima dici potest, l. 1. hoc tit. sed exigitur ut & huius ætatis se esse mares per se probent insinuata uenia quam à principe impetrauerūt, l. 1. ult. infr. de spons. si senatores sint apud præf. vrbi, si plebei apud prætorem, & omnes in prouincijs apud præsidem, simul ac testibus, se eis moribus esse præditos, ut mereantur ueniam ætatis. De maribus loquor. Nam fœminæ propter pudorem & verecundiam non coguntur prodire in publicum, ut l. 1. supr. de offi. diu. iudi. l. 2. §. fin. autem, infr. de iur. prop. cal. & satis est ab eis firmatam ætatem probari per procuratorem, l. 2. hoc tit. Vis autem huius beneficij principalis hæc est, ut minor XXV. an. curatione liberetur, & rerum suarum administrationem recipiat, & in omnibus pro maiore habeatur, l. 10. infr. de appel. l. 1. ult. inf. si ma. fac. al. fa. sine dec. præterquã si prædia uelit alienare aut obligare sine decreto, l. pen. hoc tit. quod & in formula ueniæ ætatis sic Cassiodorus excepit, ita ut alienandis rusticis uel urbanis prædijs constitutionum seruetur auctoritas, ne cum opinioni præstare uolumus, utilitatem publicam lædere videamur. Olim uenditio ei permissa erat & pignoratio etiam sine decreto, donatio nullo modo, l. 1. ult. inf. si ma. fac. alien. rat. l. tutores. §. ab co. D. de adm. tut.

*XLV. Si maior factus ratum habuerit.*

**V**Ltimus casus quo non restituantur in integrum minores hic est, si quæ in minori ætate gesserunt, maiores

res facti rata fecerint, quia per ratihabitionem in integrum restitutioni renunciare videntur, & nihil interest facto, an silentio ratum habuerint, vt Paulus ait l. Sentē. silentio anni utilis iure veteri, quadriennij continui, iure nouo.

*XLVI. Vbi & apud quem cognitio restitutionis agitata sit.*

**S**equitur alia inspectio, vbi, id est, in quo foro & apud quem cognitio in integrum restitutionis agitetur. Et placet agitari, siue minor eam petat siue maior, in foro eius aduersus quē petitur restitutio, secundum regulam quæ dicitur actorem sequi forum rei, & non tantam pro tribunali apud magistratum vrbānum vel prouincialem, sed etiam apud iudicem datū à principe vel à magistratu ordinario specialiter in hanc ipsam rem, vel in aliam in quam incidat quæstio restitutionis, ex qua apparet eam in modum contradictionis obijci posse, vel apud eum cui à magistratu mandata sit iurisdictio omnis vel hæc species. est enim cognitio huiusmodi iurisdictiois & misti imperij, ideoque mandari cuilibet potest, mandatoque generali comprehenditur. Sed & quibusdam casibus non in foro rei hæc causa agitur, sed confistorio principis, veluti aduersus libertatem, l. 10. D. de minor. vel aduersus rem iudicatam à procuratore Cæsaris, vel ab eo qui vice sacra iudicat, veluti vicario, aut prefecto vrbis, vel à iudice dato à principe, l. 1. hoc tit. l. 3. supr. si adu. rem iud. l. minor autem. §. penul. D. de minor. Verum enim vero apud magistratum municipalem hæc cognitio nō agitur, nec enim ei suo iure competit sine mandatu præsidis, l. ea quæ. D. ad municip. neque iudici compromissario neque arbitro electo communi nudoque consensu partium, neque arbitrio dato à iudice pedanea habente scilicet notionem tantum, non iurisdictioem, l. vlti. veluti arbitro rationibus excutiendis aut bonis æstimandis, aut fidei iussoribus probandis.

*XLVII. De reputationibus quæ fiunt in iudicio in integrum restitutionis.*

**S**equitur alia inspectio de reputationibus, id est, de his quæ adolescenti petenti restitutionem in integrum imputantur, ut ea vel reddat vel compenset, exempli gratia, si restitutus aduersus venditionem & traditionem fundi desideret etiam fructus sibi restitui quos emptor percepit, cum fructibus compensare debet vsuras, vel pretium reddere cum vsuris & sumptus meliorati fundi. Et similiter restitutus aduersus emptionem, recipit pretium cum vsuris, & fundum restituit cum fructibus. Et restitutus aduersus transactionem, reddit quod accepit ex causa transactionis, & vicissim ei redditur quod dedit cum accessionibus & omni causa. Item restitutus abstinendi gratia, reddit id omne quod ex hæreditate percepit, aut dolo malo fecit quo minus percipere posset. Et eadem ratione ut fit in mulierum expromissionibus ex S. C. Velleiano, restituito minore aduersus expromissionem, putà cum nouandæ obligationis gratia intercessit pro alio, creditori restituitur vetus actio in veterem debitorem. Omnis restitutio in integrum est reciproca, aut iniquissima si ex vno tantum latere restituatur. Semper excipio casum l. pen. sup. tit. 19.

*XLVIII. Etiam per procuratorem causam in integrum restitutionis agi posse.*

**E**tiam hoc inspicere in hoc tractatu quæri que dignum erat, an per procuratorem agi posset causa restitutionis in integrum, propterea quod in hoc iudicio ætatè probari conuenit, quæ plerunque probatur ex aspectu. & quod mares per se insinuant veniam ætatis, ætatemque firmatam ac morum probitatem probant. Sed utilitatis causa receptum est, ut etiam per procuratorem agatur rectè causa restitutionis in integrum, cui scilicet id ipsum nominatim mandatū sit, putem & per cognatum vel

vel ad finem, cui id mandatum non sit, sicut alia actio quælibet, si nec ab ipso minore petere & agere prohibeas sit, l. Pap. §. illud. l. patri. D. de minor.

*XLIX. In integrum restitutione postulata,  
ne quid noui fiat.*

**Q**UOD appellatio maioribus præstat, hoc minores consequuntur aduersus sententias beneficio restitutionis si nolint appellare, l. præses. D. de mino. & aduersus gesta alia quæcunque ad quæ maioribus nullum patet auxilium. At siue appellauerint maiores aut minores, siue petierint minores restitutionem, medio tempore nihil deintegratur, sed omnia manent de integro quoad de appellationis vel restitutionis causa pronunciatum sit. & hoc loco definit tractatus de minoribus quæ cœpit à tit. 21. Sequuntur causæ ex quibus nonnunquam restitutum etiam maiores XXV an.

*L. De restitutionibus militum, & eorum qui  
Reipubl. causa absunt.*

**M**AIORES XXV. an. & heredes ex persona eorum restituuntur in integrum, si cum essent in militia occupati in castris vel præsidijs, vel statiuis, vel qua alia ratione abessent Reip. causa sine dolo malo, interim res eorum vsucaptæ sint aut venditæ à creditoribus, aut tempore amissæ actiones quæ eis competeabant, vel etiã tempore amissa bonorum possessio hæreditasve, & restituntur postquam desierunt abesse intra annum vtilem, & hodie intra quadriennium continuũ, rescissa vsucapione, venditione bonorum, distractione pignorum, præscriptione temporis, restitutoq; dominio rerum, restituta bon. possessione, restitutis actionibus.

*LI. De vxoribus militum, & eorum qui Reipubl. causa absunt.*

**S**ED & vxores militum & aliorum qui Reip. causa absunt, in integrum restituuntur, si sequutæ viros interim

rim per absentiam aliquid damni fecerint, vel aliquid lucrari non fecerint, vt quibus officium publicum non debet esse damno, non sit etiam vxoribus eorum.

*LII. De temporibus in integrum restitutionis tam minorum & aliarum personarum quæ restitui possunt, quam heredum eorum.*

COMMUNIS hic titulus est minoribus & maioribus pertinentibus ad causam restitutionis in integrum, erat olim quidem, vt de temporibus primùm dicamus, omnibus iure prætorio constitutus annus utilis ad petendam restitutionem in integrum, deinde lege Constantini fuit restitutionibus quæ minoribus dantur, contestandis finendisque in vrbe & intra centesimum miliarium vrbis præstitutum quinquennium post legitimam ætatem, in Italia quadriennium, in prouincijs triennium continuum, vt non malè in C.Th.l.5. huius titu. habeat, iuge tempus, pro quo vulgo, iure, & Basil. *voimus*, fortè quia sibi vindicat continui temporis definitionem Iustinianus abrogata lege Constantini constituens, vt non obseruata differentia locorum vel ætatum intra quadriennium continuum agatur & peragatur causa restitutionis in integrum, l. vlt. hoc tit. l. vltim. infr. de rep. hered. quod quidem minoribus numeratur ex die primo anni XXVI. in diem extremum XXIIX. vel ex die quo finauerunt veniam ætatis, l. 5. hoc titul. militibus ex die missionis, l. i. hoc titul. & alijs absentibus Reipubl. causa ex die reditus. Altera quæstio in hoc tit. est, de hered. bus earum personarum, quatenus in integrum restitui possint, in qua ita distingui solet: Aut minor minori heres exitit, aut minor maiori, aut maior minori, aut maior maiori. Si minor minori, heredi ex edicto datur post suam legitimam ætatem ex defuncti persona non spectata tamen aut computata ætate defuncti totum quadriennium ad in integrum restitutionem, l. interdum. D. de minor. & Paulus 1. Sentent. titul. eod. & l. 5. §. 1. hoc titu. Si minor maiori nondum completo quadriennio,

here-

hæredi post legitimam ætatem non datur totum quadriennium, sed ex persona defuncti id duntaxat tempus quod defuncto supererat, d. l. interdum. §. i. d. l. §. quod si maioris. l. vlt. in fin. infr. si ma. fac. al. fac. sine decr. putà annus, si defunctus vixerit annis XXVIII. Si maior minori, heredi statim ab adita hereditate quadrienniū datur ex persona defuncti, l. 4. l. §. vlt. hoc tit. l. minor autem. §. vlt. D. de minor. l. 4. D. de in integ. rest. Si maior majori, rectè Accursius heredi statim ab adita hereditate id tempus dari quod defunctus habuit. Et secundum hanc distinctionem in specie l. 2. huius tituli. si minor minori heres extitisti, & militiae nomen dedisti, maiorque redijsti, ex die reditus ad restitutionem in integrum habes quadriennium, itemque si minor redijsti, post legitimam ætatem completam. Quod si majori nondum exacto quadriennio, ipse minor vel intra quadriennium constitutus, heres extitisti, & militiae nomen dedisti, reuerso tibi cedit tempus quod defuncto supererat, statim, si maior, vel post completam ætatem legitimam, si minor redijsti. Etiam illud valdè notandum est ex l. i. hoc tituli, minori circumscripto, qui in militia exegit annos 29. aut 30. tempora restitutionis in integrum non computati nisi ex die missionis, vt l. semper. §. si quis Reipub. ver sic. nam & si. D. quod vi aut clam. quia ipso iure continuat. Beneficium restitutionis, l. 3. id est, *σωατηριος και διακοπως φυλακται*, vt Basil. interpretantur. Et tamen si maior qui temporalem aliquam actionem habuit, militiae nomen dederit, actionis tempus ei cedit: sed reuerso causa cognita per restitutionem remittitur præscriptio temporis, l. i. supr. de restitut. milit. & ita accipienda est prima pars d. §. si quis Reipub. exemplo scilicet & argumento eius §. qui præcedit. Plus tribuitur minori militiae nomen danti quàm majori.

*LIII. Quibus ex causis maiores in integrum restituuntur.*

**H**Oc tit. demonstratur, non tantum maioribus qui sine dolo malo abfuerunt Reipubl. causa subueniri per restit. uti onem in integrum, sed etiam legatis ciuitatum ad principem missis, l. 1. & his qui sub custodia militari, vel in vinculis, vel in hostium potestate fuerunt, l. 2. & vlt. & generaliter si qua alia iusta causa iudici videbitur maxime addicto actioni bonæ fidei, l. 3. hoc tit. l. 3. infra com. vtr. iud. l. iure. §. vlt. D. de iur. dot. nam in stricta, stricta & angusta est potestas iudicis. In bonæ fidei, etiam iudex delegatus cognoscit de causa restitutionis, quæ incidit in eam rem cui principaliter iudex addictus est, venitque in contradictionis modum, l. vlt. supr. vbi & apud quem restit. Etiam illud additur hoc tit. ciuitatibus lapsis aut circumscriptis subueniri exemplo minorum, l. pen. hoc tit. l. pen. infra de iur. Reip. l. 1. supra de offi. eius qui vi. al. iud. l. ergo, in fin. D. ex quib. cau. ma. l. 9. D. de ap. pel. l. 6. infr. Ne de sta. defu. Ciuitates minorum locum obtinere. Illud notandum est, & maioribus ex his causis, & minoribus hodie subueniri extra ordinem non ex edicto cognitione prætoris, sed à principe vel à Senatu, vt l. 2. D. eod. tit. & apud Cassiodorum in epist. ad actores Albinii lib. 4.

*LIIII. De alienatione iudicij mutandi  
causa facta.*

**D**atur etiam maioribus in integrum restitutio ex hac causa, si possessor cum quo maior XXV. an. acturus erat in rem actione, dolo malo eam rem alienauerit obijciendi durioris, difficilioris, molestioris aduersarij gratia. & ex hoc edicto restituitur intra annum vtilem data in eum qui rem alienauit actione in factum quanti interest rem non amisisse, si petere eam non possit ab eo cui alienata est, vt l. 4. in prin. D. eo. vel si petere possit, quanti interest alium aduersarium non habere cum quo par certatio non sit, nisi reus vltro paratus sit suscipere vtile iudicium in rem quasi possessor, l. 3. §. vltim. D. eodem. quod alioquin in inuitum locum non habet nisi cum i-



ea rem dolo malo desijt possidere, vt nusquam sit aut v-  
binam sit penitus ignoretur. nam si certus sit possessor,  
in rem actio solum possessorum tenet, l. i. infra vbi in re  
act. exer. vel, vt est in Constitutione huius tituli. possessio  
in rem actionem parit aduersario, vt l. 17. D. de pigno. Pi-  
gnoris possessio (sic videtur legendum) in rem actionem  
parit creditori, qua de causa in rem actio ex possessione  
esse dicitur, l. nos alias. §. 1. D. de iud. Mutato igitur posses-  
sore mutatur iudicium, id est lis futura transfertur in ali-  
um aduersarium. Denique, vt ait l. tituli. huius vel in pos-  
sessorem est in rem actio, vel in eum qui alienauit actio  
restitutoria ex hoc edicto, & electio exactioque posses-  
oris liberat eum qui alienauit, non contra, l. Stichum. §.  
dolo. D. de solut. Alienatio, est dominij vel possessionis,  
vel iuris in alium translatio.

#### LV. De receptis arbitris.

SI repetimus paulò altius quæ diximus, huc vsque nos  
perduxit, vt alius ex alio necitur sermo, institutus il-  
le qui initio est post enarratas partes iuris ciuilibus de ma-  
gistratibus & iudicibus ordinarijs, & de ordine quo ad e-  
os agi solet. Nunc de iudicibus alius instituitur, qui or-  
dinarij non sunt. ac primum de Compromissarijs, nam  
recepti arbitri iudices sunt compromissarij, quos con-  
stat non esse ordinarios, l. penultim. hoc tituli. l. non di-  
stinguemus. §. item si quis. D. eod. Hi enim sunt recepti  
arbitri seu compromissarij iudices, qui ex partium com-  
promisso siue cōstipulatione pœnali iure perfecta, siue  
pacto nudo, vt l. litigatores. §. interdū. D. eod. ad euntur,  
compromisso addita hæc clausula, dolum malum abef-  
se ab futurum que esse, vt l. 3. hoc tituli. Receptum autem  
est compromissum, l. in rem non nouam, §. 1. infra de iu-  
dic. & ex eo nascitur pœnæ petitio vel exceptio pacti, l.  
vltim. infra l. 2. D. eod. Alij sunt arbitri qui ad euntur ex  
iure iurando sine compromisso, ex quorum sententia  
competit actio in rem utilis, vel actio in factum, vel con-  
dictio, ex l. 4. hoc tituli. quos tamen postea sustulit Iusti-

nianus No. 82. Alij ad euntur ex cōmuni nudoq; consensu partium sine iureiurando, sine cōpromisso, l. pen. hoc tit. l. ult. sup. tit. 46. à quibus licet appellare, l. ex cōsensu D. de appell. cum tamen ab alijs non liceat, propter pœnæ aut petiurij metū, l. i. hoc tit. Licet eorum sententiæ nō adquiescere, sed si ei partes semel adquieverint, ex sententia est quasi taciti pacti exceptio & actio in factū, vel condictio ex lege Iustiniiani. Et hi quoque videntur improbat, quando quidem in Basil. abest tam lex penul. quam l. 4. huius tit. Alij arbitri dantur à iudicibus, veluti excutiendis rationibus aut fideiussoribus probandis qui dantur etiam à iudicibus pedaneis, licet iudicis dandi licentiam nō habeant, d. l. ult. & significantur d. l. rem nō nouam. his verbis, vel qui arbitrium peragunt ex auctoritate sententiarum. sic legendam, & electi nudo consensu partium sequentibus, Et partium consensu electi, & generaliter, &c.

#### LVI. De satisfdando.

**P**ost receptos arbitros dicturus de iudicibus, quibus à magistratibus causarum cognitio delegatur, quæ ætate apud eos iudicia inchoarentur fieri necesse erat, nec hodie admodum necesse est, ea exequitur tribus titulis sequentibus. ac primum satisfdationes inoris erat interponi de rato & iudicato soluendo, & de re defendēda, sine quibus nec actor nec reus quive eorum nomine rem agebat vel defendebat, idoneus esse existimabatur. Hodie neque actor satisfdat, neque reus. Sed neque procurator satisfdat de rato si mandatum aut voluntas domini apud acta insinuata fuerit, vel per libellum, l. nec satisfdatio. D. rem ratam hab. vel per literas ad aduersarium scriptas, l. si procuratorem. D. de procura. vel, vt in casu l. ultim. infrà de pact. con. super dot. Sed si is quocum procurator egit, & agat inuicem ipse, in causā mutuae petitionis, procurator satisfdat de re defendenda & iudicato soluendo, licet apud acta vel alijs modis factus sit procurator, sicut defensor tantum est rei. nec enim est idoneus procurator actoris, qui dominum non defendit.

fendit, & rursus non est idoneus defensor qui non satisfaciat, secundum veterem regulam iuris, & hoc est quod ait Constitutio huius titu. litem procuratori mandata sine satisfactione de re defendenda ulterius non posse procedere. Data enim accipio pro mandata, ut in Basil. *ἔνταλξις*, & actio data, l. cum pupillus, D. de tut. & tation. d. strahend. Litem mandat actor, litem dat iudex. Satisfacere autem est fideiussorem dare qui participes obligationem quæ cœpit à nobis, quaque nos adhuc principaliter obligamur, quod & dare simpliciter, l. 43. §. is qui procuratorem, D. de procur. l. 6 D. ut leg. no. ca. & fideiussoribus satisfacere, l. nec non. D. ex quibus causis maior.

*LVII. De formulis & impetrationibus actionum sublatis.*

**S**ED & impetrari actionem priusquam iudex adiretur necesse erat, hodie nihil est necesse, nisi fortè sit decretalis, l. i. C. Th. de dolo nam & bon. possessionem decretalem impetrari necesse est. Ex legibus igitur & edictis nobis ipso iure actiones competunt, etiam si non postulantur. Et quæ impetrabantur olim, earum erat certa solemnisque formula, qua qui deerrabat vel syllaba, lite cadebat: qua de causa horum errorum observatores Iurisperiti à M. Tullio aucupes syllabarum vocantur. Similiter l. i. huius titu. formulas aucupatione syllabarum insidiari. Religio iuris forsitan captiosa nimis & scrupulosa, sed meo iudicio tollerabilior, quàm actionum confusio, agendi temeritas & nullus ordo, omnibus actionibus conceptis in factum, nec conscriptis formula legeque certa. Cœperunt quidem ante Constitutiones huius titu. iudicia extraordinaria frequentari ubi conceptio formularum non observatur, id est, non callidè advertitur, l. actio. D. de negot. gest. sed licet adhuc solemniter & ordine formalibusque verbis expriri, si quis mallet. His Constitutionibus videtur hic ordo tolli, videntur tolli formulæ iuris in negotijs omnibus,  
tollit

tolli legis actiones, & ab hisdem Impp. quorum est l. 2. eadem lege fuere sublatae formulæ in contrahenda obligatione dotis, l. pen. infr. de do. prom.

*LVIII. De iureiurando propter calumniam dando.*

**I**TEM necessaria erat ex parte actoris cautio decimæ partis litis calumniæ nomine, §. hæc autem. Instit. de pœna tem. litig. l. 2. §. antiqua. hoc titul. pro qua Iustinianus d. l. 2. introducit iusiurandum calumniæ, quo adigatur vtraque pars initio litis, & adscribit etiam Paulus l. inter. §. qui familiæ. D. famil. ercisc. non se calumniandi animo litem intendere vel ad inficias ire, sed iuris sui opinione & fiducia fretum, quod veteres Græci vocant ἀνωμοσίαν, ut Harpocratio & Moschopolus scribunt. Plato in Thæteto. καὶ ὑπογραφὴν παραναγινοσκόμειν, ἢ ἀνωμοσίαν καλεῖσιν. At idem Iustinianus No. 112. reducit cautionem decimæ litis, non abolito iureiurando calumniæ. Et quod in l. 1. de iureiurando præstando ab eo qui fidei instrumentorum in dubium reuocat, non se id facere morandi aut frustrandi causa, id quoque ita mutat Nou. 49. ne id totiens præstetur, quotiens quis ab aduersario probationes exegerit, sed satis sit hac de re iurari semel initio litis, Non se tota lite trahendi negotij & vexandi aduersarij gratia frustra probationes vllas ab aduersario petiturum. Non est etiam in vsu vetus S. C. quod Plinius Iunior in epistol. ad Ruffum libr. 5. quo qui quid negotij habent, priusquam agant, iurare iubentur nihil se ob aduocationem cuiquam dedisse, promississe, cauisse.

# CODICIS IVSTINIANI LIBER III.

## TIT. I. *De iudicijs.*



Expositis his quæ ante quàm iudicium inchoetur, vel tunc cum inchoatur fieri necesse est etiam hodie, dat titulum de iudicijs & de officio iudicum, quod versatur non extra cognitionem causarum, de quo lib. 1. tit.

48. sed in sola disceptatione litium. Iudicia, disceptationes sunt quæ fiunt ex parte actoris & rei apud iudices litium finiendarum gratia, etenim iudiciorum finis, vt M. Tullius ait in Topicis, est ius, ex quo etiam nomen. Iudex, est disceptator iuris, l. rem. hoc tit. quibus verbis comprehendo non tantum iudicem datum, sed etiam receptum arbitrium, vt l. 3. §. 1. D. de recept. & magistratum, vt in legibus M. Tullij, Iuris disceptator qui priuata iudicet iudicariue iubeat. Et verò licet titulus sit de iudicijs & cognitionibus iudicum datorum à magistratu vel à principe, tamen pleraque continet communia cum magistratibus, vt l. 12. & 13. & 15. atque etiam cum receptis arbitris, vt l. 14. de iureiurando & religione quæ obstringuntur omnes iudices, nec non aduocati, vt plane dicere liceat superiori tit. agi de iureiurando calūniæ quod dat vtraque pars in ipso limine inchoandi iudicij, siue apud iudices agatur ordinarios siue compromissarios, l. 2. §. sed quia veremur, eod. titu. Hoc autem titu. agi de iureiurando iudicium omnium, etiam eorum qui ex compromisso cognoscunt, & de iureiurando aduocatorum. Iudices iurant in leges, veteri instituto. & inde religionis iudicantium frequens mentio in iure. Aduocati de causa perferenda fide, castu, & integritate omni.

II. *De sportulis & sumptibus in diuersis iudicijs faciendis, & de executoribus litium.*

Sportularum nominis origo prima ex prandio vel cœna est, quæ in panariolos vel sportellas coniecta dabatur clientibus vice cœnæ rectæ. modò enim dabatur cœna recta, modò in sportula, & ad extremum C. quadrantes, quæ summa etiam sportula dicta est. ac deinde latius porrecta sportularum appellatio est ad salaria, congiaria, diaria, honoraria omnia, quæ vel sacerdotibus dantur, vt in Epistolis Cypriani, vel à Coss. sparguntur in vulgus, vt cuilibet sit accipiendi potestas, in Nouell. 105. vt non malè Sudas Sportulas definièrit Δῶρα ἐπὶ πάντων δι' ὀμύων ἀξίονα. Nec malè etiam Hesychius sportulam vsuram interpretatur. Nam & sub nomine sportularum nonnunquam exigebantur vsuræ, l. eos, infr. de vsur. Constat etiam ea, quæ noui decuriones dant ordini pro introitu in iure sportulas appellari. Et *δικὸν σικκὸν* quæ iudicibus pedaneis dantur, Nou. 82. Hic tit. est de his quas conuentus reus dat executoribus litium, id est, viatoribus conuentionis nomine. Horum enim proprium munus reos conuenire & commouere, & reorum quoq; onus hoc proprium, Sportulas eis exsoluere, vt No. 53. Sed & de alijs siue sportulis siue sumptibus quos in diuersis iudicijs vtraq; pars facit & erogat in apparitores, notarios, exceptores, arbitros, aduocatos, seriniarios vel induendarum & exercendarum cognitionum causa, vel pro exceptione & editione actorum, relationis, sententiæ, pro litis contestatione, pro recitatione sententiæ vel instrumentorum, pro libello vnde executoribus datur conueniendi potestas, pro insinuando rescripto vel edicto principis, & ex multis alijs causis. & his quidem sportulis Iustinianus certum modum imposuit in hoc titul. Constitutio Græca, cum qua videtur congruere Constitutio Athalarici regis apud Cassiodorum lib. IX. ab onere earum præstandarum interim liberato fisco, quod & hodie obseruatur, & refertur ex ea Constitutione

tutione à Iuliani antiquo interprete in No. 17. & 21. Fiscum semper litigare gratis. Idemque datur Episcopis, & sportularum, Nouel. 123. & tenuibus personis, Nouel. de mand. prin & his qui cum eis litigant, l. ult. infr. de fruct. & lit. expen. Et quidem ille titul. de sumptibus litium, quos refundit victus victori. Hic de sumptibus litiū quos facit vtraque pars in persecutione iuris sui & prabitione sportularum.

III. De pedaneis iudicibus.

**D**E Sportulis pedaneorum iudicum fuit sub hoc titu. Constitutio Zenonis Græca, cuius fit mentio Nou. 81. Pedanci iudices sunt speciales iudices, quibus singulæ causæ cognoscendæ à magistratibus delegantur. Namque cognitionem tantum habent, non iurisdictionem, l. ultim. suprâ, vbi & apud quem cog. rest. & cognitionem maximè causarum humiliorum, l. ultim. hoc titul. l. ultim. infrâ, quand. prouoc. non est necess. quare & à Iosepho 2. de bello Iudaico dicuntur *δυναστοὶ τῶν ἐπιπέδων διαφορῶν*, sic dicti, quasi agipedes aut planipedes, quod non pro tribunali iudicent, sed de plano stantes aut sedentes imo, collatio aut fortuito scamno, fortuito cespite, vt Nouell. 71. & 81. At verò ne quis obiciat non fuisse, cur de his daretur hic titulus quasi insufficiente primo, fuit titulus primus de iudicijs potius, quàm de iudicibus, siue de officio iudicum omnium id est, eo quod in iure disceptando sequi & obseruare debent. Est autem hic titulus specialiter de pedaneis iudicibus, ne dentur à procuratore Cæsaris inter priuatos, l. 1. & in quo l. 2. extraordinaria ferè omnia iudicia facit, ne dentur à præsidibus in causis quæ eorum cognitioni legibus nominatim reseruantur, ne in causis ingenuitatis. nec in vllis alijs causis, nisi vel multitudine cognitionum obruantur, vel negocijs publicis defringantur, vel ea sit causæ vilitas, vt non admodum requirat notionem præsidum, vt secundum d. l. 2.

planè iam possis statuere, pedaneos iudices humiliorū litium esse iudices. Et additur l. 4. vt in demortui pedanei iudicis locum, præses aut prætor subfortiatur alium. Nec ad officium pedancorum spectat lex vlla tituli huius, nisi fortè l. 3. quæ etiam inuitum pedaneum iudicem ad iudicandum operam dare compellit, adempta facultate remittendæ litis ad præsidem qui eum dedit.

*IIII. Qui pro sua iurisdictione iudices dare darive possunt.*

**D**E iudicibus pedaneis id additur hoc tit. vt is tantum iudicem pedaneum dare possit, cuius de ea re qua de agitur, & inter eas personas ad quas ea res pertinet iurisdictionio est. Iudicem igitur pedaneum ritè datum aliū iudicem dare non posse, quia eius rei in quam datus est, notionem, non iurisdictionem habet, nisi sit datus à principe. Hic enim alium iudicem dare in eadem causa potest l. à iudice, supr. de iud. & ab eo quem dederit, appellatur ipse, non princeps. ex quo efficitur iudicem delegatum à principe habere iurisdictionem. Iudicis enim dandi licentia pars est iurisdictionis urbanæ, vt in hoc tit. significatur his verbis, pro sua iurisdictione, id est, pro modo iurisdictionis suæ. ergò & executionem sententiæ habet, cum & adfessores habeat, vt No. 60. & apparitionem propriam, l. pen. infr. de fruct. & lit. exp. Quod adijcit in tit. *Darive*, in id dicam ex constitutione huius tit. iudicem non iure dari eum quem dat is, qui iurisdictionem non habet, & ex tit. seq. non iure dari in re propria.

*V. Ne quis in sua causa iudicet vel ius dicat.*

**E**Rgò iudex dari nemo in re sua potest, imò nec fieri, l. 17. D. de iudic. ac multò minus ius dicere sibi, l. 1. D. quod leg. l. extat. D. de eo quod met. caus. l. qui iurisdictioni. D. de iurisd. iudicat iudex vel arbiter datus receptus, ius dicit magistratus, oēs in re aliena. Testimonium quo



quoque dicit quisque in re aliena non in re propria, quod etiam in constitutionibus huius tit. fuisse additum, constabit si adhibeatur, l. 9. infra de test. Hodie receptum est ut & in sua quis causa iudicet, cum de sportulis iudicialibus agitur, utque sit in ea re idem aduersarius & iudex, itemque si de iurisdictione eius agatur, l. 5. D. de iud.

*V I. Qui legitimam personam in iudicijs habent, vel non.*

QVemadmodum non valet sententia quam dixit is, qui non iure datus est iudex, ita nec quæ in pupillũ vel adolescentem data est absente tutore vel curatore, l. 1. & 2. hoc tit. l. 3. supra si ad rem iud. l. 11. infr. qui dare tut. l. acta, §. vltim. D. de re iud. quod hodie obtinet etiam in causis criminalibus, l. 4. infr. de auct. præst. Nam ut legitimũ iudicem, ita legitimũ litigatorem esse oportet, & legitimus litigator non est minor indefensus, l. C. The. de den. vel ed. res. propter quam in l. 4. eod. additur inter iustas legitimasque personas, idemque dicitur de Repub. indefensa, l. 1. infr. de iure Reip. & generaliter legitimus litigator qui non potest rem in iudicium deducere, & consequenter nec filijfamil. sine voluntate patris, l. vltim. §. necessitate. infr. de bon. quæ lib. nec serui est ad litigandum idonea persona, quia nec personam habere intelligitur, l. 4. infr. de obs. patr. præst. l. seruus, & seq. supr. de iud. & Nou. Valentiniani de competit. & hoc est quod dicitur, cum seruo non esse actionem. Inuenio nec precis offerendæ capacem eum esse, l. 1. sup. de prec. Imp. off. & tamen admitti in criminali iudicio, sicut olim minor in eo admittebatur etiam sine tutore aut curatore. Excipitur etiam causa momenti, id est repetendæ possessionis, l. 1. infra si per vim vel al. mo. l. 4. C. Theod. unde vi, l. vltim. hoc tit. in qua etiammitterem pupillum sine tutore, & adolescentem sine curatore, reseruata tamen proprietatis actione secunda, quæ petitionis verbo significatur, d. l. vlt. iustis legitimisque personis, legitimisque procuratoribus.

VII. *Vt nemo inuitus agere vel accusare cogatur.*

**A**butitur hac regula actor in No. 112. qui post litem contestatam contendit non debere se compelli ad litem persequendam. Abuteris eadem si dixeris non posse actorem cogere eum cum quo agit, ut is agat cum alio sua actione. Hoc enim pugnat cum l. Iulianus, §. penul. D. de act. emp. l. cum in plures, §. messum, D. loca. l. si tibi. in fi. D. de opt. leg. l. si sic legatum. §. vltim. D. de leg. 1. l. 2. ad l. Rhod. Sententia enim regulæ hæc est, non posse me inuitum compellere eum cui in me vel in alium suo nomine actio est, ut ea actione experiatur, si mea non intersit cum alio agi nec ulla mihi eo nomine actio sit, l. 4. inf. de v. fur. pup. l. 20. infr. de pign. Cum inuito quidem agi, sed inuitum non agere, aut non legirimè agere. Nullos quoque ut olim Athenis publicè constitui accusatores nisi voluntarios in criminalibus causis.

VIII. *De ordine iudiciorum.*

**Q**uotiens in vno iudicio plures oriuntur quæstiones, ita plerunque ordinatur iudicium ut disceptetur vna prius quàm altera, veluti criminalis priusquam ciuile, momenti prius quàm proprietatis. Item status prius quàm hereditatis, l. 1. & 2. hoc tit. l. 3. supra de iud. l. liber. infr. de pet. hered. Sed in arbitrio iudicis est vel hunc ordinem sequi, vel vtriusque commiscere & cum vna quæstionem, veluti ciuilem & criminalem, l. penult. hoc tit. & ut ex Symmachi epistolis didicimus, possessionis & proprietatis causam, & in quibusdam causis etiam iubetur ciuilem antepoere criminali, l. quoniam. infrà ad l. Iul. de adult. l. 8. infr. ad l. Fab. l. 2. Cod. Theod. ad l. Corne. de fal.

IX. *De litis contestatione.*

**I**udicia intelleximus tit. 1. fieri per tres personas, iudicem, actorem, reum, & ad ea nos vocari per executores datis sportulis, tit. 2. post hæc consequens erat dicere de ipso iudiciorum initio, quæ litis contestatio est. Sed  
quia

quia ante litem contestatam legitime constitui oportet personam actoris & rei & iudicis, quam ob rem vulgo dici solet ante litem contestatam opponi debere exceptionem procuratoriam, exceptionem fori, vel quam aliam exceptionem dilatoriam, quæ modo ad personarum qualitatem respiciat quibus iudicia constant, & recusari quoque iudicem quasi suspectum non posse, nisi ante litem contestatam: ideo antequam daret hunc tit. de litis contestatione, exposuit, qui sint legitimi iudices, qui litigatores legitimi, titu. 3. 4. 5. 6 7. & quotiens concurrunt in rem unam quæstiones plures, à qua inchoandum sit, titu. 8. Litis contestatio, est eius rei de qua controversia est apud iudicem ex utraque parte facta narratio in foro vel testibus presentibus. Quæ fit apud iudicem narratio actoris & contradictio siue responsio rei, l. rem. §. patroni, supr. de iud. l. 2. §. 1. & §. si autem reus. supr. de iureiur. prop. cal. Dixi, ex utraque parte, quod alibi cognitionaliter partibus comminus constitutis. Nam simplex postulatio quæ fit *μονομερῶς*, & *μονομερῆς ἀίτησις* dicitur à Græcis ad l. 3. infr. de præf. 30. ann. litis contestatio non est. Simplicem postulationem dicit constitutio huius tit. & l. vlt. infr. de Cast. & min. eique merito coniungit appellationem. Nam & hæc introducitur *μονομερῶς*, l. vlti. D. de cond. & dem. Litis contestatio non fit *μονομερῶς*. Separatur etiam rectissime editio actionis à litis contestatione in constitutione huius tit. unde patet horum titulorum differentia de edendo, de postulando, de litis contestatione.

### X. De plus petitionibus.

**N**ARRATIO actoris in litis contestatione, petitio est, eam verò omni ex parte veram esse oportet. alioquin plus petitio aut minus petitio est, de cuius periculo sunt in hoc tit. duæ constitutiones græcæ à nobis proditæ & explicatæ alibi. Et tertia Latina, ut ius vetus, quo receptum erat causa cadere eum qui plus debito peteret, etiam hodie valeat uno casu, si quis à debitore suo dolo

malo cautionem exegerit maioris quantitatis quàm esset in debito, & ex ea cautione egerit litemque contestatus fuerit. Nam & si post litem contestatam paratus sit minuere petitionem & agnoscere bonam fidem, ius crediti amittit. Pœnitenti ante litem contestatam venia datur. itemque ei cui iterata cautione vltro debitor se in eadem summam obstrinxerit. Vis hæc est iteratæ cautionis, vt in S. C. Velleiano, ne subueniatur mulieri iteranti intercessionem post biennium, & in præscriptionibus temporum ne profint iteranti cautionem.

### XI. De dilationibus.

POST litem contestatam, aut etiam in lite ipsa contestanda sæpenumerò petuntur à iudice dilationes instrumentorum aut personarum exhibendarum gratia, instruendi iudicis, instruendæ intentionis suæ gratia, vt ex Prouincia codices afferantur, l. argentarium, D. de iudic. decernuntur causa cognita pro tribunali, quod iudicis sedile legitimum est, l. 4. hoc tit. & secundum modum præscriptum oratione D. Marci, si petantur ex prouincia vbi lis agitur, breuiores quam si ex continentibus prouincijs, & continentibus prouincijs breuiores quàm vltro marinis, l. 1. & vlt. hoc tit. l. 13. Cod. Theo. de iur. fisc. l. 27. C. Th. de pet. & vltro dat. l. 41. & 63. Cod. Th. de appell. Notandum in consistorio principis dilatio non dari, l. 5. hoc tit. quia scilicet imparati ad cognitionem principis necdum instructi benè non admittuntur, l. 1. inf. de relat. & ita apud Iulianum Imp. vt Sudas refert, ἀναβολαὶ ἐκ ἡτῶν, ἀλλὰ τὸ μέλλον ἡγεῖσθαι δὲ νόμον, εἰς τὸν χρόνον ὑποπῆρῃν. Sed & actori eadem ratione dilatio danda non est, ex l. 2. hoc tit. trahenti rem ad incongruum iudicem ex rescripto principis. Dilatio est prolatio dici.

## XII. De ferijs.

**V**T intra tempora datæ dilationis cessant partes iudicis. l. 3. sup. titu. prox. ita intra tempora feriarum. Nā & feriæ nihil aliud sunt quam dilationes iudiciorum & litium omnium. Vel, dies quieti à litibus, induciæ, pax, vt Papinius de ferijs ait, Et pacem piger annus habet. Vel, tempus mutum à iudicijs. quod & in ferijs imperandis, vt Cicero scribit i. de diuin. nominatim adijciabatur, scilicet vt ciues litibus & iurgijs abstinere. Ex his aliæ sunt solemnes, vt dies cultui diuino dedicati, vt menses & vindemiæ, quibus deputantur menses duo, l. 6. hoc tit. æstiuus, vt ait, feruoribus mitigandis & autumnus fetibus decerpendis. Sic legendum, vt illo versu Aesclepiadis. Mox autumnali redolet vindemia fetu. Aliæ sunt repentinae, veluti ob res prosperè gestas, quæ à solo Imperatore indicuntur, & ob id appellântur imperiales, l. 3. hoc titu. mutato nomine veteri imperatiuarum quæ à Coss. aut Prætoribus imperabantur, l. sed & si. §. si feriæ. D. ex qui cau. mā Videntur & quæ Senatui dātur, vt fit hodie, esse imperiales. Sic enim Theodosius scribit ad Senatum No. ne decur. ad sen. dig. asp. Otio frui vos quodam tempore patimur, ne labore videamini fatigari continuo. Dixi ferias dilationes esse, vt d. l. 6. ferijs iura differri. Veteres res proferri dicebant. Lucanus ad Phœnem, Si quando iudice fesso Turbida prolatis tacuerunt iurgia rebus. Porphirio in Horatium. Solent principes ciuitatis negotiorum diiudicatis iuribus, vel prolatis rebus ociosa mente urbem relinquere. Horatius ipse dixit, rebus omissis. Ceterum feriæ dilationes sunt omnium litium. Dilationes superioris tituli, vnius rei litifve, & vicinitatis igitur feriarum & dilationum euidentis ratio, cum & in Digestis vnus sit titulus de ferijs & dilationibus, eo etiam adhibito quod habetur l. 3. sup. titu. prox. ferias computari concessarum dilationum temporibus, vt appellationū temporibus in l. 1. hoc tit.

XIII. *De iurisdictione omnium iudicum, & de foro competenti.*

**Q**Via ante litem contestatam vel tempore litis contestatæ opponenda est præscriptio fori, l. 4. hoc titul. l. vltim. inf. de excep. ideo titulo de litis contestatione nõ longe adijcit titulum de iurisdictione & de foro competenti. De iurisdictione eadem fini qua de foro competenti, vt sciatur cuius sit iurisdictione, id est, quis sit iudex competens, quod forum iudiciumve competens, & longe alia fini quam in Digestis, in quibus titulo de iurisdictione hæc præcipuè tractantur, quæ sint iurisdictionis, quæque adeo possint mandata aut concessa iurisdictione transire, & quemadmodum contempta iurisdictione magistratus vindicetur, & quod habuimus titul. V. ne quis sibi ius dicat, & de modo iurisdictionis, & aliquid de officio iudicis, l. 1. quod sane latius patet quàm iurisdictione. Nam ea etiam complectitur in quibus nulla iurisdictione consistit, & quæ legis potius quàm iurisdictionis sunt. De foro autem competenti est in Digestis secunda pars tituli de iudicijs. Porro iurisdictione & forum est solius magistratus. iudices enim dati nec forum nec iurisdictionem habent. Iurisdictione igitur notio quæ iure magistratus competit. Definitio est iurisdictionis ordinariæ. Nam extraordinariam etiã ij qui non sunt magistratus habent, veluti præf. annonæ & præf. vigilum, l. 2. §. sane præfectus, D. de orig. iur. l. 7. D. de off. proc. Vel si vis omnem complecti, iurisdictione est notio quæ iure magistratus, vel ex mandato magistratus, vel extraordinariam competit. Forum autem, est locus publicus in quo magistratus ius dicit, vel iudicat. & ex constitutione l. 2. supr. de pecc. ad iudicat magistratus & forum agit de omnibus causis, nec nisi petaro iudices dat. neque verò improbat, vt quidam, quod Isidorus dixit Forus, non forum. Nam & Lucilius & Pomponius Atellanarius & Marius Victorinus sic loquuntur. Competens autem forum id est proprium, & congruum, vbi reus ab actore conue-

conueniri debet quacunq; de re agatur, putà vbi domiciliu reus habet, vel tempore cōtractus habuit. l. 2. hoc titul. Cuius contrarium forum alienum, incompetens, incongruum, & iudex similiter aut competens aut incompetens & incongruus, l. 1. hoc titul. & Nou. Martiani Nem. exh. de pro. ad com. Et notandum incompetentem litis contestatione competentem fieri, l. 4. hoc titul. l. 1. tit. 15. vel si partes se eius iurisdictioni subijciant & cōsentiant, l. 1. hoc titul. l. 14. D. eodem. l. 1. D. de iud. l. ille à quo. §. penul. D. ad Trebell. l. inter. D. ad munic. Dico, iurisdictioni. Nam non habenti iurisdictionem priuato homini qui se subijciunt, nihil agunt, l. 3. hoc titul. Item si quis incompetens extra ordinem rescripto principis iudicare iubeatur inter aliquos, l. 2. supr. de dilat. Nam, vt Paulus ait V. Sentē. res iudicatæ videntur etiam ab his qui ab Imperatore extra ordinem pctuntur. Dixi, ex rescripto. Nam sine rescripto actor qui reum inuitum trahit ad iudicē incompetentem, forsitan fretus executione militari, causa cadit, reus pro damnato habetur, l. 5. hoc titulo.

*XIV. Quando Imperator inter pupillos vel viduas vel miserabiles personas cognoscat & ne exhibeantur.*

**I**Mmo nec ex rescripto principis extra ordinem pupilli, viduæ, infirmi & qui perpetuo morbo laborant, è foro competenti ad Comitatum principis exhiberi possunt, vt cauetur constitutione titul. huius, & adiiciunt Græci rationem, ἐπεὶ δὲ τὰ ἀποπρωτᾶτων ὄσιμ τὰ τοιαῦτα πρόσωπα σκῦλλυθῶνται εἰς ὁδοίε. Contra tamē his personis licet aduersarios suos impetrato rescripto euocare in aulam siue comitatum principis, & huius rei exemplum est in epistolis Theodorici Regis apud Cassiodorū iv. Var. Ipsæ igitur rescripto euocare nō euocari possunt. Ex superiori No. Martiani, nemo de suo foro exhi-

exhibetur ad comitatum, quod obseruari sane æquissimum & non obseruari iniquissimum est, si quæ ætas ferat ordinarios iudices probos & religiosos iuris. Ex hac constitutione certæ tantum personæ huic obseruationi causam præbent, alijs ex rescripto euocandi iudicij ius potestasque est. Miserabiles personas dicit non pupillos aut viduas, sed debiles & valetudinarios qui ope aliena indigent, & *miserabiles*, non *miseras*. Miser enim à Græco *μῦστος* & *μυστετός* semper dicitur in malo. Hieronymus aduersus Iovinianum. Misera potius quàm miserabiles.

*XV. Vbi de criminibus agi oportet.*

**S**UNT etiam sequentes tituli vsque ad XXVII. omnes de foro competenti. Nam per singulas causas explicatur quod cuiusque sit forum iudiciumque competens, ac primum hoc tit. si causa criminalis sit ostenditur eius loci forum esse competens, vbi reus crimen admisit, vt nominatim etiam de militibus cautum est, l. 2. titu. 23. l. 3. D. de re mil. & de clarissimis, l. 1. titu. 24. & de hominibus diuinæ domus & Cæsarianis, l. 8. 9. 10. titu. 26. vel vbi lis contestata est, quod significatur verbo, inchoatæ, in l. 1. Nam post litem contestatam non est ius reuocandi forum. Vel, vbi reus domicilium habuerit, aut deprehensus fuerit, vt l. 1. tit. 23.

*XVI. Vbi possessione agi oportet.*

**C**onstitutio huius tituli. & de causa criminali est & de causa possessionis siue momenti. Nam si per vim deiectus quis sit possessione prædij, & de vi quæri ait criminaliter lege Iulia vbi vis facta est, & de possessione momentaria similiter per interdictum vnde vi.

*XVII. Vbi fideicommissum peti oportet.*

**C**ausa autem fideicommissi siue res petatur siue cautio, disceptatur, vbi hereditas aut maior pars hereditatis est, vel vbi heres aut fideicommissarius Trebellianus domicilium habet, etiam si res ibi non sit cuius fiet resti



restitutio, vt ostenditur l. 10. & seqq. D. de rei vind. vel vbi res est per fideicommissum relicta, quod idem & de legato dici potest & de credito hereditario. Nam heres sequitur forum defuncti.

XVIII. *Vbi conueniatur qui certo loco dari promisit.*

**Q**UOD certo loco dari oportet, non eo tantum loco petitur recte, sed etiam alio citra periculum plus petitionis, dum modò mētio fiat eius loci quo dari debuit, quæ actio dicitur arbitraria, & à Græcis ἤξιπαισι, quod in ea iudicis arbitrio æstimetur quāti actoris interfit suo loco pecuniam solui, id est, loco conducto conuentoque, si per reum mora fuerit, quo minus suo loco soluerit. l. centum, l. vlt. D. de eo quod cert. loco. vel quanti interfit rei, si per reum mora non fuerit, vel si per actorem mora fuerit quo minus loco conuento oblatam pecuniam accipiet, l. 2. in prin. & §. vlt. D. cod.

XIX. *Vbi in rem actio exerceri debeat.*

**R**EI vindicatione agitur aduersus possessorem, vbi domicilium habet, vel vbi res sita est, l. 10. D. de rei vind. l. vlt. infr. de præsc. long. temp. idemque forum sequitur auctor & dominus possessionis, l. venditor. D. de iud. Nouel. 69.

X. *Vbi de hereditate agitur, & vbi heredes scripti in possessionem mitti postulare debeant.*

**E**T simili modo petitione hereditatis agitur aduersus eum qui eam vel quid ex ea possidet pro herede, vel pro possessore vbi is domicilium habet, l. si suspecta. §. vlt. D. de inoff. testam. vel vbi sunt res hæreditariæ, de quibus agitur si ibi reperiatur possessor, vt indicat Constitutio huius tit. & semper cum dicitur ibi forum esse competens vbi res est, sic exaudiri debet, si & ibi reus inueniatur. alioquin iniquissimum esset ex domicilij loco extrahi eum ad locum quo sita res est, quia non sine

magno detrimento à rebus nostris reuocatur. Heres autem scriptus cui fit controuersia hereditatis, ibi postulat se mitti in possessionem rerum hereditarium ex edicto D. Adriani vel hodie ex edicto Iustiniani ubi sunt res hereditariæ, interim salua petitione hereditatis. nam & si de possessione agatur ex interdico Vti possidetis, eius præsidis notio est qui eam prouinciam regit, in qua sunt res hereditariæ. & coniungenda est cum Constitutione huius tit. l. 2. inf. de interd.

*XXI. Vbi de ratiocinijs tam publicis quam priuatis agi oportet.*

**A**ctione tutelæ, negotiorum gestorum, mandati, pro socio plerunq; agitur vt reddatur ratio administrationis, de calculis, de ratiocinijs. Vbi igitur de ratiocinijs agi oportet, id est, vbi tutelæ vel negotiorum gestorum vel mandati, vel pro socio, vel in factum ex edicto de edendo agi oportet. Fabius VII. Tutelæ, inquit, in quo iudicio solet quæri, an alia de re, quam de calculis agnosci oporteat. Et rectè definitur, ibi reddendas esse rationes vbi negotia gesta sunt. quòd scilicet ibi suppetat totius rei instructio amplior. idemq; esse si rationes militares ab eo exigantur qui fuerit tribunus numeri vel ab alio deposita militia Et rectè Theodosius in No. 2. de amo. mil. fo. præf. veteres leges specialiter fori præscriptionibus & contractus & negotia gesta & delicta subtraher

*XXII. Vbi causa status agi debeat.*

**S**tatus hominis est conditio libertatis aut seruitutis, & conditio libertatis, quæ & status capitis dicitur, vel libertinitatis & ingenuitatis. Causæ autem status actiones præiudiciales sunt, quas secundum regulam generalem actor intendit in foro rei, id est, vbi reus domiciliū habet vel vbi consistit. Et reus est in causis status, qui ex libertate seruitutem vel in libertinitatem petitur, vel etiam aduersus quem ex seruitute in libertatem, vel ex libertinitate in ingenuitatem proclamatio fit. Neque verò

Verò alius est locus quo agi possit status causa, neq; notio est aliorum quàm præsidum in prouincijs, vel procuratorum Cæsaris, si agatur inter fiscum & priuatos causa libertatis & seruitutis (sic legendum l. pen.) non si iu-  
 genuitatis, l. 2. supr. de pæda. iud. l. pen. infr. ne de sta. def. vel in vrbe Consulum, l. Diui. D. de liber. cau. l. 4. si ing. esse dic. vel prætorum liberalium, quibus priuilegium fori nullum obijci potest, l. neq; §. ult. D. de fid. l. b. l. 4. D. si ing. esse dic. Exigit causa status maximos iudices, l. ult. hoc tit. maiores iudices, l. non distinguemus, §. de libera-  
 li. D. de recept. ad eò vt nec pedaneis delegari possit, nec committi compromissarijs. quin & præsidum olim de statu cognitio non fuit, l. 1. supr. de ordin. iud. quod confirmat Plinij iunioris epistola ad Traianum de adfertione ingenuorū, nisi fortè missi essent in prouincias cum iure prætorio, vel iure consulari. nam præconsulum notio fuit de causis status, qui utiq; maiores sunt quàm præfides, nempe spectabiles, & præsidēs clarissimi.

*XXII. Vbi quis de curiali vel cohortali alia-  
 ve conditione conueniatur.*

**S**Vnt etiam quasi præiudiciales, & quasi de statu actiones, quibus queritur decurio quis sit nec ne, an curiæ muneribus obligatus, an agricola censitus, an ex cohorte præfidis, an ex corpore nauiculariorum, pistorum, vel aliorum condicionalium, quæ ad notionem præfidis eius prouinciæ pertinent, in qua is qui curiæ aut cohorti vel alij conditioni vindicatur, deprehensus fuerit, l. 1. hoc tit. l. 1. supr. tit. 16. nisi malit actor eum remitti in eum locum vnde quasi fugitiuus recessit, l. 1. supr. tit. p. oxi. Neque verò sub specie alterius militiae quàm armatæ, condicionali o vel debitori publico ad alium iudicem licet reuocare litem, non sub specie apparitionis magistri militum supra numerum, non sub specie apparitionis magistri officiorum. Dixi, ex cohorte præfidis, significans cohortalem conditionem. Sunt enim cohortales

tales officia & apparitores præsidis qui utique in prouincijs erant perpetui, l. præsidis. D. de reb. cred. huic vni obnoxij ministerio, nec optati à præside, nec in prouinciam perducti.

*XXIII. Vbi senatores vel clarissimi ciuiter  
vel criminaliter conueniantur.*

**C**Larissimo:um appellatio latissima est, nam & vxores & liberos Senatorum cuiuscunque ætatis vel sexus complectitur, & Senatores celsiores clarissimis, putà illustres vel spectabiles. Alij quidam sunt Senatores omnis dignitatis expertes, l. 52. & 54. C. Th. de here. & in hoc tit. igitur senatores, id est, senatores sine dignitate. & clarissimi, id est, senatores cum dignitate, vt l. i. inf. de tut. & cur. il. vel cl. per. & No. 71. Conueniuntur autem Senatores & clarissimi ciuiter in vrbē apud præf. prætorio vel præf. vrbī, vel magistrum officiorum adfentiente principe, ex l. 2. & alijs Theodosij Constitucionibus, vt Symmachus refert in epistolis. quæ Senatorum controuersias transferri à foro præfecturæ vrbane ad peregrina vetant. In prouincijs conueniuntur iure communi apud præsidem eius prouinciæ in qua domicilium habent, l. 3. & vlt. tit. 22. Cassiodorus in formula rectoris prouinciæ. Tu etiam Senatorem ibidem residentem iuberis audire. Criminaliter autem clarissimi apud præsidem eius prouinciæ in qua deliquerunt, qui tamen olim erant remittendi ad præf. prætorio, vel præf. vrbī, l. 3. C. Th. de accus. excepto casu l. i. supr. ne lic. pot. Illustres qui recensentur l. 3. huius tit. in consistorio principis, quod & alijs Senatoribus detulisse Imp. quosdam Dio & Spartianus scribunt.

*XXV. In quibus causis militantes fori præ-  
scriptione vti non possunt.*

**M**ilitantes in hoc tit. dicuntur non armati milites & tribuni numerorum, qui priuilegio sui fori semper vti possunt, & ab alio iudice litem reuocare ad magistrum

strum militum, l. 2. sup. tit. 23. sed scholares qui sunt magistro officiorum veluti agētes in rebus, qui & magistriani dicuntur aut domestici protectores, qui sui fori privilegio non vtuntur casibus sequentibus: Si conueniantur ex causa debitorum aut munerū publicorum apud præsidem prouinciæ, vel quod curiæ aut cohorti aut alij corpori obnoxij esse, vel per supractionem aut concussionem aliquid abstulisse dicātur, l. 1. & 2. sup. tit. 22. quæ & sub hoc tit. poni potuissent, vt l. 2. in No. C. Theod. ponitur sub hoc tit. huic simili, De amota militanti bus fori præscriptione. Item si prædia aliena conduxerint & aliqua ex causa conueniantur. Soli enim armati conductores esse prohibentur, l. 1. inf. de re mil. Item si negotiātur in prouincijs etiam si à principe negotiandi licentiā acceperint. regulariter enim mercatores simul & milites esse non possunt, l. 1. infr. neg. ne mil. Item si in prouincijs res suas componant, & suis commodis studeant sine beneficio cōmeatus. His casibus scholares fori sui præscriptionem non habent. In contextu malo, & qui per prouincias negociantur. nam tres casus notantur, si priuatis actionibus atque compendijs occupantur, si negociantur, si conductōrū vocabulo defenduntur. & ita in Basil. *εἰς ἰδιωτικὰς φροντίας ἀρχολόμοι ἢ μισθόμενοι.*

*V I. Vbi causæ fiscales vel diuina domus hominumq; eius agantur.*

Causæ fiscales sunt in quibus agitur de bonis fisco delatis, vel de pœna pecuniaria inferenda fisco, vel de eo quod fisco debetur ex contractu. Videtur etiam quodammodò esse causa fiscalis in specie l. 4. qua is qui emit à fisco mādatu Titij, cum Titio agit de precio & de vsuris quæ fisco soluendæ sunt. Hæ causæ disceptātūr apud procuratorem Cæsaris, non causæ criminales, nisi fungatur vice præsidis, l. 5. hoc tit. l. vlt. D. de off. proc. Cæsa. l. ex consensu. §. 1. D. de appell. l. 1. supr. de ped. iud. l. 2. infr. de pœn. l. 4. inf. ad l. Fab. Sed de crimine & pœna agitur  
k
apud

apud præsidem prouinciæ, quia merum imperiũ habet, & de bonis fisco vindicatis ciuilitè apud procuratorem Cæsaris. deniq; rationalis est exactio pœnæ irrogatæ a præside, non irrogatio. A fisco separatur diuina domus, quæ ratio Cæsaris dicitur, l. 6. §. vlt. D. de iur. fis. Causæ diuinæ domus sunt, quæ pertinent ad prædia tamiaca, quæ erant in Cappadocia sub dispositione & cura præpositi sacri cubiculi & Comitum domorum, vt rectè legi & alijs locis pierisque quondam & nuper in vetere Notitia, sub dispositione V. l. præpositi sacri cubiculi. domus diuina per Cappadociam. & hæc quidem causæ vel hominũ tamiacorum aguntur omnes apud præpositum sacri cubiculi & Comitum domorum, l. vlt. hoc tit. Hominum autem fiscalium causæ veluti actorum, procuratorum, conductorum, colonorum, inquilinorum, seruorum rei priuatæ ciuiles aguntur apud Comitum rei priuatæ, vel apud rationalem, criminales apud visariũ vrbis vel præsidem eius prouinciæ in qua deliquerunt, adhibito rationali. & similiter officiales rationalis conueniuntur ciuilitè apud rationalem ipsum, criminaliter apud præsidem.

*XXVII. Quando liceat unicuique sine iudice vindicare se vel publicam deuotionem.*

QVod dixit tit. 5. neminem sibi ius dicere, & titulis superioribus adeundum esse iudicem competens, id aliquando non seruari hic titulus ostendit. nam & se ipsum vlcisci licet, non adito iudice sibi que ius dicere aduersus obsessorem viarum, & aduersus furem nocturnum in agris siue paganum siue militem, & cum occidere quoquo modo, quod ex XII. tab. obtinuit etiam in vrbe, hodie ex l. i. huius tituli in agris dumtaxat locum habet. licet etiam cuilibet aduersus desertorem militiæ, vindicari esse læsæ maiestatis deuotionisque publicæ desertore obsessore & prehenso, & si se telo defendat etiam occiso. Tertullianus Apol. In reos maiestatis & publicos hostes, omnis homo miles est. milites deuotissimi appella-

pellari solent. igitur qui ab ea deuotione descissunt delecta militia deuotionem publicam lædunt.

*XXVIII. De inofficioso testamento.*

**D**ixit suprà de iure sacro, de partibus iuris ciuilibus, de magistratibus, de ordine quo agit quisq; apud eos, de aduocatis & procuratoribus litium alienarum, de restitutionibus litium, de pedarijs iudicibus, & de foro cõpetenti. Nunc ab hoc titul. De inofficioso testamento quæ sequuntur omnia sunt de diuersis actionibus, qui tractatus ius omne ferè complectitur. nec mirum igitur si in ea re & Codex & Digesta potissimũ consumantur. Summa autem actionũ diuisio hæc est, alias esse in rem alias in personam, vel quod idem est, alias vindicationes siue petitiones, alias condictiones, has de obligatione, illas de proprietate vel possessione. Et rursus vindicationum siue petitionum alias esse de vniuersitate, alias de rebus singulis. Et orditur ab his quæ sunt de vniuersitate & ab ea præcipuè quæ dicitur petitio hereditatis de inofficioso testamento vel querela inofficiosi testamenti ex lege Glicia. nec enim querelam separo à petitione hereditatis, ne imiter interpretes qui aliud faciunt iudicium rescindens aliud rescissorium. vno enim eodemque iudicio, vna actione & rescinditur testamētum quasi inofficiosum & petitur hereditas ab intestato, cuius iudicij ordinandi & præparandi gratia præter suos heredes necesse est prius alios qui queruntur & agunt de inofficioso testamento, veluti ab intestato delatam sibi hereditatem adire, vel bonorum possessionē agnoscere Vnde liberi, vel Vnde legitimi, vel Vnde cognati, quæ freti illi qui non sunt sui, & sui ipso iure facti atque muniti perueniant ad petitionem hereditatis de inofficioso testamento. qua rursus nisi vicerint & aditio & bonorum possessio illa & ius quoque illud sui heredis sine re constituitur. & est quoque interim sine re, & color potius fictaque narratio aut titulus quidam siue prætextus petendæ hereditatis, l. 2. hoc tit. Inofficio-

sum testamentum est, in quo liberi vel parentes vel fratres germani immeritò exheredati sunt vel preteriti vel instituti, ita vt pro exheredatis habeantur. Et est in hoc iudicio hæc plerumq; dicendæ sententiæ formula. Iustas causas offensæ, vt l. 20. 22. 23. hoc tit. vel vt in epistolis Plinij, iustas irascendi causas patrem habuisse videri aut nō videri. Et datur non tantum ingenuorum, sed etiam libertinorum liberis, ex l. 4. inf. de bon. lib.

*XXIX. De inofficiosis donationibus.*

**E**xemplo querelæ inofficiosi testamenti comparata est querela inofficiossæ donationis factæ à parentibus inter viuos in fraudem liberorum, rescripto Alexandri in Cl. Iulianum præf. vrbi, l. Titia. §. Imper. D. de leg. 2. & data liberis qui erant tempore donationis, siue in vnum ex eis, siue in extraneum collata donatio fuerit. Sed hoc interest, quod querela inofficiosi testamenti, totum testamentum rescindit siue extranei siue alij liberi instituti sint, querela inofficiossæ donationis id tantum rescindit & reuocat, quo minuitur portio debita liberis, id est, quadrans, vel hac die triens aut semis legitimæ portionis, vt Nou. 92. quia quo liberaliores sunt morientes quàm viuentes, eo sunt etiam minus horum quàm illorum iudicia & liberalitates coercendæ, argumentum huius rei est lex Caninia. Igitur inofficiosa donatio est, quæ liberis portionem debitam aufert aut minuit, vt donatio omnium bonorum vel donatio, de xantis aut de uncis, nam donato de xante vel de unce, quod residet non sufficit debitæ portioni. quo genere eluditur quidem querela inofficiosi testamenti, sed suppetit querela inofficiossæ donationis. quam adnotandum est etiam parentibus dari, si liberi immodicam donationem fecerint rerum suarum. l. 4. hoc tit. & ab intestato, l. 3. atq; etiam fortè si interuertendæ inofficiosi testamenti querelæ donatori animus non fuerit, l. 5. nam consiliū quidem absq; euentu non sufficit, l. pen. euentus absq; consilio.



filio sufficit. quod tamen non videtur Patricius probasse, qui dixit l. 5. κατὰ & κατινοτ ομίχρ, hoc est strictius accipiendâ esse quasi nouam, vt suo tantum casu procedat si liberi nati post donationem omnium bonorum factam alijs liberis eam reuocent pro modo portionis sibi debitæ. Etiã illud adnotandum, non dari hanc actionē post quinquenium, l. vlti. non dari his qui parentis iudicium agnouerunt, l. 6. hoc tit. l. 4. inf. de cont. emp. non dari his quibus alio remedio consultum est, l. 2. & 4. quæ obtinent etiam in querela inofficiosi testamenti. nec similiter dari querelam inofficiosa venditionis.

XXX. *De inofficiosis dotibus.*

**I**Nter donationes etiam dotes connumerantur, l. cum multæ. inf. de don. an. nup. & ideo quod de donationibus inofficiosis dictum est, meritiò trahitur ad dotes inofficiosas à matre marito primo vel secundo datas, quæ dodrantem excedunt aut consumunt omnia bona materna ita vt liberis salua Falcidia non sit, id est, debita portio. Ceterum nolim hodie legem huius tituli accipi de muliere quæ iterum nubit habēs liberos ex prioribus nuptijs, quia hosce liberos constat ipso iure munitos esse, nec iure plus eâ secundo marito erogare posse dotis nomine vel alio nomine quàm vni ex liberis prioris matrimonij, l. hac edictali. inf. de sec. nup. Sed accipi potest de ea quæ nunc primum nupsit cum haberet liberos naturales, vel quæ iterum nupsit nullos habens liberos ex priore matrimonio sed naturales tātum, quibus certum est bonorum maternorum deberi Falcidiam nō minus quàm iustis, l. si suspecta. §. 1. D. de inoff. test. Erat quidem lex tituli huius etiam de liberis prioris matrimonij, sed in his vt dixi hodie superuacua est.

XXXI. *De petitione hereditatis.*

**N**ON caret ratione quod priusquam proponeret generalem petitionem hereditatis, proposuit specialem de inofficioso testamento. nec enim idē ius est vtriusque. Generalis datur aduersus possessorem iuris vel

hereditariæ nec heredem iustum siue sciat se non esse heredem siue falso existimet se heredem esse. De inofficioso testamento datur aduersus heredem verum & legitimum qui ex testamento iusto hereditatem adiit, & aduersus filium præteritum qui accepit cum re bonor. possessionem contra tabulas, l. filium. D. de bonor. poss. contr. tab. & contra fideicommissarium Trebellianum, l. 1. sup. de inoffic. test. Et vbi ex alia causa petitione hereditatis teneri dicitur heres scriptus aut fideicommissarius Trebellianus, vt l. etiam. §. idem dicendum. & seqq. l. item veniunt. §. licet. D. eod. id tunc duntaxat locum habet cum fideicommissum aut hereditas eis relicta est iniusto aut inutili testamento. Et rursus quod dicitur emptorem hereditatis teneri vtiles petitione hereditatis, d. l. etiam. §. 1. qui scilicet emit ab eo qui hereditatem pro herede possidebat, hoc non habet locum nisi deficiente venditore cum quo agi possit, & eo deficiente in emptorem quasi in heredem eius datur in subsidium petitio hereditatis, vt l. Neratius. l. etiam in prin. & §. heredem. D. eod. Sunt & aliæ differentiæ inter petitionem hereditatis generalem, & illam specialem. Petitio hereditatis de inofficioso testamento non tam rem persequitur, quam etiã vindictam iniuriæ siue notæ exheredationis, & agit causam doloris. quod nomen querelæ etiam demonstrat. Generalis, est patrimonijsiue rei vindicatio. quæ propter de inofficioso testamento filij nomine non agit pater inuito filio cuius iniuria & indignatio est, l. Pap. in prin. D. de inoffic. test. qui ex alia causa ageret & peteret hereditatem etiam inuito filio. Et præterea querela inofficiosi testamenti tacita dissimulatione aboletur sicut actio iniuriarum, l. 1. supr. de in int. rest. min. & silentio quinquennij, l. si quis filium. in fin. sup. de inoff. test. l. 2. Cod. Th. de apost. non etiam alia petitio hereditatis, l. 7. hoc tit. l. pen. inf. in quib. cau. cess. lon. tem. præf. quæ & in hereditatem actio dicitur, l. pater. in fin. D. de cap. & postl. reu. vt sequens in rem actio. De his quæ veniunt in petitionem hereditatis est S. C. diligenter explicatum in

Digestis, quod Græci vocant Adrianum S. C. in l. quod si possessor. & l. sed & si lege. §. pen. D. eo. quia factum fuit ex auctoritate Adriani in p. l. i. hoc tit.

XXXII. *De rei vindicatione.*

**R**ES non est in hoc tit. hereditas, sed species certa. Titulus ergo de petitione speciali, qua quis speciem corpuseve certum suum esse adserit hoc fere modo, Fundus Tusculanus qui est in agro qui Sabinus vocatur, meus est, nam fundi nomen & quo loci sit, dicere oportet, l. si in rem. in fin. D. eod. vel hoc modo, Hanc ego rem ex iure Quiritium meam esse aio. Lis est de dominio certæ rei, siue lis dominij, petitio dominij. Superior est de ea qua quis se vniuersi iuris defuncti successorem esse contendit. Est autem hoc solemne vindicationibus, vt vindicias dicat iudex ab eo qui rem possidet præstita satisfactione, vel etiam non præstita, si petitor satisfacere noluerit, vt patet ex libr. i. Senten. Pauli titu. XI. vel ex causa res sequestro deponatur, l. 7. §. vlti. D. qui satisfacda. cog. Vindicias possessionem appello, vt T. Liuius modo vindicias, modo possessionem. & in antiquis legibus. Decernito vt ei possessionem secundo eum heredemve eius det quo sortito is ager datus adsignatusve fuerit. Et videtur nomen detractum à vi quadam ciuili, vt Gellius explicat X. quæ verbo dicebatur correpta manu inuicem vindicantis & contra vindicantis, ex quo ita legendum videtur ad Festum. Vindicix appellantur res ex de quibus controuersia est, quod potius dicitur vis quæ fit inter eos qui contendunt. & apud Gellium quoque ita legendum, manum conferere est de qua re disceptabatur in re præsentis siue ager siue quid aliud est, cum aduersarium manu prenderit, in eare ciuilibus verbis vindicare. Vindicia, id est, correptio manus in re atque in loco præsentis apud prætorē ex XII. tab. fiebat. Ergo, vt ad rē redeam, initio litis possessio statim non transfertur in peritorem, exceptis duobus casibus, si possessor nolit satisfacere, & petitor satisfacere paratus sit, si reus à petitorē

eam rem qua de agitur vi possederis, quæ fuit olim etiam Zalcucilex, vt Polybius scribit XII. *δ' ἔμ κρατ' ἔμ τῶν ἀμφοτέρων μὴ ἕως τ' κρίσεως παρ' ὅν τι τὴν ἄγω γήρσιν. Ἐλάει γίγνεται.* At in liberalibus causis ex XII. tab. semper vindiciæ dantur secundum libertatem, siue is homo de quo agitur, in libertate siue in seruitute fuerit sine dolo malo. l. lite. inf. de lib. cau. l. si cui. §. licet. l. ordinata. D. cod. l. 2. §. initium. de orig. iur. l. seruum. §. 1. D. de procur. l. is autem. D. ex quib. caus. mai. l. 1. infr. qui datur. & pendente liberali iudicio pro libero habetur.

*XX XIII. De usufructu & habitatione & ministerio seruorum.*

**P**OST vindicationem rerum corporalium, datur vindicatio in corporalium, veluti seruitutum, ex his aliæ personarum sunt, aliæ prædiorum, l. 1. D. de seruit. vel, vt loquitur l. Caius. D. de an. lega. aliæ in personam, aliæ in rem. De seruitutib. prædiorum est titulus qui sequitur. Hic vero est de seruitutibus personarum. Nam per vsumfructum & habitationem prædia vel mancipia vel aliæ res personis seruiunt, l. dominus. D. eodem, non rebus, itemque per ministerium, quo nomine significantur operæ seruorum alienorum. Et nihil quidem videntur habitatio & ministerium ab usufructu distare, non aliud habitatio esse quàm usufructus ædium, non aliud ministerium quàm usufructus serui, l. 9. hoc tit. l. 3. & 4. D. de op. seru. Sed propria tamen quædam vis inest in habitationis & ministerij verbo, quæ efficit ne facile quis hæc iura si quæserit, amittat, quæ si quæsisset nomine usufructus, amitteret. Usufructus amittitur fructuarij morte & capitis minutione & ἀχρησίᾳ, id est, non vtendo tanto tempore quanto vscapio completur rei mobilis aut immobilis. Ministerium autem serui quandiu is seruus viuit, his modis non exinguitur. Habitatio quoque quamdiu ædes saluæ permanent, & is cui habitatio relicta aut concessa est viuit, non amit-

utur capitis deminutione vel non utendo, quia & si aliquatenus videatur is cui habitatio ædium aut ministerium serui concessum est vsumfructum habere, fructuarius tamen non est, l. 2. D. de vsufr. leg. & mors quidem eius habitationem extinguit: quia iam habitari nō potest ab eo in cuius factō habitatio consistebat, capitis deminutio vel habitandi incuria extinguit, quia habitationis nomen nō tam respicit ad personam quæ habitat, quàm ad rem ipsam quæ inhabitatur, adeò vt habitatio sæpè accipiatur pro domo ipsa, l. cum antiquitas, hoc titul. & satis sit vt consistat integrum habitandi ius ei cui datum est si domus ab eo habitari possit, licèt non inhabitetur. Ministerium autem serui non extinguit negligentia vel capitis deminutio, imò nec mors eius cui ministerium debetur, quia in factō consistit, factumve ministerij nomen significat eius serui qui hęc operam exhibet, & quā diu seruus viuit, tam diu operæ debentur ei cui concessæ sunt heredive eius. Vsumfructus in factō fructuarij consistit, l. 1. D. quand. dies vsufr. & factum significat eius persone cuius utendi fruendi competit. Ideoq; persona ea non utentetempore legitimo, vel etiam mortua aut non manente in suo statu vsufructus interit. Ergo omni capitis minatione, quod iure veteri obtinuit. Ex l. pen. huius tit. non interit minima capitis deminutione. merita quia sublata sunt legitimæ mancipationes.

XXXIV. De seruitutibus & de aqua.

Vsumfructus, habitatio, ministerium, iura sunt hominum, per quæ res liberis hominibus seruiunt. Seruitutes, iura prædiorum per quæ prædia prædijs seruiunt. Illa cohærent personis, hæc prædijs vrbans vel rusticis. Vel ex attributo & subiecto secundum Celsum, sunt prædia qualiter se habentia. l. quid aliud, D. de verbo. signi. l. qui fundum. D. quemad. ser. amit. vt Stoicis virtus est animus quodammodo se habens, animus spiritus quodammodo se habens. Virtus habitus animi qui significatur

illo articulo, quodammodo, vel qualiter. Seruitus, habitus prædij. Quod subiicit, & de aqua, non de aqua est simpliciter, vt in titu. Digestorum de aqua, de qua competit ex XII. tab. actio in personam aquæ pluuiæ arcende, sed de seruitute aquæ ductus vel aquæ hauustus, de qua est actio in rem confessoria & negatoria, sicut de cæteris seruitutibus personarum aut prædiorum, l. 2. ff. si seru. vindic. Est autem in hoc titu. *περὸν δὲ ὕδατος*. Namque sic meo iudicio intelligi debet, de aqua & de alijs seruitutibus, vt l. 3. aquæ ductus vel aliæ seruitutes, & non titulum Digestorum de rebus creditis si certum petatur, alias docuimus sic esse accipiendum, si certum petatur de rebus creditis. Ideo autem de aqua veluti per eminentiam, quia nulla est seruitus alia, de qua tot sint Constitutiones in hoc titu. vt de impuberum & alijs substitutionib. quod magna pars tituli sit de substitutione pupillari, & quod nulla ex omnibus rebus tantas habeat ad vsum necessitates, quantas aqua.

### XXXV. De lege Aquilia.

**P**ORUIT actio legis Aquiliæ lib. I X. iungi cum actione iniuriarum & de bonis raptis, sed hoc loco posita est quod competeret olim actio legis Aquiliæ ex secundo capite, si quis non imposita seruitute ædibus vicini & neglecta forma antiquorum ædificiorum, luminibus vicini officeret, quamobrem nouo & extraordinario iudicio quasi ex lege Aquilia damnatur apud Zonaram à Theophilo Imperatore Petronas ita vt virgis cæso ademptæ ædēs addicantur mulieri quæ agebat de damno iniuria dato Item quod competeret si contra seruitutem iure constitutam extracto ædificio, aliquis vicino damnum iniuria daret, vel si iniuria deriuaret aquam alienam, vel si ædificio posito inutilem vicini faceret aream, quos casus proposui titulo superiore, l. 1. 4. 5. 6. 14. & illum de deriuatione aquæ repetit l. 2. hoc titu. & adijcit alium in l. vltim. si non imposita seruitute pecoris pascenti immiserit pecus in agrum alienum, nec enim defecit

Fecit his casibus actio legis Aquilię, & communes igitur fuerunt tam actioni in rem de seruitutibus, quàm actioni legis Aquilię. Nec abs re igitur superiorititulo subiectus est titulus de lege Aquilia, id est, de actione damni iniuria quę ex lege Aquilia competit, quam puto in plerisque congruere cum actione damni iniuria ex XII. tabul. de qua l. quęcunq;. D. de obl. & act. l. i. D. ad l. Aquil. & verbum, rupsit, quod Festus interpretatur, damnum dederit, & verbum, sarcito, quod Festus interpretatur dānum præstato, soluito, vt l. 2. & 3. hoc tit. Sed vt quodam loco Macrobius ait, quęritur sæpè nouę legis auctoritas exolescente metu legis antiquioris, vt de ipsis inquit. XII. tab. factum est, quarum vbi contemni auctoritas cœpit, eadem illa quę illis legibus cauebatur, in aliorum latorū nomina transferunt.

XXXVI. *Familia erciscundæ.*

Vindicatio rerum singularum corporalium vel incorporalium est in rem non in personam, id est, mera realis. Petitio hereditatis mista in rem & in personam, l. 7. supr. de pct. her. l. sed & si lege. §. propenul. D. cod. Sunt & tria iudicia diuisionis ex XII. tabul. quę sequuntur in rem & in personam. Familia erciscundæ, Comuni diuidendo, Finium regundorum. Familia erciscundæ actio redditur inter coheredes sumpto à magistratibus pro rebus hereditarijs diuidendis. Familia enim res hereditarias significat, l. pronuntiatio. §. 1. D. de verbor. signif. non nomina, non hereditatem. Nam & nomina ipso iure diuisa sunt inter coheredes ex XII. tab. l. 6. hoc titu. & hereditas diuidi non potest. l. 8. D. de rei vēdi. l. 4. D. com. diuid. nisi hereditas accipiatur pro rebus corporalibus quę in hereditate continentur, vt l. 3. hoc titu. & §. quędam. Inst. de act. familia erciscundæ actionem esse de hereditate diuidenda, & c. nunquid. 28. quęsti. i. fratres habere erciscundæ hereditatis consortium. In glossis veterum, Eriscundæ familia, διαίρεσις οὐσας, Eriscus διαίρεσις ὑπάρχοντων, à quo inercta, indiuisa apud Festum lego. Verum non de rebus tantum hereditarijs

tarijs diuidendis hæc actio est, sed etiam de præstanda in uicem indemnitate, quæ sunt actiones personales, ut si vnus ex coheredibus sumptus fecerit ex bona fide in re hereditariam, vel si rem hereditariam absumpserit, deteriorẽ fecerit, vel si solus ex ea fructus perceperit, si eã sustulerit, l. 3. & 19. hoc tit. l. item Labeo. §. familia. D. cod. Illæ de rebus hereditarijs diuidendis, actiones reales sunt, quia vterque se heredem esse adscrit, vterque hereditatem petit, alio tamen genere quam quo agitur petitione hereditatis, qui enim agit petitione hereditatis se heredem esse ait, aduersarium heredem esse negat. in iudicio familiae exciscundæ aduersarium fatemur esse heredem, l. 1. §. & si possessor. D. si pars here. pet. l. fundus qui dotis, §. si ego. D. cod. titu. sicut in communi diuidendo aduersarium esse socium, in finium regundorum aduersarium esse adfinem.

### XXXVII. *Communi diuidendo.*

**C**ommuni diuidendo actio redditur inter alios socios. Imò & inter coheredes, l. inter. D. famil. exc. l. quibus. D. pro soc. Sed plenior est actio famil. excisc. quia in eam veniunt non tantum quæ erant in bonis, sed etiam quæ erant ex bonis mortis tempore, veluti res commodatae aut depositæ, l. inter. in pr. & non est de vna re, nec iterari potest nisi ex magna causa, communi diuidendo de vna re agi potest, & subinde, modò de hac, modò de illa. l. si filia. §. familia, l. fundus mihi. D. famil. exc. l. 4. §. hoc iudicium. D. cod. titu. Habet autem vtraque mistam causam. Nam & actioni Communi diuidendo inest actio pro socio & quælibet præstatio personalis, d. l. 4. §. sicut.

### XXXVIII. *Communia vtriusq; iudicij tam familiae exciscundæ quam communi diuidendo.*

**I**tem hoc habet vtraque commune, ut bonæ fidei sit, l. 3. hoc titu. sicut petitio hereditatis. Ut per arbitrum aut ex conuentu diuisione facta teneatur alter alteri euictionis nomine præscriptis verbis quasi ex empto vendito



dito aut permutatione, quia diuisio instar emptiois & permutationis obrinet, l.1. hoc tit. etiamsi de euictione pactum vel stipulatio non interuenerit, l.14. supr. famil. ere. vno casu excepto quo pactum vel stipulatio necessaria est, si sciens coheres vel socius rem in ea causa esse vt euinci possit, adiudicatam sibi eam rem acceperit & possederit, l.7. hoc titul. Item illud commune est vtriusque iudicij, vt à non iure dato arbitro facta diuisio rati habitatione aut consensu sociorum confirmetur, l.2. hoc titul. Vt res quam coheres vel socius emerit, sibi ex communi pecunia non fiat communis, l.4. Vt instrumenta communia apud eum deponantur, quem præses prouinciæ elegerit, l.5. Velim addi, vel arbiter ipse diuisionis, l.5. D. fam. ercif. secundum generalem definitionem l.2. C. de ped. iud. Nam & diuisio bonorum hodie vel per arbitrum fit datum specialiter, vel per præsidem extra ordinem. Vt corpora quæ desierunt esse cõmunia fortè conuentione sociorum aut destinatione defuncti, neutri in iudicio veniant, l. quanquam, quæ nunquam fuerunt communia venire constet in iudicium familiæ erciscundæ, vt dixi suprâ, veluti res depositæ aut commodatæ defuncto. Sunt & communia vtrique iudicio alia pleraque quæ non recensentur in hoc titulo. Vtramque esse duplicem, vtramque perpetuam, legitimam, quasi ex contractu, & alia quædam.

### XXXIX. *Finium regundorum.*

**I**Nter iudicia diuisionis pono etiam actionem de finibus, qui fortè confusi vel obscurati vel occupati sunt dirigendis, dirimendis, determinandis inter adfines, quam veteres Galli interpretantur (plet de bonnes) actionem arbitrariam, vt rei vendicationem, non bonæ fidei, & dicere possim de finibus erciscundis, vt Apuleius in Metamorphosi, vix erciscundæ. Nec ambigitur quin sit mista actio in rem & in personam. Est igitur quadriga mistarum actionum hæc, Petitio hereditatis, Familiæ erciscundæ, Communi diuiduado, Finium regundorum.

dorum, quas tamen omnes existimandum est plerumque magis esse in rem, quàm in personam, l. si quis cum. D. commu. diui. l. furiosus. D. de obl. & act. id est, principa- liter esse in rem, nec enim sunt ex contractu, & heredi- tatem potissimum vindicant vel id quod cuiq; compe- tit in hereditate aut re communi, vel etiam fines, vt No. 69. Sed & rationem admittit actio finium regundorum eius quod ad finem ad fini dare facere oportet, §. si finiu. Inst. de off. iud. l. 4. §. 1. D. fin. reg. quæ actio personalis est. Et quæ personales etiam eæ actiones sunt, idcò neq; vsu- capio eis obstat, neq; præscriptio longi temporis, id est, X. aut XX. annorum, quæ tamen alio respectu qua reales magis sunt, videretur obijcienda. sed placuit exigi 30. an- norum spatium. Quia igitur actio finium regundorum datur, si lis consistat intra pedes quinq; (hic enim est fi- nis finium) actio in rem si amplioris terræ controuersia sit, hæc perimitur præscriptione longi temporis, illa nõ item, & quod ait l. pen. huius tit. quinq; pedum præscri- ptionem esse summotam, hoc est, de quinq; pedum con- trouersia arbitros tres ex XII. (sicut in vindicationibus ex lege, si vindiciam falsam tulit) vel arbitros singulos ex lege Mamilia iudicare, non obseruata præscriptione longi temporis, l. vlt. C. Th. eod. & vt additur in eodem Cod. hac sola præscriptione actorem repelli, Si veteribus finem cum signis limes inclusus congruum erudita ar- te præstitit, in Concilio Spalensi II. Si veteribus *Quis* limes præfixus monstrauerit reo ius esse retentionis. Et signis, vt poeta ait, signare campum: & Arcadius Augu- stus apud Gromaticos: Cum signis & sigillis terminos constituimus. Ex lege XII. & lege Mamilia non erat vsu- capio intra quinq; pedes, quoniam hanc latitudinem iter ad culturas accedentium occupat vel circum actus a- ratri, vt Aggenus Vibicus ait, & iter quidem ad eundem, ambulandum, id est, seruitus itinèris cum prædio vsuca- pi potest, iter ad culturas, vel, vt loquitur Varro, iter li- mitare vsucapi non potest, sed neq; longo tempore ad- quiri, l. pen. & vlt.

XL. De consortibus eiusdem  
litis.

**I**N Basilicis, πρὶ κοινοῦ τῆς αὐτῆς δίκης, quia ut  
rei, ita litis eiusdem est societas quaedam, quotiens eius-  
dem rei nomine plures agunt aut conueniuntur, & con-  
sortes eiusdem litis, quorum communis est res in iudi-  
cium deducta, qui Aeschilo σῶδικοι, cuius interpres  
σῶδοι λέγονται διὰ ἴσον μέγεθρον ἢ τῆ δίκῃ τῆ  
αἰτίας. aliàs Pindaro σῶδικοι sunt testes illo loco,  
σύνδικοι δ' ἀπὸ λαοῦ τῶν ἐπιμετῶν, nobis Syndicia-  
tores sunt vel defensores ciuitatum aliorumve corpo-  
rum, l. placet, supr. de Episc. & cl. qui procuratorum par-  
tibus funguntur, l. 6. §. pen. D. quod cuiusq. vniu. Vel, con-  
fortes eiusdem litis sunt socij inter quos communis est  
cares, de qua litem simul omnes contestantur vel vnus  
eorum tantum. Sed si vnus tantum litem contestatur suo  
nomine & pro parte sua, ex lege Constantini si agat re-  
pelli potest præscriptione huiusmodi, quod agat nõ ad-  
iuncta persona consortium, vel si conueniatur, tueri se  
potest hac exceptione, quod habeat consortes, l. C. Th.  
de dom. rei qua poss. & inde Sidonius Apollinaris 4. e-  
pist. Non est cur dicere incipias, habeo consortes necdũ  
celebrata diuisio est, quod creditoribus malis dicitur be-  
ne. Sed hoc ante Constantinum non obtinuit. Nam & cũ  
quo consortium ei collibuisse actor præteritis alijs, vel  
si haberet actor consortes sine voluntate eorũ pro parte  
sua experiri potuit. Et potest etiam hodie, ex l. i. huius  
tituli. restituto iure antiquo, & sublata lege Constanti-  
ni, pro sua quisque parte & persona agere & responde-  
re indistincte, siue vnus fori sint consortes omnes, siue  
diuersi, & siue litem iam omnes simul contestati sint,  
vel defunctus cui heredes extiterunt, vt l. si petitor. & l.  
non idcirco. D. de iud. l. tutores. §. penul. D. de adm. tuto.  
siue nunc primum iudicium dicet vel accipiat vnus co-  
rum pro parte absentibus alijs, & malè Accursius l. i.  
addixit

addit hæc verba, post litem contestatam ab alijs. Potest etiam communi nomine vnus insolidū agere sine mandato consortium oblata satisfatione de rato, vel defendere oblata satisfatione iudicatum solui, l. 2. hoc titu. siue ceteri qui modo absunt litem contestati sint, siue solus ipse litem contestari velit. Nam hæc verba l. 2. Post litem legitimè ordinatam, non significant litem contestationem. aliud enim est litem ordinare, aliud contestari. Ordinare, est constituere & preparare personam actoris & rei & iudicis, ac se præmunire, l. Pap. §. 1. & 2. D. de inoffic. testam. & quod ordinabatur in l. 20. D. de probat. id est, præparabatur, in l. liberis. §. vltim. D. de lib. cau. & Festus, ordinato iudicio partes litem contestari Igitur sententia l. 2. hæc, consortium cauere de rato vel de iudicato post litem ordinationem & ante litem contestationē, l. Pomponius. §. pen. D. de procurat. Non inficior & post litem contestationem cauere eum, si fortè post litem ab omnibus vel aduersus omnes contestatam, alij abesse cœperint, & vnus communi nomine rem persequi velit, argumen. l. nihil, supr. de procur. Ergò personis quibus sine mandato agere licet, l. sed & cæ personæ. D. eod. cōsors adiungi potest ex d. l. 2.

### XLI. De noxalibus actionibus.

**N**Oxales actiones sunt in personam non in rem expriuatatis delictis seruorum quæ commiserūt insciens & vetante domino, aut nequeunte vetare. Quibus non hoc agitur vt dominus noxæ dedat seruum, sed vt damnetur damnum sarcire quod fecit seruus pœnamque præstare, l. 3. hoc titu. Nam & pœnales & pecuniariæ actiones sunt, l. 10. §. quotiens. D. de comp. & eleganter l. 6. §. 1. D. de re iudi. solius noxæ deditio nullum iudicium esse, sed pecuniariam condemnationem præcedere, noxæ deditio sequi. Denique vt ex edicto de his qui effuderint vel deiecerint patet, alterius iudicij adiectionem esse. Quod etiam exemplum sententiæ monstrat in titu. de off. iud. IIII. Inst. P. Mæuium L. Titio in

**X.** aureos condemno aut noxam dedere. Deniq; in condemnatione est litis æstimatio, in solutione noxæ deditio ex XII. tab. videlicet antequam actum sit iudicati, l. item veniunt. §. idem rectè. D. de pet. her. Nec tamen noxæ deditio etiam si dominium liberet condemnatione, eo liberat quod ex delicto serui ad eum peruenit, l. pen. hoc tit. Rectè dixi, ex priuatis delictis. Nam legibus iudiciorum publicorum ferè omnibus serui rei fieri possunt, l. hos accusare. §. omnibus. D. de accusa. non legibus priuatorum, quia cum seruo nulla actio est. Rectè, in seruo aut vetante domino. Nam si sciente nec vetante quod vetare potuit, vel iubente, vel opem cõsiliium dante domino, noxæ dedendæ facultatem non habet, & suo nomine tenetur in solidum, l. vlti. Rectè autem vindicationibus iunguntur noxales actiones, quia actio ad exhibendum quæ sequenti tit. proponitur, tam noxali iudicio acturo datur, quam vindicatur, l. 3. §. si quis noxali. D. ad exhiben.

### XLI. *Ad exhibendum.*

**A**ctio igitur ad exhibendum, quæ & exhibitoria dicitur, datur tam propter noxales actiones quam propter vindicationes, & est veluti præparatoria vindicationis aut noxalis actionis, vt interdictum de liberis exhibendis est præparatorium interdicti de liberis ducendis. §. 1. D. de lib. exh. si res mobilis sit, l. quod legatur, D. de iud. l. aduersus, infr. de cri. exp. her. Exhibitionem enim sequitur vindicatio, quæ directæ & principalis actio est, l. 3. §. ibi de m. l. si quis hominem. D. eod. nisi arbitrio iudicis rem aduersarius restituerit. Nam exhibendi verbum etiam restituendi significationem recipit, l. Iulianus. §. quantum. D. eod. & in l. pacto. suprâ, de pact. exhibendis, id est, restituendis. Vel exhibitionem sequitur noxalis actio, & noxæ deditio vindicationem parit quasi dominio ei cui seruus noxæ deditus est, noxæ enim deditio mutatio domini est. Dicitur autem actio ad exhibendum incerti actio, l. pen. D. de poss. quia magis in id quod

quod interest quam in rem datur, & sanè qui iudici exhiberi non paret, quod iussum arbitrium dicitur passim & præceptum, l. 7. hoc tit. cõdemnatur in id quod interest, l. lul. §. vlti. D. eod. Vindicatio certi actio est. Vtraq; arbitraria, atq; etiam noxalis actio. Sic autẽ exhibitoria actio dicitur ad exhibendum, vt redhibitoria, ad redhibendum, l. 28. D. de ædil. ed.

### XLIII. De aleæ lusu & aleatoribus.

**S**equitur titulus, De aleæ lusu & aleatoribus, secundũ ordinem edicti perpetui, cuius rationem exposuim⁹ in Digestis. Ceterũ is quidem titulorum ordo hic obseruatur, sed non etiam rerum continuata series. nec enim res vlla præcedit cum qua conferri hic titulus possit. Aleæ nomen omnem fortunæ lusum complectitur, necdum talorum aut tesserarum iactarum è pyxide, id est fritillo vel phimo, quam pyxidem appellari opinor illo versu Iuuenalis: Partos gladio vel pyxide numeros. neque tamen omnis generis alea legibus prohibetur: excipiuntur prima Constit. titu. huius ludi quinque, quod virtutis causa suscipiantur, vt l. 2. D. eod. l. qua actio, §. si in colluctatione. D. ad legem Aquilianam, *μονόβολον*, id est singularis saltus, *κοντομονόβολον* saltus cõto suffultus, *κονταυός κόνταξχωρίς τῆς πόρτης*, iaculatio hastæ, pili vel conti sine cuspide quæ Quintani iaculatio dicitur ab inuentore, hodieque Quintana vulgò. *περίαιτη*, colluctatio. *ἵππη*, Troia siue Pyrricha, curriculum equorum, cui similes sunt *κιντίζτρα* & *τόρνε*, ludi explicati à Nicephoro Gregora libro X. Ceteri interdicti sunt non tantum si pecunia posita ludatur, sed & si quod maximè notandum est, positis lupinis, argento Cornico, in vicem pecuniæ veræ postea persolvendæ victori, l. i. huius titu. l. 25. & l. vlti. supr. de epis. aud. & est non leue crimen si quis vefita luserit alea, cuius odio multa singulartiter recepta sunt, vt condictio quasi indebiti competat ei qui victus alea sciens vitrò soluit id quod in alea amisit, vel eo cessante, in vrbe præfect. vrbi, in municipijs patri

aut defensori ciuitatis, aut præfidi prouinciæ, vt erogetur in opera publica. Fuit olim eius rei in vrbe cura ædiliū. Martialis: Aedilem rogar vduſ aleator. & alio loco, Ne timet ædilem moto ſpectare fritillo. & Seneca, loca ædilem metuentia, popinas vbi plerunq; luditur alea, & proſtibula. & fuit olim pœnalis actio in quadruplum, hodie in ſimplum, famoſa, vt opinor. nam & aleatorum nomen infame, quamobrem teſſerarios ſe appellari malebant, vt latrones *ποπιſtis*. Item receptum eſt vt ſuſceptorum aleatorum, qui aleatoribus ipſis longè nequior eſt, impunè fiat furtum, & iniuria damnūque detur impunè, & vt qui cogit ad ludum graui multa coercetur vel ducatur in latomias aut vincula publica, l. 1. & 2. D. eod. Et vt condiçioni eius quod alea luſum eſt nulla præſcriptio obſtet niſi annorum L. quod & l. 1. hu ius titul. fuiſſe cautum Euſtathius auctor eſt lib. de temporibus. Et vt arcane popinæ in quibus alea luditur, publicentur, l. 2. hoc titul. quæ etiam nominatim interdicit equorum lignorum luſu, quaſi ſcilicet magis in aleæ ſpeciem quam virtutis cadat. Et vt victori nulla ſit petitorio eius quod alea vicit, vt l. periculi, D. de nau. fœn. & fanè ſi retentionem non habet, & petitionem multò minus.

#### XLIV. De religioſis & ſumptibus funerum.

POſſit hic titulus referri ad vindicationes de quibus agitur in hoc libro, vt in eas intelligamus non cadere res religioſas. Pro certo conſtabat ſacras aut ſanctas vindicari non poſſe quaſi noſtras. Non poſſunt etiam iure dominiij quaſi noſtræ vindicari res aut loca religioſa, veluti monumenta aut ſepulchra in quæ mortuus illatus eſt, l. 4. hoc titul. aut ambitus horum vel quibus lapides adhærent, nō vſucapi, non permutari, nō pignerari, non vendi ſpecialiter, nec niſi modica ſint loca venditioni prædij accedunt, l. 5. D. de ſep. viol. l. in modicis, D. de

cont. empt. nec enim mausolea accedunt. De sumptibus funerum qui eos fecit, si alia ei actio non sit, & si ad eum non redijt res defuncti, datur ei actio funeraria similis actioni negotiorum gestorum, aduersus heredem aut bonorum possessorem aut patrem, ad quem præmortuæ filix dos redijt, & datur ante priuilegia, l. penultim. D. eodem. & agitur etiam extra ordinem eorum nomine quæ quis pio functus officio consumpsit in morbum defuncti, l. 3. hoc titul.

## CODICIS IVSTINIA. NI LIBER IIII.

### TIT. I. De rebus creditis, & de iureiurando.



Rior pars huius tituli est de actione Si certum petetur, de rebus creditis, posterior de actione Si certum petetur, de iureiurando. Posterior, inquam, si ordinem scripturæ spectas. nam religionis honore & sanctitate & proximitate tituli de religiosis, in quo desinit liber tertius, certè est prior. est enim iusiurandum affirmatio religiosa, qua scilicet pleraque firmantur, & homines Deo immortalis interposito tum iudice, tum teste. & sic dicitur quasi ius sacratum, quod sit iurandū Deo teste & iudice, vt apud Neuium, Ius sacratum Iouis iurandum sanguine. & Virg. Fas mihi Graiorum sacra ta resolvere iura. Et verò de iureiurando quasi iure sacra to tractatur etiam prius. reiecta parte de rebus creditis, tamen si prior sit in ipsa tituli inscriptione, in titulum sequentem. Non est autem actio ex iureiurando, sicut nec ex pacto iure ciuili, nisi lege Iulia & Papia libertus patrono præsentis se donū munus operas daturū iureiurauerit, l. 7. D. de oper. lib. l. seruum. D. de man. test. l. 12. in princip. D. de accep. l. 6. §. si quis absente. D. de confess. l. vltim.



vtim. D. de lib. cau. sed sicut pacto conuento formatur & proceditur actio ex ipso contractu, ita iureiurando, vt si quis iurauerit se pecuniam credidisse, erit actio si certum petetur de iureiurando, si emisse, ex empto, si societatem fecisse. pro socio, l. si duo. §. si quis iurauerit, & §. Marcellus, D. eod. vel si iusiurandum subsequatur sententia iudicis, erit utilis actio iudicati, quasi nouatione facta, l. 8 hoc titu. Frequens est comparatio pacti cum iureiurando, l. 2. l. tutor. §. 1. l. sed & si seruus. D. eod. vtroque modo tollitur actio iniuriarum, l. non solum. §. 1. D. de iniurijs, & natural. oblig. l. Stichū. §. naturalis. D. de solu. Ergo & nascitur eadem ex vtroque, & fideiuss. datus tenetur. nam in casu l. si quis pro eo. D. de fideiuss. non obligatur naturaliter seruus qui per errorem quasi libertus iurat de operis. Item qua de re non seruatur pactum, nec seruatur iusiurandum, l. iuris gentium. §. generaliter. D. de pact. l. non dubium, supr. de leg. Et obseruandum est, relatis & traditis libro superiore actionibus in rem, & mistis, quæ tamen magis sunt in rem quàm in personam, atque etiam exhibitoria quæ in rem actionis præparatio est, ab hoc libro quarto initium dari actionibus in personam.

*II. Si certum petetur.*

Actio si certum petetur de rebus creditis propriè datur ex mutuo, vel ex stipulatione quæ mutuacionem præcedit aut sequitur. & hic titulus igitur de mutuo. Mutuum est alienatio pecuniæ quæ fit sub lege reddendæ quantitatis eiusdem. consistit enim in his rebus quæ quantitate valent non corpore. Fateor creditum dici *νοτιώσ* obligationem omnem, & *ιδίως* obligationem ex contractu, sed *ιδιαιτάρως* obligationem ex mutuo. & creditorem eum qui mutuam pecuniam dedit, ceteros haberi creditorum loco, l. 10. & 11. de verbo. sign. ac similiter debitorem qui mutuam pecuniam accepit, l. 11. hoc tit. l. 4. §. is quoque. D. de obli. & act. & ita actio in personam, quæ ei qui mutuam pecuniam dedit in debitorem cōpetit.

tit, propriè dicitur certi conditio vel actio si certum petetur de rebus creditis, & tamen sicut creditoris, & crediti nomen accommodatur ad omnes causas ex quibus certum petitur. & ei aduersa conditio incerti etiam generalis actio est. Sic autem illa verba edicti siue tituli huius accipienda sunt, Si certum petetur dari. Contra in titulis, Si usufructus petetur, Si ager vectigalis petetur, hoc modo, Si petetur restitui quasi suus, vel Si suus esse petitur. quia quæ in hoc titu. proponitur actio, conditio est, quæ in illis, vindicationes. Neq; verò nostri, sed etiam alieni auctores plerunq; rem creditam referunt ad solam mutui causam, vt cum Fabius rem certam creditam separat à locato & conducto, lib. 4. & Seneca 3. de benef. Pars optima beneficij perit, si actio sicut certæ pecuniæ aut ex conducto & locato datur. & alio loco. Dies beneficio reddendo non dicitur, sicut creditæ pecuniæ, & apud Festum, lex de pecunia credita fenebris.

### III. De suffragio.

**E**ST & alia si certum petetur de chirographis in C. Th. de qual. vlt. tit. superioris, & l. 89. D. de sol. & alia si certum petetur de suffragijs in cod. Cod. & quæ hoc titu. proponitur. Et tenetur quidem ea qui honorem vel quid aliud quod desiderabat impetrauit à principe suffragante & intercedente aliquo, vt rem pecuniamve certam quæ ei pro isto officio, pro suffragio, fauentia, intercessore fidepromisit præstet. nec enim est illicita stipulatio, imò suffragium in aula vnicuique oblandiri & pecunia elicere, & suffragium modò non sit fumosum vendere licet. quod tamen post Tiberius vetuit No. 161. & videtur non obtinuisse ante constitutionem huius tituli. nam & soluti suffragij olim repetitio fuit sicut aleæ solutæ. Constitutione Iuliani nec fuit soluti repetitio, nec petitio nõ soluti.

### IV. De prohibita sequestratione pecuniæ.

**A**CTIO si certum petetur de rebus creditis pecuniæ, id est quantitas petitur certa, & quamuis aliarum rerum  
quæ

quæ in iudicium deducuntur sequestratio fieri possit ex causa, etiam liberarum personarum, pecuniæ tamen quæ petitur sequestratio hac lege prohibita est, quia res quæ certum corpus habent faciliè inreruerti possunt, quã titatis nullum subest corpus. & videtur abrogari l. 1. Co. The. si cert. pet. de chir. quæ vno casu admittit sequestrationem si de falso chirographo exoriatur quæstio inter debitorem & creditorem. quia generalis est prohibitio huius legis. Sequestratio est translatio possessionis rei litigiosæ in tertiam personam facta consensu partium, vel auctoritate iudicis ea condicione vt qui vicerit ei ea res reddatur, restituatur. Et alio significato, in certamine aliquo, in quo liceat sponsonem facere, vt l. 3. D. de aleat. Sequestratio est apud iudicem sponsonis facta de positio pignoris vtraque ex parte, qui iudex sponsonis etiam Sequester dicitur, & veteribus Sculna, vt illo Macrobij lo co 3. c. 17. Sponsonem contendit, digno Sculna Numatio Planco, qui tam honesti certaminis arbiter electus est. & in hunc quidem sequestrem est actio præscriptis verbis quasi ex nouo negotio, l. 18. §. vltim. D. de præsc. ver. in illum actio depositi, l. ei apud, §. 1. l. si in Asia. §. cum sequestre, D. de positi. & aliquo casu præscriptis verbis, l. si quis adfirmavit. §. Labeo. D. de dolo nam & si auctore iudice sequestratio facta sit, sicut publica persona alteri stipulata rectè, vtilemq; actionem parat, ita iudex in deponenda ea re de qua agitur paciscendo vel legem dicendo ei secundum quem litem dederit cauere potest & parare actionem depositi sequestrariam.

*V. De condictione indebiti.*

**E**Adem actio datur ex mutuo & expromutuo, nempè condictio l. 4. §. is quoque, D. de oblig. & act. Indebiti solutio promutuum est, maximè si ea soluantur, quæ pondere, numero, vel mensura constant, quia id in soluendo actum videtur, vt si fortè apparetur indebita pecunia quæ soluta est, eam habeat is qui accepit quasi mutuanam, q̄ tacita obligatio dicitur, l. 13. in fin. D. com. di. Sed

& aliarum rerum non debitarum solutionem indebiti conditio reuocat quasi ex tacita obligatione, vel quasi ex contractu, puta rei datæ solutæve sub lege recipiendi, Conditio certi vel incerti. nec enim corporis tantum aut quantitatis indebitæ conditio est, sed etiam cuiuslibet rei incertæ veluti possessionis aut cautionis, aut iuris cuiuscunque, quæ enumerantur inter *λόγω θεωρητὰ*, & quæ aliter dicuntur *κένω καὶ νοήσι μόνον ληπτὰ*. At enim ei tantum hæc actio datur qui indebitum, id est, quod nec natura debuit, soluit per errorem facti, non per errorem iuris, vel qui dubitans factique incertus soluit. Nam qui sciens soluit, etiam si dixerit *Soluo non Dono*, donat verius quam soluit. Et ei qui rem soluit non pœnam, nam pœnæ solutæ conditio non est etiam si ad causam indebiti reciderit. Ergo nec ei conditio datur qui ex ea causa soluit quæ inficiatione crescit, l. 4. hoc titu. Proinde si ex causa iudicati soluerit ignorans se non ritè & ordine iudicatum, vel falso credens se condemnatum esse, conditio cessat, l. 1. hoc tit. non quia ciuilitè obligatus fuerit, sed quia ex ea causa soluit qui inficiatione crescit. cessat enim actionem iudicati ex inficiatione creuisse in duplum ex Paulo in Senten. & eum qui ex his causis, scientem videri indebitum soluisse, propter metum periculi quod inficiatori imminet non implenti intentionem suam, arg. l. si non sortem, §. si non falsi, D. eo. quæ de *causa* rectè in l. eleganter. §. vltim. eod. Ab initio, quia scilicet est si ex inficiatione.

#### VI. De condictione ob causam datorum.

RECTÈ Stephanus condictionem indebiti esse generalem eaq; posse condici data ob causam honestam causa non secuta, vel data ob causam inhonestam, sed & speciales eorum nomine proponi actiones hoc titu. & sequi. Huius igitur condictionis qua repetimus data ob causam honestam, veluti ob matrimonium matrimonio nō secuto, generale nomen est, conditio indebiti, speciale conditio ob causam dati causa nō secuta, & speciali potius

vltimur

utimur quam generali, quia specialiter edicimus, quæ ex causa dederimus, generali autem ubi dati nulla causa est quæ sequi debeat, ut si indebitum soluerimus quod esse debitum arbitrabamur. quæ de causa idem putat in Digestis titul. de cond. ind. recte anteponit speciales De cond. cau. da. cau. non sec. & de Cond. ob. turp. vel inus. caus. quemadmodum dicitur non esse nouum ut lex specialiter quibusdam enumeratis generale subijciat verbū quo specialia complectatur, l. si seruus. §. cum eo. D. ad l. Aq. Causam autem non pro principio agente accipimus, sed pro fine, quæ res dicitur proprie non pro causa præterita, sed pro futura. hæc si fecerit, id est si finita vel non secuta fuerit, condictio competit. Ob causam præteritam dati condictio non competit, l. damus l. in summa. §. id quoq;. D. de cond. ind. quod tamen ita accipiendum est, ut si dedi ob falsam debiti causam quo me pridem iure ciuili obstrictam esse credebam, condictio indebiti mihi competat, non si dedi liberaliter remunerandi animo vel alias naturalis obligationis soluenda gratia. hoc enim casu condictio mihi non datur, quamuis errauerim, quia donare volui. Donat enim quis quod nullo iure cogente, id est, nulla coactus soluendi necessitate soluit, idē que & solutio est simul & donatio, l. 10. §. si Domini. D. de in rem ver. Ergo siue vera siue falsa sit causa naturalis propter quam debitum soluitur, indebiti condictio cessat, d. l. damus. & l. in summa. ac proinde soluti condictio mihi non competit si refero gratiam & soluo ei à quo beneficium accepi, quia natura debui referre gratiam & quia donauit. si ei à quo falso credebam me beneficium accepisse, quia donauit.

*VII. De condtione ob turpem causam.*

**E**X superiore titul. didicimus, data ob causam honestæ condici causa non secuta, ex hoc intelligimus data ob causam turpem, id est bonis moribus aduersam non condici, si vel dantis solius turpis causa fuerit, ut si scort-

to mercedulam dederit, vel dātis & accipientis, vt si mercedula iudicem corruperit, l. 2. aut condici etiam causa secuta si turpis causa solius accipientis fuerit, vt si dederit vt rem depositam reciperet vel rem furtiuam, l. 4. & pen. hoc tit.

### VIII. De condictione furtiua.

**L**EX vltima superioris tituli quæ est tam de condictione furtiua quàm de condictione ob turpem causam, forte praubit ansam subijciendi statim specialis tituli de condictione furtiua, quæ tamen longissime distat à superioribus condictionibus. Nam illis rem alienam condicimus, condictione furtiua rem nostram contra regulas iuris, & illæ ad rei recuperationem pertinent, hæc videtur etiam pertinere ad pœnam, quia odio furum comparata est, §. sic itaque. Inst. de act. Si odio furum, & pœnæ causa igitur, l. qui exceptionem. D. de cond. ind. coniuncta l. sed & si pater. §. vlti. D. ad Maced. & vt dicitur de actione in factū ex edicto de al. iud. mut. cau. fac. l. quia pertinet, ita condictio furtiua licet ad rei persecutionem pertineat, videtur ex delicto dari, l. 10. §. quotiens. D. de comp. l. si cum mulier. §. hæc actio. D. rer. amot. atque ideo videtur ei etiã inesse vindicta, imò & infamia quædam, vt cōdictioni rerum amotarum, l. 2. infr. rer. amot. quamobrem nec in heredem datur, l. 3. eod. l. 9. §. vlti. & l. 10. D. de tut. & rat. dist. nec in patrem vel dominum de peculio si nihil ad eum ex furto peruenerit, vel si ex eo locupletius peculium factum non fuerit, l. 4. D. eod. l. 3. §. vltim. D. rer. am. l. seruus. D. de act. emp. l. 3. D. de pecul. Et pignore subrepto à debitore si egerit creditor furti vel conductione furtiua, vt depensam pœnam debito non imputat neque restituit debitori, ita nec quod ex causa condictionis furtiux ab eo consecutus fuerit, & integra debiti petitio est, l. si pignore. D. de pign. act. Et præterea superioribus condictionibus vtitur is qui dedit, tradidit, vel promisit, condictione autem ex causa furtiua is quo neque dante neque volente res ablata est,

nec continetur vt superiores sub conditione indebiti. Domino autem, vt dixi, cui furtum factum est, datur ex hac causa conditio certi. & æ fere sunt actiones in personam, quæ solis dominis dantur, Conditio furtiua, damni iniuria, Aquæ pluuiæ arcendæ, Arborum furtim cæsarum. Ex causa furtiua incerti conditio etiam non domino datur, d. l. si pignore. & l. ideo. §. vlt. D. eod. tit. l. 25. D. de furt. l. 2. D. de cond. trit.

*IX. De condictione ex lege & sine causa vel iniusta causa.*

**A**CTiones in personam aut ciuiles sunt aut prætoriaræ aut ex legibus vel Constitutionibus, l. 2. inf. de quad. præf. Ciuiles ex XII. tab. certæ & solemnes. Prætoriaræ vel honorariæ ex edictis magistratum. Ex legibus nouis veluti damni iniuria ex lege Aquilia, quæ nomen vsurpauit ciuilis actionis proditæ eadem de re XII. tab. Aliæ sunt ex legibus nouis, quæ nomen ex antiquo iure translaticium nullum habent, quæ conditiones ex lege, veluti conditio ex l. Iulia, & conditio ex l. Cincii, & ex legibus talarijs conditio eius quod in aleam lufum esset. Ex Constitutionibus sunt innumere, vt ex Constitutione prima huius tit. condicimus debitori nostro ante diem si non suppetat aliud vnde fisco satisfaciamus cui sumus obnoxij ex causa militaris annonæ, nec locus est exceptioni, Cuius pecuniæ dies fuisse. Aliæ conditiones de quibus actum est supra, & quæ sequuntur, Sine causa, & Ex iusta causa, inductæ sunt iure gentium ex bono & æquo, exemplo tamen ciuilis conditionis quæ ex mutui datione nascitur. Conditio autem furtiua in odium furum iure recepto singulari contra regulas iuris. Sine causa est chirographum meum apud te si nihil mihi credideris vel si quod credidisti omne persoluero tibi, l. 2. & 4. Sine causa ad malæ fidei possessorem perueniunt fructus rei alienæ, l. 3. & his casibus proprie locus est conditioni.

ditioni sine causa, & in casu l. 2. D. eod. & l. seruus. §. secundum. D. de act. emp. Sed concurrat etiam cum superioribus conditionibus, nam sine causa id etiam apud te est quod indebitum, vel quod ob turpem causam acceptum, vel quod ob honestam causam causa non secuta, vel quod tu mihi furto abstulisti. Conditio ex iniusta causa est si quis dederit ex pacto non iusto, puta facto vi aut dolo malo aut contra iura publica, vel ex stipulatione vi extorta, l. 7. D. de cond. ob tur. cau. Et de hac conditione nulla est sub hoc titu. Constitutio, sed titulo ipso hoc tamen indicatur promiscuum esse vsum conditionis sine causa & conditionis ex iniusta causa. nam & quod sine causa habes, ex non iusta causa habes, & contra quod ex non iusta causa, sine causa.

### X. De obligationibus & actionibus.

POST conditiones transitum facit ad alias actiones in personam, quæ nascuntur ex contractibus & obligationibus ciuilibus. Ex earum numero primam posuit iam initio conditionum ex mutuo. actioni enim ex mutuo proprie cohæret conditionis nomen. & ab illa perductus est ad alias conditiones quæ descendunt ex bono & æquo & quasi ex tacitis obligationibus vel quæ descendunt ex obligationibus noua lege introductis nõ expresso nomine actionis, quæve dominis in fures dantur quasi pœnæ causa constituto iure. Nunc alias officio executurus actiones in personam, quæ ex negotijs & obligationibus ciuilibus dantur, & suum habent legitimum nomen, longe alio ordine quàm in Digestis, vt supra proposuit generalem conditionem indebiti speciebus conditionum, Ob rem dati re non secuta, Ob turpem causam, Ob iniustam, sine causa. ita priusquam veniat ad species earum actionum, quæ ex contractu & obligatione ciuili nascuntur, dat titulum generalem de obligationibus & actionibus. Ex contractu est obligatio, ex obligatione actio in personam. Obligatio est iuris necessitas. Actio executio obligationis, vel intentio eius qui



qui alium ad iudicium prouocat, vel iudicium quo actor consistit aduersus reum. Contractus est conuentio, quæ proprium & legitimum nomen habet, vel quæ nomine vacat, datione tamen aut factò aliquo sumplit effectum.

*XI. Vt actiones ab heredibus & contra heredes incipiant.*

**S**Equentes tituli vsque ad XXI. partes sunt superioris, & omnibus id agitur, vt generales definitiones ponantur de obligationibus & actionibus, & has quidem iam habuimus titulo superiore. Ex alterius contractu neminem obligari, Non nasci efficacem obligationem ex negotio contracto dolo malo, Voluntatis esse contractare, necessitatis implere contractum, Procuratori in rem suam ad agendum constituto mandatis actionibus nomine domini directam actionem dari etiã mortuo domino relictis heredibus, & suo nomine semper utilem, Non mandatis actionibus, neq; debitore delegato, mortuo domino procuratori in rem suam constituto ad accipiendam pecuniam à debitore domini, aduersus eum debitorem nullam superesse actionem, Cui mandata est actio principalis & Seruianam mandatam videri. In arbitrio esse creditoris vtra prius experiri malit, principali Seruiana, nec alia aliam consumi, Legibus & iudicijis compellendos esse debitores, non armis, non seruitio corporis. His additur alia hoc proprio & singulari titulo, quod sit noua regula, vt obligatio quæ non cœpit à defuncto vel contra defunctum, à persona heredis vel contra heredem incipere possit. quæ contraria est veteri regulæ, de qua l. dubium. C. Th. de diu. res. & Theophilus in §. post mortem, de leg. tollitque veterem differentiam verborum, Cùm moriar, Cùm mortuus fuero, Post mortem meam dari, vel pridie quàm moriar, vt l. 11. inf. de cont. stipu. quam triennio post hæc constitutio sustulit, & regulam, quæ non erat sublata nominatim per illam, sed per consequentias tantum, quæ nihil valent

lent in nouo iure constituendo.

*XII. Ne vxor pro marito, vel maritus pro vxore, vel mater pro filio conueniantur.*

**T**antum adest, vt alius pro alio conueniri possit, vt nec pro cotono dominus, vel contra. l. i. & ii. sup. tit. 10. nec pro debitore is ad quem pecunia peruenit, l. pen. cod. nec cōiux pro coniuge, nec mater pro filio, nec quisquam, pro necessarijs sibi personis, vt hoc titu. & sequen. vt vix sit vllus excipi, indus ab illa certissima regula, Ex alterius contractu neminem obligari, l. pen. hoc titul. id est, ex suo quemque contractu obligari, non ex alieno. Nam & pater pro filiofam. & dominus pro seruo ciuilitate non obligatur, nec iure pratorio in solidum, sed & peculium duntaxat. & quia in peculium tamen, idem mariti in hoc titul. non iunxit etiam patrem, nec tit. seq. filio emancipato filiumfamilie.

*XIII. Ne filius pro patre, vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono conueniatur.*

**A**D superiorem regulam additur, nec filium pro patre, vel patrem pro filio emancipato obligari aut conueniri posse, nec libertum pro patrono, nec seruum pro domino, quod in seruo notissimum est, cum nec ex contractu vllio iure conueniri possit, l. tutelae, §. i. D. de capi. min. l. vlt. supr. de nox. act. & quamuis hoc obiter legatur scriptum, l. vlt. huius tit. tamen in tit. ipso prænotarum non legitur in Basil. nec in vet. libris.

*XIIII. An seruus ex suo facto post manumissionem teneatur.*

**A**C nec idem ipse quidem tenetur pro seipso, si renascatur & nouus homo fiat, quod manumissione contingit. Nam de eo quod quis contraxit vel gessit in seruitute, post libertatem nulla ei vel in eum actio est, nisi conexum id sit cum eo quod post libertatem gessit. Hoc enim

enim casu prius tempus trahitur ad posterius, l. tutorē. D. de adm. tut. l. 17. D. de neg. gest. alioquin nulla ex antegesto in manumissum actio est, quia nec vlla fuit ab initio. Nam obligatio naturalis quam seruus suscipere videtur, nullam actionem parit. Quamobrem in tractatu de solutionibus, quo docemur id quod debitor ex pluribus causis indistincte soluit, in antiquiorem contractum cedere, recte dicitur in manumisso non esse antiquiorem contractum eo quem statim post libertatem solet habere cum patrono de operis, l. in liberto. D. de solut. quia scilicet contractus habitus in seruitute pro nullis habentur. & factum interpretor contractum vel quasi contractum. quia actionum ex delicto venientium obligationes cum capite ambulent, l. tutelae. §. iniuriarum. D. de cap. min. l. 4. hoc tit.

*XV. Quando fiscus vel priuatus debitoris sui debitores exigere potest.*

**E**T hoc titulo ostenditur creditorem quoque debitorē debitoris sui conuenire non posse sine mandato debitoris sui actione in personam. Conuenire tamen eum & exigere posse actione Seruiana iure taciti vel manifestarij pignoris, qua in re distat hoc tantum fiscus à priuato, quod fiscus qui omnium bonorum etiam nominum semper habet tacitam hypothecam, prius excutere debet principalem debitorem quam nomen debitoris sui, l. penul. hoc tit. priuatus liberum habet arbitrium conueniendi quem voluerit, principalem debitorem aut principalem debitoris debitorem, si expressim nomina debitoris pignori obligata sint. Distat etiam pignus conventionale ab eo quod capitur iudicati exequendi gratia, quoniā iure conuentionis nomen pignori obligatum persequitur priuatus, etiam si debitor soluendo sit, nec tamen capit nomen pignori ex causa iudicati, si alia sint bona quæ pignori capi possint.

XVI. *De actionibus hereditarijs.*

**Q**UOD hætenus variè demonstratum est non tenent alium pro alio, sanè in herede locum nõ habet, quì cum sit successor iuris vniuersi, necesse est vt pro defuncto teneatur actionibus hereditarijs, & ea sustineat onera atque incommoda quæ defunctus sustinuisset, & cõmodis quoq; fruatur iisdem. Actiones hereditariæ sunt quæ cõeperunt ex persona, vel in personam defuncti & transferunt in heredem. Nam quæ cõeperunt ab herede vel in heredem, vt actiones legatorum, heredis sunt nõ hereditariæ, vel hereditariarum loco non hereditariæ, l. hereditariarum. D. de obla. & act. & præterea solas actiones in personam hereditarias dicimus, non actiones in rem. Et solos heredes, debitores & creditores hereditarios ex XII. tab. si plures sint diuisis actionibus pro hereditarijs portionibus, non legatarios, nõ fideicommissarios, non debitores hereditarios, id est, quorum nomina in hereditate fuerunt. Debitor vel creditor hereditarius modo heres est debitoris vel creditoris, modò debitor vel creditor defuncti, & post aditam hereditatem heredis.

XVII. *Ex delictis defunctorum in quantum heredes conueniantur.*

**E**T rursus hereditariæ actiones sunt, quæ ex contractibus vel quasi ex contractibus defuncti nascuntur. Quæ autem ex delictis in heredes actiones non transmittuntur, nisi lis fuerit contestata, vel res iudicata aduersus defunctum, quo casu heres ex assè tenetur in solidum, heres pro parte, pro ea tantum parte, pro qua heres est, l. 9. D. de cõd. furt. l. 2. in fin. D. de præst. stip. Quod si neque condemnatus fuerit defunctus, neq; lis contestata cum eo, non tenetur ex maleficijs defuncti heres, nisi quatenus ex ea re locupletior ad eum hereditas peruenit, dolove malecius factum est quo minus perueniret, & in id tenetur culculi potius quàm delicti ratione, ne ex alieno damno alienoque scelere locupletior fiat, l. in heredem, l. Sabinus.

aus. D. de dolo. Delictorum appellatione non publica crimina intelligimus, quæ exceptis quibusdam in herede non transeunt, etiam si ex eis cum defuncto lis contestata sit modo secuta etiam condemnatio non fuerit, Lex iudiciorum. D. de accus. Sed priuata delicta, ex quibus forenses seu ciuiles actiones dantur, veluti furti, iniuriarum, vi bonorum raptorum, damni iniuria, de dolo malo, quod metus causa, ad quam propriè pertinet constitutio huius tituli, condictio furtiua, in factum ex edicto de calumniatoribus, vel ex edicto de alienatione iudicij mutandi causa facta, vel de edendo, serui corrupti, Arborum furtim cæsarum, & de incendio, ruina, naufragio, & de eo qui sciens pro libero vāniit, & alia quædam. Item quæ quasi ex delictis dantur, l. Iulianus. D. de iud. l. vlt. 2. hæc iudicia. D. nau. caup. l. 5. §. hæc autem. D. de his quæ deiec. vel eff. & aliquando quæ ex contractibus, cum in eis delictum quoque versatur. §. aliquando, Inst. de perp. & temp. act.

XVIII. De constituta pecunia.

**A** Titulo X. animus conditori Codicis huius fuit, generalia præcepta tradere de obligationibus & actionibus, & posteaquam egit specialiter de hereditarijs actionibus, quibus inclu. tur omne genus actionum in personam, voluit & de constituta pecunia specialem titulum proponere, tum quod eo continetur etiam omne genus debitarum pecuniarum, tum etiam quod dubitabatur an actio constitutæ pecuniæ quasi pœnalis secundū superiorem titulum non esset danda in heredē nisi post litem contestatam, quod definitur l. 1. & 2. huius tituli. & l. 18. §. è re. D. cod. Est autem constituta pecunia, pecunia debita à se vel ab alio, quam certo die vt soluatur curaturum se quis recipit citra stipulationem. idque genus conuentionis olim receptum dicebatur apud mensarios, & actio quæ ex ea re competebat actio recepticia, quoties ad mensam argentarij, contrahentibus, vt ad fieri plerumque solbat, argentarius recipiebat soluturum

se quod hic vel ille cauisset, & erat negotium ciuile & actio ciuilis. Hodie constitutum appellatur, & est iuris prætorij obligatio, quæ contrahitur etiam per epistolā, vt in l. quidam. D. eod. hoc modo, Quæ L. Titius mutua accepit à te, ea penes me habes: vel, vt in epistola D. Pauli ad Philemonem, Qua re læsit te Philemo, aut quod is tibi debet, mihi imputato, ego Paulus manu mea scripsi, ego reddam. Denique fit nudo consensu, & secundū ius vetus earum tantū rerum nomine quæ in mutui causam veniunt, & actio erat annalis, qua de causa dari agrè videbatur à prætore. & magis coercendæ improbitatis eius qui ad diem conductum fecellisset quasi ex delicto eius (omni enim constituto dies adiicitur vel inesse intelligitur) quàm quod nudus consensus videretur sufficere obligationi: ac proinde quasi pœnalis ex parte rei hæc actio videbatur non esse danda in heredē rei. Quod non obtinuit, & meritò igitur proximis superioribus titulis XVI. & XVII. de hereditarijs actionibus adiunctus hic est, vt & hanc actionem sciremus hereditariam esse.

### XIX. De probationibus.

**ET** hic quoque titulus pertinet ad generalia præcepta & communia omnium actionum. Nam inanes sunt actiones, nisi, vt dicitur, indubitata probationis fides, quæ in iudicem competentem liqueat vera esse, quæ in iudicium adducuntur. Hoc vero quis præstare debeat actor an reus in singulis actionibus quæri & disceptari solet, & per singulas quoque actiones hoc titulo itur huius rei explorandæ gratia, non per omnes quidem, esset enim res operosa & molesta nimis, sed certas quasdam in personam & in rem. Probatio autem est intentionis suæ legitima fides quam facit iudici actor vel reus vel vterq;. Et duæ præcipuæ sunt maximæq; probationum species, Instrumenta & Personæ, vt Heliodori X. Aethiop. & l. 11. inf. de fid. inst. l. 1. sup. de dilat. Addi possunt argumenta, signa, indicia, l. 21. hoc tit. l. 10. infr. arb. tuto. & indicia

certa quæ iure non respuantur, l. indicia, sup. de rei vind. l. 15. inf. de iur. dot. indicia indubitata & omni luce clariora, l. vlt. hoc tit. & plerunque probationes quæ dicuntur, hoc adiuncto, liquidis vel manifestissimis vel aper-  
tissimis, hæc indicia rationesque dicuntur, vt l. pen. inf. de contrah. stipul. l. 2. infr. de in lit. iur. l. 3. §. prætereà. D. de suspect. tuto. l. libertas. §. vlt. D. mand. test. l. planè. §. 1. de leg. 1. & hæc sunt genera legitimarum probationum. Illegitimæ sunt testationes, adnotationes, expensi lationes priuatæ. Nam & formas agrorum priuatas non obligare Siculus Flaccus ait, & alio iure sunt antiqua monumenta finium ære vel faxis insculpta, nempe quasi instrumenta publica, sicut census publicæ tabellæ alio iure de quarum fide non ambigitur, & alio professiones censuales vel etiam natales eментitæ, vel affirmati-  
ones aut nominationes nudæ. Etiam iururandum per se solum nego esse legitimę probationis genus alioquin iureiurando actoris fieret reus inficiator non minus quam instrumentis vel testibus, l. eum qui. D. de iureiur. non nego esse adminiculum infirmæ & illegitimæ probationis, vt edicto Iustiniani VII. nec et alios effectus suos detractos volo. Id in cæco testimonio Rhetores ponunt sicut tabellas & personas absentes, & multitudinem aut ciuitatem.

*XX. De testibus.*

**A** Generali titulo de probationibus transitum facit ad probationum species summas, ac primum agit de fide testium, deinde tit. seq. de fide instrumentorum, illa fides ex pluribus testibus constat, vt lex cauerit, vel si ni cauerit vt lex XII. de vindicijs sumendis, & de furto cõcepto, saltem ex duobus, hæc verò etiam ex instrumento vno.

*XXI. De fide instrumentorum & amissione eorum, & de apochis faciendis, & de his quæ sine scriptura fieri possunt.*

**I**N exercendis litibus eandem vim habēt tam fides in-

strumentorum quàm intercessionem testium, l. 15. hoc tit. & fidem instrumentorum dico quæ eis data sit vel imposita per testes vel per comparationem literarum, l. iudices, l. cum quidam, hoc tit. & instrumentorum vel publicorum vel priuatorum. Et priuata quæ fidem faciunt instrumento dico chyrographa, syngraphas, acceptilationes, apochas, antapochas, & testimonia suffulta testium voce. Publica autem forensia, quæ conficiunt alijs tabelliones vel mensarij & census monumenta & acta iudiciaria, quorum tamen amissionem vel corruptionem multis locis in hoc tit. ostenditur nihil nocere dominis vel possessoribus vel creditoribus habentibus alias probationes. Nam & sine his omnia negocia rectè contrahuntur & perficiuntur, nisi aliud conuenerit, l. contractus, hoc tit. Est in hoc tit. vna Constitutio de antapochis faciendis, quo nomine significatur professio debitoris facta creditori vel domino, qua singulis fateatur de vsuris quas soluit creditori, vel de pensionibus aut redditibus quos domino soluit. Et apochæ verò & antapochæ sunt professiones solutæ pecuniæ, sed apocha debitori datur à creditore, antapocha creditori à debitore, vt scilicet quandoque ea fretus creditor cum erit commodum ostendere possit solutione vsurarum vel reddituum interruptam fuisse præscriptionem XXX. annorū si fortè eam debitor opponat creditori eludendæ ænis causa. Nam solutio vsurarum vel pensionum, quam utique creditor probaturus est per antapocham, interruptit præscriptionem XXX. annorum, l. pen. §. vlt. inf. de præscrip. xxx. an. & rectè Græci ad l. plures, hoc titul. *διακόπη τῶν διακορυαετηρίδων ἢ τὸν κατὰ το βολή*  
 Est etiam pro antapocha exemplum apochæ subscriptū à debitore & creditori datum. Antapochæ formula hæc est. L. Titius fateor me C. Scio anno illo die illa tot soluisse annui redditus nomine quem ei debeo ob fundum vel possessionem illam, vel tot vsurarum nomine ob creditam mihi pecuniam.



XXII. *Plus valere quod agitur, quàm quod  
simulatè concipitur.*

**P**ARS est tituli superioris, vt plus valeat veritas rei gestæ quàm instrumenta conficta & simulata; qua magis atq; magis comprobatur id quod superior titulus iã satis comprobauerat, non minus valere rem gestam quàm cunque quod instrumenta ea de re conficta nulla sint, & instrumenta non fieri, vt res valeat, sed vt facilius probari possit sitq; eius fides & memoria diuturnior, denique propter res esse literas, non propter literas res: & instrumenta nihil aliud esse quàm testimonia factorum, l. 12. inf. de pig.

XXIII. *De commodato.*

**E**T positis generalibus præceptis de obligationibus & actionibus, incipit modo de his tractare per species singulos: ac primum de actione commodati quasi proxima actioni creditæ pecuniæ quam proposuit initio huius libri. Nam & sub titulo de reb. cred. legimus prætorè edixisse de commodato & de pignore, l. 1. D. de reb. cred. & mox de pignore etiam agitur tit. seq. Commodatum est mutuum ad vsum. Mutuum est commodatum ad abusum. Vel, commodatum est contractus quo quis rem suam dat gratuito vtendam alteri ad tempus, vel vsus temporalis rei gratuito concessus. Dico gratuito. Nam originem commodatum trahit ab amicitia, & omnis caritas atque amicitia gratuita est. Expleto autem vsu in quem res commodata est alteri, ex ea cõuentione domino competit actio commodati directæ, vt si tradidero tibi seruum meum pignori obligandum creditori tuo, soluta pecunia creditori, quia pignoris obligatio extincta est finitusq; vsus rei in quem eum hominem tibi commodaui, statim mihi competit de eo homine recipiendo actio commodati directæ, & vicissim tibi contraria de recipiendis impensis maioribus in eum factis forte ob morbum vel fugam eius.

## XXIV. De pigneraticia actione.

**S**equitur alius contractus, quod pignus vel pignori acceptum dicitur, l. contractus. D. de reg. iur. l. i. §. ult. D. de pac. id scilicet quod traditione constituitur. Nam hypotheca quæ nudo pacto consistit non est contractus, & tamen iure prætorio non minus de ea est quam de pignore non tantum actio hypothecaria, quæ in rem actio est, verum etiam in personam actio, sicut ex pignore quæ pigneraticia dicitur, soluta omni pecunia, si forte hypotheca ad creditorem peruenerit. Competit enim debitori qui pecuniam omnem soluit actio pigneraticia directa de pignore vel hypotheca recipienda vel eius pretio aut quanti interest. l. fideiussor. D. de neg. gest. l. pen. D. eod. pigneraticia iudicium, l. Lucius. §. rogatus. D. ad Tre. Creditori autem datur contraria, si quid in rem pigneratam impenderit, vel si res aliena ei pignerata sit. Nam & si rei alienæ pignus non valeat, tamē ex ea causa pigneraticia actiones non sunt inutiles. Pignus autem est alterius contractus fides & accessio, & soluendæ rei vinculum, l. legata. §. ult. D. de supel. leg. Vel, conuentio quæ rem debitoris creditori obligat in crediti vicem. Vel, est contractus quo debitor rem suam deponit necitque creditori quo magis ei in tuto sit creditum suum.

## XXV. De institoria &amp; exercitoria actione.

**P**OST actionem commodati & pigneraticiam quæ ex nostris contractibus nobis vel in nos dantur, proponuntur actiones quæ ex iisdem vel alijs contractibus aliorum hominum, veluti institorum, quos mercaturæ faciendæ, vel magistrorum, quos nauis occupandæ præposuimus etiam si sui iuris sint similiter nobis & in nos dantur, duæ scilicet, exercitoria ex contractibus magistrorum, & institoria ex contractibus institorum. Nec enim vnus negotij sunt actiones, sed negotiorum & contractuum omnium, vt quæ tit. sequ. De peculio, De in re verso, Quod iussu, etiam pertinent ad contractus omnes

Insti

Inſitor eſt, qui alieno nomine inſtat mercaturam, qui & officinator in gloſſis, & ἐργαστηριάρχης, vel actor rerum eius qui cum præpoſuit, & recte l. i. D. eod. ex actu inſitoris eum qui præpoſuit teneri in ſolidum actione inſitoria, tum quod eius præcipuè fidem ſequatur qui cū inſitore contrahit, tum etiam quod ad eum negotiationis quaerſtus omnis redeat, & ſi aliter rem ſuam ſervare non poſſit vel ſi inſitor qui eſt ſui iuris non ſit ſolvendo quod in ſubſidium ei detur actio utilis in eos qui cum inſitore contraxerunt, l. i. & 2. D. eodem. l. 5. D. de præſt. ſtipu. contra regulam iuris, quæ vult per liberam perſonam nobis non adquiri actiones, quod & in exercitore locum habet, l. 1. §. ſed è contrario. D. de exerc. act. Exercitor autem eſt dominus vel poſſeſſor navis, qui eam per magiſtrum navis præpoſitum exercet & percipit omnes reditus & obventiones eius. Magiſter, inſitor eſt navis præpoſitus. & ſimiliter actio exercitoria, inſitoria, cum & ad ſimilitudinem inſitoria comparata dicitur, l. 4. hoc titul. & retro inſitoria, exercitoria. nam & is qui inſitorem præpoſuit, tabernam, officinam, menſam, negotiationem exercere dicitur, l. habebat. §. ſi duo. l. vlti. D. eod. l. 8. C. Theo. de luſt. col. nec tamen in iure uſquam confunduntur commutanturve hæc actionum nomina vel magiſtri & inſitoris, etiam ab Honorio quæ ſeparata legimus illo loco, Seu vocat inſitoria, seu navis Hispanæ magiſter. & ſeparationis ratio in iure conſiſtit, quod non iſdem regulis utraque actio conſiſtat. nec enim eſt actio inſitoria ex contractu ſub inſitoris, & eſt tamen exercitoria ex contractu ſub magiſtri, etiam ſi exercitor qui magiſtrum navis præpoſuit, prohibuerit alium navis præponi. hoc extorſit utilitas & neceſſitas nauigantium. eademq; ratio facit ut pater teneatur in ſolidum cuius voluntate filius ſ. exercuit nauem peculiarem, ex contractu filij vel magiſtri à filio navis impoſiti, qui ſi merces peculiareſ filius exercuit volente aut ſciente ſe non tenetur in ſolidum, ſed in tributum venit vna cum ceteris creditoribus peculiaribus.

Institoria actio nomen habet ab eo qui præpositus est negotiationi, exercitoria ab eo qui præposuit, quia à præposito non potuit formari nomen elegans. magisteris enim actionis nomen inelegans est.

*XXVI. Quod cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur, vel de peculio, siue quod iussu aut de in rem verso.*

**P**ROPOSITIS actionibus exercitoria & institoria, quæ ex contractibus eorum qui sunt in nostra potestate vel etiam sui iuris, in nos dantur in solidum, transit ad alias actiones quæ ex contractibus eorum qui sunt in nostra potestate non etiam sui iuris, in nos mitiores sunt, nec dantur in solidum, vna quæ in peculium datur filij fami. aut serui nostri, id est, pecuniã vel rem cuius administratione ei concessimus retenta proprietate vel etiã ei quodammodo concessa. Altera quæ in id quod versum est in rem & patrimonium nostrum, & altera in id duntaxat quod iussimus, neutra in solidum nisi solidum quod debetur in peculio sit vel totum versum sit in rem vel id omne quod creditum est filio vel seruo numerari iusserit pater dominusve. Versum pars est peculij, quia quod in rem versum est patris, id pater filio debet. actioni igitur de peculio inest actio de in rem verso. Recte dixi has actiones dari ex contractibus eorum qui sunt in nostra potestate. nam & his duntaxat peculium habere concedimus quasi proprium patrimonium, & quod extraneo gerente negotia nostra versum est in rem nostrã constat nos creditoribus nõ obligare, l. eũ qui. sup. si cer. pet. l. pen. sup. de obl. & act. quod item credidit quis extraneo iussu nostro de eo in nos esse ciuilem actionem Si certum petetur, non Quod iussu prætoriam, l. vlt. D. pro soc. l. 2. §. vlti. D. quod iussu. ac ne ex contractu quidẽ nostro esse actionem Quod iussu, Si iussu nostro filio aut seruo pecunia quã mutuam rogauimus, pernumerata sit, l. vlt. D. eod. l. si filiofa. D. de don. cau. mor. Est & alia actio sub hoc titu. quæ in ipsum  
filium

filium datur ex antegesto postquam sui iuris effectus est, non in solidum, ne inops fieri periclitetur novus paterfamilias, qui nondum adquisiuit idoneas facultates, sed in id duntaxat quod facere potest, excepta mutui causa, l. 2. & 9. hoc tit. quæ talis nulla est ex antegesto in seruum manusmissum, quia nec ulla fuit ab initio. In filium fam. statim atque contraxit actio cœpit esse.

*XXVII. Per quas personas nobis adquiratur.*

QVemadmodum ex contractibus eorum qui sunt in nostra potestate tit. 25. & 26. intelleximus prætorum in nos varias actiones dare, ita par erat nos intelligere quod hoc titu. præstat, & ex contractibus eorundem nobis obligationes adquiri & actiones. Vis hæc est potestatis, ut quidquid acquirit filius, vel seruus, id siue dominium sit, siue possessio, siue obligatio confestim adquirat patri vel domino, & obligationem non tantum civilem, sed etiam naturalem, l. frater. D. de cond. ind. Ceterum qui in nostra potestate non sunt, per eos veluti per procuratorem, aut gestorem, aut tutorem nulla nobis adquiritur actio, præterquam ex causa creditæ pecuniæ, in qua & pleraque alia singularia præcepta sunt, si quidem ea creditæ sit nostro nomine, & aliquando ex alijs causis utilis in subsidium, ut dixi titu. 25. & per tutorem certis ex causis, l. 2. 4. 5. infra quam ex factu. At possessionem receptum est per procuratorem suadente utilitatis ratione, quæ est etiam causa per eum adquirendæ actionis creditæ pecuniæ & pigneraticiæ, adquiri nobis posse viventibus aut ratum habentibus ac deinde per possessionem dominium si res procuratori à domino nostro nomine tradita sit. Citra possessionem autem per eum dominium non adquiri, id est, proprietatem.

*XXVIII. Ad S. C. Macedonianum.*

INtelleximus ex l. ult. titu. 26. creditori nullam esse actionem creditæ pecuniæ, si eam crediderit seruo alieno

vel condicionalio sine speciali iussu domini, quæ Constitutio est valdè noua. nam hoc olim obtinuit tantum in filiofam. ex S. C. Macedoniano de quo est hic titulus, cuique nomen non à Consule vt ceteris S. C. sed vt legi Scatinix & S. C. Papyriano, ab eo in cuius odium lex facta est, vel qui legi causam dedit. Factum id fuisse auctore Vespasiano Suetonius scribit. Tacitus auctore D. Claudio.

*XXIX. Ad S. C. Velleianum.*

**P**roximum est Macedoniano Velleianum. nam vtroque S. C. tollitur exactio creditæ pecuniæ. S. C. Macedoniano si credita sit filiofa. quod Imp. produxere etiã ad seruum & condicionalem hominem S. C. Velleiano, si credita sit mulieri non in rem suam consumpturæ pecuniam sed mox daturæ alij pro quo ipsa eam pecuniã mutuam rogauit. & generaliter intercessionem mulierum omnes infirmantur S. C. Velleiano. Intercessionem quæ obligant, non consilia, non auctoritates licet intercessionem dicantur. Et rursus intercessionem sua sponte susceptam, non decreto prætoris, l. 2. inf. si mat. ind. prom.

*XXX. De non numerata pecunia.*

**D**iximus ius crediti infirmari S. C. Velleiano, & S. C. Macedoniano, hoc verò fit non ipso iure, sed opposita exceptione S. C. huius vel illius, quæ si forte omittatur, crediti exactio erit, l. tamen. D. ad Maced. l. P. de publ. in rem act. l. 18. D. de cui. In hoc tit. proponitur tertium genus exceptionis, qua etiam ius crediti perimitur, id est, si sperans mihi pecuniam mutuam datum iri, chirographo cauero me eam pecuniam accepisse, vel si mox eam quæ deberetur, mihi solutum iri speras apocha cauero mihi eam pecuniam solutam fuisse, re verò ipsa pecuniam non accepero falsus animi, chirographum vtrumque infirmabo posita vel contestata exceptione non numeratæ pecuniæ, quæ non est perpetua vt superioris, sed temporaria, nempe biennalis contra chirographum creditæ pecuniæ, & mensura contra chirogra-

rogaphum solutionis. Sic enim apocha appellatur in l. creditor. D. de act. empt. Et producitur exemplum huius exceptionis etiam ad alia negotia, ut ex eis si agatur possit opponi exceptio non numeratæ, non solutæ, non debitæ rei pecuniæve.

### XXXI. De compensationibus.

**E**ST & quartum genus exceptionis quo ius crediti perimitur, nempe, si pensata pecunia dicatur, l. in exceptionibus. D. de prob. Compensatio enim olim in strictis iudicijs non fiebat ipso iure, sed per exceptionem doli mali. §. in bonæ fidei. Inst. de acti. Compensatio est computatio vice mutua debitæ quantitatis. Vel, absumptio aut delibatio eius quæ petitur: quam tandem placuit, si modo liqueat de debito, fieri ipso iure, & generaliter Iustiniano deductione, reputationem, retentionemq; quâlibet tam in actionibus in re, quàm in actionibus in personam, l. vlti. hoc titul. quam ea in re sola agnosco facere nouum ius.

### XXXII. De usuris.

**H**IC liber quartus, qui est de contractibus & de actionibus in personam, cœpit à contractu mutui quasi omnium maximè necessariò in hac societate ciuili, prælata religione iurisiurandi honoris gratia, ex qua sæpè si de credita certa pecunia datur actio, si quis delato iureiurando iureiurauerit se credidisse, & quia actio creditæ pecuniæ commune omnium actionum in personam, quod est condictionis nomen fecit suum, hic idem liber libriue conditor mutuo quasi capiti ciuiliu negotiorum adiunxit alia negotia ex quibus æquè datur actio non alius nominis quàm communis, id est condictio quasi ex mutuo vel ex promutuo, ut condictio indebiti, condictio ob rem dati, & similes, & propositis generalibus præceptis pertinentibus ad actionem creditæ pecuniæ, & ad exemplum eius productis ad alias actiones, etiam huic negotio creditæ siue mutuatitiæ pecuniæ imista actione commodati & pignoratitia, sicut sub tit.

de reb. cred. etiam prætor edixerat de commodato & pignore, quod commodato mutuuum ad eò proximum sit, vt & nomina sæpè permutent, & commodatum dicatur mutuuum, retroque mutuuum commodatum, & quod pignus accessio sit crediti aut obligatio in vicem crediti, expositisq̃ actionibus quibus patres vel domini iure honorario quasi accessiones tenentur ex creditis vel alijs contractibus filiorum aut seruorum, l. si seruum, §. an filiusfam. D. de verb. oblig. & causis etiam redditis, quibus ius crediti perimitur, tandem extrema clausula est de vsuris, quæ nihil etiam sunt aliud quàm accessiones creditæ pecuniæ. post has, id est, post hunc tractatum de vsuris suo ordine progredientur ceteri contractus omnes, nec vlla iam amplius ordinis interruptio erit, qualis posset videri fuisse superioribus titulis re quam præmonstrauit non animaduersa. Usura, est redditus pecuniæ creditæ qui debetur à tempore contractus vel à tēpore moræ in diem quo ea pecunia soluatur, vel quo is redditus pecuniã æquauerit. Redditus, vt in l. Titius, D. de præf. verb. l. alumnae. D. de adim. leg. Et à tempore contractus, quod fœnus propriè dicitur. Vel, à tempore moræ in bonæfidei iudicijs omnibus & strictis quibusdam, etiam si reuera nihil intersit actoris. Et, in diem quo ea pecunia soluatur, vt l. lecta, D. de reb. cred. vel, is redditus sortem æquauerit. nam vsura vbi æquauit sortem, quod postea pernumeratur, deducitur de sorte, l. si non sortem, §. iuprà. D. de cond. ind.

### XXXIII. De nautico fœnore.

**N**Auticum siue maritimum fœnus separatur à terreno. quia nautico modus finisve præscriptus nullus fuit olim, & hodie grauius est quam terrenum, nempè ad finem centesimæ, quæ in pecunia terrena rarò locum habet. nec tamen vt opinor suprâ finem dupli. nam vsuræ quæ taxationem habent, & duplo finiuntur, quæ non habent, vt olim nauticæ, nec duplo finiuntur. ac præterea in nautico fœnore pactum sine stipulatione sufficit



non in terreno. Ratio autem differentiae consistit in causa periculi, quod nauticae pecuniae creditor suscipit, cum tamen alij generis pecuniae periculum respiciat debito-rem, vel si fortè conuenerit ut respiceret creditorem, tum sanè idem ius erit maritimi & terreni foenoris, l. pe-riculi, D. eodem.

XXXIII. *Depositi vel contra.*

Postquam egit de contractu creditae pecuniae, & de ac-  
 cessionibus eius, & de his quae is contractus cum a-  
 lijs communia habet, singulis alijs contractibus incipit  
 dare titulum vel tractatum specialem, & deposito in pri-  
 mis. Depositum est conuentio qua id agitur ut rem me-  
 am vel alienam custodias ut mihi possideas non tibi, ean-  
 demque mihi quandoque reposcenti restituas. Vel, con-  
 uentio qua res nostri vel alieni iuris penitus fidei eius  
 seruanda committitur, qui eam officij causa custodien-  
 dam recipit. Dico, officij causa, quia ut mutuum, com-  
 modatum, mandatum, precarium, & depositum ex of-  
 ficio & amicitia originem ducit. Hi igitur contractus  
 mercedem non recipiunt, honorem recipiunt & remun-  
 erationem, & mutuum quoque modicum foenus quod  
 non superet beneficium à creditore perfectum, sed exsu-  
 ritur, quia beneficio adiuuari nos oportet, non op-  
 primi, l. in commodato. §. sicut. D. Comm. dederim e-  
 nim & in foenore libenter de xenijs prouerbio locum,  
 οὔτε πάντα οὔτε πάντοτε οὔτε πρὸ πάντων. Quod  
 autem dixi penitus rem depositam committi fidei de-  
 positarij, eo fit ut magis obligetur fides eius. Fides habi-  
 ta, inquit Liuius, ipsam magis obligat fidem. non &  
 plerumque deposita fiunt remotis arbitris, ut non ina-  
 lè in definitionibus. Plato dixerit depositum esse ἁγία  
 μετὰ πίστεως, & alij auctores depositum sacrum. quo fit ut  
 depositum reposcenti non possit obijci recompensatio  
 vel exceptio non numeratae vel non datae rei pecuniae-  
 ue, si depositi ex scripto agatur, l. vltim. supra, titul. 31. l.

pen. supr. tit. 30. vel denunciatio ab altero facta depositario, vt No. 88. Vt depositi condemnatus infamis fiat, vt ex XII. tabul. actio depositi fit in duplum quod didicimus ex reliquis sentent. Pauli, hodie iure prætorio in simplicium, & vno tantum casu in duplum. Et vt quod depositum videatur esse domi meæ, non etiam id quod commodauit, l. penul. §. 1. D. de aur. & argen. lega. Et velim etiam excipi à Constitutione Caroli IX. quæ supra C. lib. contractus qui habentur sine scriptura consistere non vult, quæ efficit vt hodie nulli contractus nudo consensu perficiantur contra ius gentium, velim, inquam, saltem excipi sacri arcanique depositi causam. Duplex autem est actio depositi, vna quæ directo competit depositori de deposito recipiendo, & vicissim altera quæ depositario datur de recipiendis impensis.

#### XXXV. Mandati vel contra.

**D**epositum re contrahitur sicut mutuum, commodatum, pignus. Mandatum autem contrahitur nudo consensu vno rogante & altero recipiente se id quod rogatur daturum facturumve. Mandatum igitur est conuentio, qua is qui quid rogatur procuratoris animo id se recipit gratuito daturum facturumve. Hæc duo verba, Rogo, & Recipio, citra stipulationem perficiunt mandatum, l. 1. D. eod. l. quidam. D. de her. inst. l. 1. §. exceptum: D. quar. rer. act. non. det. l. si negotium; l. si serui mei. D. de neg. gest. & recte Virgilius. Idem orans mandata dabat. nam & mando, verbum est precarium. Mandamus libero homini, Imperamus villico aut seruo. Cicero i. de Orato. Si mandandum aliquid procuratori de agricultura vel imperandum villico sit. Addidi, procuratoris animo, propter l. idemque. §. si quis. D. eod. & l. 2. D. de proxen. Titulus autem satis indicat & ex hoc negotio esse actionem yltro citroque, quam inuenio duobus casibus etiam finito mandato morte vel capitis minutione mandatoris re nondum secuta competere, si procurator ignorans mortem domini mandatum expleue-

pleuerit, l. inter. §. i. D. eod. si heredi ex parte mandaue-  
rim, vt fundum hereditarium emeret, & emerit sciens  
post mortem meam, l. qui negocia. §. cum heres. D. eod.  
vt non abs re dubitaretur olim, an actio mandati dare-  
tur in heredem, quæ nõ cœpisset in defunctum: legimus  
enim Cicerois 2. ad Herennium M. Drusum prætorem  
reddidisse iudicium. Quod cum herede mandati agere-  
tur, Sex. Iulium non reddidisse.

*XXXVI. Si seruus extero se emi man-  
dauerit.*

**I**N titul. superiore mandati genus exponitur quo ma-  
lo more, vt ait l. i. §. si cui cautum. D. de extra. cogn. a-  
ctionem quis suscipit alienam sub lege participandi e-  
molumentum quodcumque euentus litis attulerit. In hoc  
titul. additur aliud, quo etiam malo more malaque ra-  
tione, vt ait l. cum seruus. D. mand. serui se dominis suis  
ignorantibus auferunt, dum extraneo se emi mandant  
& manumitti, & sanè si nondum extraneus eum ser-  
uum emerit, vt faciat quod recepit, neque ex persona  
serui, neque ex persona domini vlla actio est. Sed si eum  
emerit, erit ei in dominum empti actio, vt seruum tra-  
dat quem vendidit, & domino in emptorem venditi  
empti vt pretium numeret de suis nummis, non de pe-  
cuniis nummis serui qui venditoris sunt non emp-  
toris, erit etiam eidem domino actio mandati, quæ non  
fuit ante redemptionem serui, quasi quæsitæ sibi per ser-  
uum, vt manumittatur ab emptore, si eius intersit ser-  
uum manumitti, vel ratione affectus cognationisque  
naturalis, aut vt eum seruuum sibi reddat emptor. & e-  
rit vtraque actio pretij ex vendito, & mandati de seruo  
manumittendo, sed non erit etiam ex vendito, si man-  
dati malit agere de seruo restituendo, quia contrariæ  
actiones sunt, seruum inemptum fieri, & serui pre-  
tium solui, & hoc casu eueniet, vt claudat actio  
mandati. nec enim contraria dabitur emptori de pecu-  
lio ex eo contractu, quo seruus se malo more domino  
sub-

subduxit, nec de pretio recipiendo quod fuitè prænumerauerit, vt l. eo tempore. §. vlt. D. de pecul. Et est Constitutio huius tit. veluti interpretatio d. l. cum seruus.

### XXXVII. Pro socio.

**P**ost contractum mandati, datur societatis, qui & solo consensu perficitur, & quæ ex eo comp. tit actio pro socio, quæ ex vtraque parte directa est, non ex vna directa, ex altera cõtraria, vt Commodati, pignoratitia, depositi, mandati, tutelæ, negotiorum gestorum. quia sociorum omnium par condicio est, nec alius alij antistat. In illis autem iudicijs penior est condicio domini. Societas est conuentio, quia inter duos pluresve re aut verbis aut nudo consensu constituitur legitima communio omnium rerum vel vnus rei ad tempus quoad vixerint contrahentes, aut voluerint in ea communione permanere. Societatem non esse communionem, sed per societatem induci communicationem iustam lucri & dani, l. i. §. planè. D. de tut. & rat. dist. & ius quoddam fraternitatis, l. verum. D. pro soc. quo nomine etiã communitas significatur. vt in Panegyrico Flauiensiu. Fratrum nomine & communitas apparet, & æqualitas dignitatis. Quintil. decl. 320. Sacra res est vnitas & quædam fraternitas animorum. Etiam dixi societatem contrahi nudo consensu. nec enim res necessaria est, nec traditio, nec mancipatio, sed quasi ea interuenit dominia reru statim cõmunicantur nudo cõsensu, l. 2. D. eod. & longè alia ratio est m̄cipationis expressæ, quæ nõ fit sub condicione. Societas sub condicione, l. pen. hoc tit. qua de re tamen dubitabatur, propterea quod societati m̄cipatio inest, & in emptione similiter: quia emptio imaginaria, id est, m̄cipatio nõ recipit condicione, sed etiam in emptione hodie imaginaria venditio sublata est, l. contractus, D. de obl. & act. & consequenter placet etiam sub condicione venditionem posse, l. sicut. D. loca. §. emptio. Inst. de empt. & vend. Non desiderat etiam

socio

**S**ocietas scripturæ aut verborum proprietatem, id est propriam solemnemque formulam, l. 2. D. de oblig. & acti. quanquam & rem verbaque interuenire nihil vetat, l. 4. D. eod. tit.

XXXVIII. De contrahenda emptione & venditione.

**E**MPTIO quoque & venditio nudo consensu perficitur sicut societas, & ex utroque latere parit directam actionem, quia nec potior est causa emptoris quam venditoris, vel contra. Est autem emptio, contractus quo id agitur vt dato certo pretio sumat quis ab alio corpus vel ius quod vindicet sibi. Vel, conuentio habendæ rei iurisve certo pretio. Vel, mutatio pretij cum merce. Vfus sum sumendi verbo nam & veteres emere dicebant profumere, vt Festus adnotauit, & contra sumere pro emere. M. Tullius. Quanti ego non æstimo, tanti sumplisti. & Horatius: Quæ paruo sumi nequeunt opsonia captas. Vfus vindicandi verbo, quia venditio non est si hoc agatur ne emptor rem venditam & traditam vindicet sibi quasi suam. Magnus est hic locus atque adeò dispartitus in titulos plures, sicut ille initio qui fuit de mutuo. nam & hæc duo negotia mutuum & emptio frequentiora in hac societate ciuili. & hoc quidem titulo proponitur regulæ quibus præcipuè consistit emptio venditio, putà emptionem venditionem perfici nudo consensu, id est statim vt conuenit de re certa & pretio certo. Pretium certum vt sit requiri. Est incertum in specie l. 1. infr. de rer. per. sed & actio ex eo negotio utilis ex empto vendito, non directæ. Imaginariam venditionem aut simulatam non valere vt venditionem scilicet, valere vt donationem si fraus legibus quæsitæ non sit, vel vt transactionem si hoc agebatur, l. 3. hoc tit. l. cum ea. sup. de trans. Rei suæ emptionem non valere. At possessionis rei suæ valere, l. 34. §. rei. D. eod. Sicut rei suæ dicimus conditionem non esse, possessionis rei suæ conditionem esse. Inuitum neque emere neque vendere, emptionem esse

esse non emptionem cum venditor vendit inuitus, nisi fortè vendat pignoris causa, vt l. 2. & 5. D. de dist. pig. & in casu l. ita vt, §. vlti. D. mand. & l. 15. D. de fid. liber. Et eæ quidem regulæ communes etiam sunt alijs cōtractibus, & fortè quæ ponuntur de vno cōtractu, quia summa sunt principia & naturalia, pertinent etiam ad alios.

**XXXIX. De hereditate vel actione  
vendita.**

**Q**uod dixi ante, non tantum corporis emptionem esse sed iuris, id patefacit hic titulus. Hereditatis enim & actionis nomina iuris sunt, hereditas enim successiōis vniuersæ defuncti. Actio ius petendi in iudicio quod suum est. & emptori quidem iuris etiam ante cessionem datur utilis actio in rem, si hereditas vel in rem actio vendita sit, l. vlt. hoc tit. emptori verò corporis ante traditionem nulla in rem actio est. Item venditor corporis se obligat ob euictionem, non venditor hereditatis vel actionis. Satis enim est si præstet hereditatem esse, vel actionem esse qualem qualem.

**XL. Quæ res venire non possunt, & quæ vendere  
vel emere vetantur.**

**D**væ sunt partes huius tituli. prima, *quæ res venire possunt*, id est, quæ emi possunt non vendi, cuius generis purpura est quæ priuati vendere non possunt, l. 1. emere possunt de publico. Secunda, *quæ vendere vel emere vetantur*, in quibus verbis articulus, vel, pro subdisiunctione accipiendus est, vt sit, quæ res vendi & emi prohibita sint, in quibus utique sunt annona militaris & frumentum publici canonis, l. 3. & 4. his etiam fericum adnumero. Nam vt lex communis ponitur Romanis & Barbaris, id est Persis, ne ultra fines lege definitos inter se negotientur sine Comite commerciorum, l. 4. & l. vlti. infr. de com. & mer. ita commune hoc esse opinor, vt sicut Romani fericum à Barbaris emere non possunt sine Comite

ante commerciorum, nec intra eos fines, vt constituit l. 2. cum nondum ratio conficiendi serici ad Romanos peruenisset, & sericum auro contra venderetur, vt Vopiscus in Aureliano ait libram auri libram serici fuisse, & lex Rhodia  $\delta\lambda\omicron\sigma\eta\rho\iota\kappa\acute{\alpha}\delta\omicron\mu\omicron\iota\alpha\tau\tilde{\omega}\chi\rho\upsilon\sigma\acute{\iota}\omega$ , & l. emptori. §. 1. D. de uict. vestem sericam pretiosam esse rem, quod de his tantum dicitur pro quibus aurum dependitur ad sacoma, ita verò nec Barbari possunt vendere alij quàm Comiti commerciorum. Perperam antea legebatur. *Qui vendere.* de rebus enim titulus est, non de personis certis, perperam *mercari* pro emere. Mercari enim, emere & vendere est.

*XLI. Quæ res exportari non debeant.*

**E**ST etiam hoc commune inter Romanos & Barbaros hostes pop. Rom. veluti Persas, Indos, Aethiopus, Gothos, Vandalos, ne legationis fortè aut induciarum tempore illi vèdant, hi emanant ferrum factum vel infectum, & exportent, quod vti est in l. 2. huius tituli capitale esse, etiam Procopius refert 1. de bello Persico, his verbis,  $\acute{\omicron}\upsilon\tau\epsilon\sigma\iota\delta\eta\rho\omicron\mu, \acute{\omicron}\upsilon\tau\epsilon\ \acute{\alpha}\lambda\lambda\acute{\omicron}\tau\iota\ \tau\ \acute{\epsilon}\nu\tau\acute{\omicron}\upsilon\theta\alpha\ \acute{\epsilon}\pi\iota\tau\eta\delta\epsilon\iota\omega\mu,$   
 $\delta\acute{\omicron}\iota, \eta\ \acute{\alpha}\iota\iota\omicron\sigma\omega\tau\epsilon\ \acute{\epsilon}\chi\theta\sigma\tau\iota\mu, \acute{\omicron}\upsilon\ \mu\acute{\omega}\ \acute{\omicron}\upsilon\delta\epsilon\ \pi\rho\delta\acute{\epsilon}\rho\eta\omega\mu\acute{\alpha}\omega$   
 $\omega\mu\ \acute{\omega}\nu\acute{\epsilon}\acute{\omicron}\delta\zeta\ \tau\acute{\omicron}\tau\omega\upsilon\ \acute{\alpha}\omicron\iota\acute{\omicron}\tau\epsilon\ \acute{\epsilon}\iota\sigma\iota\mu, \nu\acute{\omicron}\mu\omega\ \acute{\alpha}\pi\alpha\sigma\iota\ \delta\iota\alpha\acute{\epsilon}$   
 $\tau\epsilon\ \acute{\alpha}\ \pi\eta\rho\eta\mu\acute{\iota}\omega. \theta\acute{\alpha}\nu\alpha\tau\epsilon\ \gamma\omega\ \tau\tilde{\omega}\ \acute{\alpha}\lambda\acute{\omicron}\nu\tau\iota\ \eta\ \zeta\eta\mu\acute{\iota}\alpha$

Item ne vinum, ne oleum, ne garum quod exportēt ac ne degustationis quidem causa hos liquores ad Barbaros posse transferri, ne proinde illecti eorum dulcedine promptius inuadant fines Romanorum. hoc enim modo Langbardos legimus à Narsete in Italiam fuisse pellectos. Exportare est trāsferre extra fines Rom. Imperij, vt in Orat. pro Flacco. Exportari aurum non oportere Senatus iudicauit, quod confirmat l. 2. infr. de com. & mer.

Quæ autem exportari prohibentur & emi vendiq; fatis prohibentur, aut mercis pretijve loco cedere.

*XLII. De eunuchis.*

**E**Tiam hoc tit. ostenditur Romanos eunuchos factos neque emi neque vendi posse, eadem pœna irrogata emptori & venditori, l. 2. vt est plerunq̄e commune crimen emptoris & venditoris, si quid vœneat contra leges, l. 1. D. ad l. Fab. l. 1. infrà de cupres. l. 10. infr. de cur. pub. eadem tabellioni, eadem octauario siue publicano. Barbarorum eunuchorum esse commercium, & eunuchorū qui facti sunt in Barbarico orbe. in Romano eunuchum facere capitale esse.

*XLIII. De patribus qui filios suos distiraxerunt.*

**A**Dditur in hoc titulo, à patribus liberos non posse vèdi in seruitutem, vel donari, vel pignori obligari, nec sub prætextu ignorantix accipientis, cuius tamen prætextu emptori euictionis nomine pater obligatur, l. minor, §. pater. D. de euict. & vendi tamen alienarique posse sanguinolentum altellam, ἰξὼδίνωμ τῶμ μιτρώωμ, vt Aelianus ait h. stozix 2. cap. 7. victus pueri causa, si nec eum tueri pater possit nec vult alius quisquam imò nec ex ea causa venditionem præiudicare libertati, cum vniciue quasi in libertatis publica causa liceat eum puerum vel adultum iam factum adferere in libertatem, vel pater ipsi, vt l. 1. infrà de lib. cau. vel etiam idem ipse possit adferere, oblato mancipio vicario, aut pretio non quanti emptus est, sed quanti adferentis tempore æstimabitur sine adiectione quintax, de qua Nouel. Valentiniani cod. tit.

*XLIV. De rescindenda venditione.*

**E**T hætenus quidem de rebus quax vendere vel emere vetantur. Nunc ostenditur distrahendax, resoluendax, reuocandax venditionis quax causax sint probabiles vel improbables. & sunt improbables quidem multax quax in hoc titu. enumerantur, probabiles paucax. difficilis enim rescissio est contractus habiti bona fide, & vt ait l. 6. infr.



infr. de act. empt. non facile venditi actio datur ad rescindendam venditionem. Nec malè tit. superiore proposita causa vna rescindendæ venditionis adferendæ libertatis quam prodiderit egestas, subiicitur hic titu. quo aliæ exponuntur probabiles causæ, si curialis furtim vitans munera ciuilia bona sua vendiderit, & patriam reliquerit, l. pen. hoc titu. si palatini furtim æquè aliquid emerint ex rebus priuatis principis, quarum sunt sub Comite administratores, l. vii. hoc tit. Item si in pretio venditor rei immobilis vel etiam mobilis fortè si admodum pretiosa sit, fraudatus sit vltra dimidiam iusti pretij, l. 2. & 8. nec tamen omninò rescindi videtur venditio ex hac causa, cum optio detur emptori vel redhibendæ rei, vel supplendi iusti pretij, vt l. i. §. si quis in fraud. D. si quid in fraud. patr. & esse eo nomine actionem ex vendito finitam quadriennio, vt & omnes restitutorias actiones, declarat Nou. Romani de resc. vend. sed obseruandū est rescissionem ex hac causa dari venditori, non emptori. Rescindendi verbum est duplex. Nam vel ipso iure rescindi dicitur, vt l. hoc modo. D. de cond. & demonstr. l. 5. D. qui & à quibus man. & in tit. Quæ sent. sine app. resc. vt rumpi, l. inter cetera. D. de liber. & postum. & reuocari, l. si libertus. D. de iur. patro. l. infra qui man. non poss. vel beneficio actionis ex empto vendito iudicisque sententia.

*X L V. Quando liceat ab emptione  
discedere.*

**E**ST & alia probabilis & legitima causa rescindendæ venditionis, quæ in hoc titu. proponitur, pactum & mutuus consensus contrahentium, secundum regulam vt prout quisque contractus est, ita resoluitur, & hoc si res sit integra, id est, si nondum res tradita aut pretium numeratum sit, licet venditori arra data sit, vel emptori datus fideiussor, vt solebat, de re tradenda, vt l. 3. D. de rescin. vend. l. Stichum. §. vlt. D. de sol. l. 12. supr. de contr. empt. hodie sufficit nuda cautio, l. emptor, infr. de act.

emp. Datio arræ vel datio fideiussoris non deintegrat re sed traditio rei vel numeratio pretij totius vel partis, l. 2. hoc titu. Et ita si re integra priusquam aliquid ex alterutra parte solueretur, conuenerit vt discedatur ab emptione, statim ipso iure vterq; liberatur, & arra repetitur ex empto iudicio, l. ex empto. §. is qui viua. D. de act. emp. l. 3. infr. eod. d. l. 2. atq; ita euenit, vt pactum ipso iure perimat obligationem, etiam si fiat ex interuallo, & formet actionem ex empto ad distrahendam penitus emptionem, & dissoluenda argumenta emptionis, qualia præbet datio arrarum, l. quod sæpè. D. de contra. emp. Sed si res non sit integra, pacto non rescinditur venditio, nec mutatur dominium, nec formatur actio vlla ex eo, nisi rescindantur cetera venditionis quæ secuta sunt, & sic quod dicitur ipso iure nullam esse venditionem, cui dolus dedit initium, originem & causam, re integra verissimum est, si intrà verba primumq; placitū steterit. Nam si res secuta sit, non aliter rescinditur venditio, quàm si & cetera venditionis rescindantur quæ secuta sunt l. 5. 10. sup. tit. prox. l. 9. inf. de præd. min. Cetera venditionis dicimus traditionem, numerationem, cautiones, quibus venditio quàm nudus consensus perfecit, adimpletur, vt l. magis. §. si pupillus. D. de reb. eo. qui sub tut. l. si duo. §. si quis iurauerit. D. de iur. reliqua quæ per consequentias emptionis propria sunt in l. 5. D. de act. emp.

*XLVI. Si propter publicas pensiones venditio fuerit celebrata.*

**E**T alia in hoc titul. si propter tributa publica sub hasta venierint bona debitoris per ambitionem & gratiam minus iusto pretio in debitoris fraudem, venditio nec quidquam coit & rescinditur fisco oblata pensione debita. qui casus fuit etiam expressus supra titulo generali, l. 16. & infr. de iur. ff. l. 3.

*XLVII. Sine censu vel reliquis fundum comparari non posse.*

**H**oc titulo notatur etiam alia causa rescindendæ venditionis, si quis fundum debentem censum vel reliqua census quædam fisco aut Reipubl. emat aut vendat ea lege, ne onus census vel reliquorum sequatur emptorem. Nam venditione rescissa emptor pretium & venditor fundum amittit, utroq; redactio in ærarium, ut l. 2. C. Th. de contra. emp. Censum vocat tributa, vel frigalia, publicas pensitationes, quod onus est agrorum, non personarum, l. Imp. D. de publica. l. 3. inf. de an. & trib. & Nouel. Theodosij. Neq; do. di. neq. eccl. Cassiodorus 4. Var. Inde & varia tributa, quia non est agrorum vna fœcunditas, ibi potest census addi vbi cultura profecerit, ut l. 2. inf. de allu. Et onus omnium agrorum qui sunt censui censendo, id est, qui iure civili emi & vendi possunt. Et notatur hæc eadem causa rescindendæ venditionis in l. ult. inf. de fun. rei pri. quæ ut magis appareat ad hanc re pertinere sumpta est ex Nou. Theodosij de resc. vend. rei dom. Et de rescindenda venditione hastenus.

*XLVIII. De periculo & commodo  
rei venditæ.*

**S**equitur noua inspectio, Cuius sit periculum & commodum rei venditæ, emptoris an venditoris. Periculi nomine significatur omne incommodum quod rei venditæ contingit, homini mors, fuga, vulnus, deprauatio, chasma, alluio, vino acor aut mucor. Id verò si non ex præterito tempore originem ducat ignorante emptore, sed ex præsentis post perfectam venditionem & traditionem, proculdubio pertinet ad emptorem, ad eum ut pretium quod soluit amittat, & quod non soluit exigi possit. Idem videtur si ante traditionem. Sed aliam sententiam esse sequendam, memini me docere in l. si fundus. D. de loca. idemque dici potest de periculo euictionis quod re illæsa contingit, licet l. 1. huius tit. alia pericula adscribat emptori, periculum euictionis ductæ ex præterito tempore, nec contingens iniuria iudicis aut emptoris culpa laudato denunciatoque venditori.

PARATITLA IN LIB. IX.  
 XLIX. De actionibus empti &  
 venditi.

**E**X contractu emptionis & venditionis contrahentes inuicem obligantur de eo quod alterum alteri ex æquo & bono præstare oportet, emptor tenetur actione venditi, quæ actio pretij dicitur, l. 8. & 9. sup. de contrah. empt. l. 7. hoc titul. venditor actione empti de re tradenda. Vtraque nomen habet ab eo cui competit, & præcisè dicitur actio empti, vel actio venditi, plenè autem & perfectè empti venditi, ex empto vendito, vt l. & si vno. D. eod. & venditi empti, vel ex vendito empto. & illa quidem præcisio non tantum fit à posteriori, sed etiam à priori, vt l. 1. suprà si ser. ext. se emi mand. actio empti, id est, venditi empti, & l. sed hoc nomine. l. si cum venditor. §. si secundus. D. de euictio. actio ex vendito, id est, ex empto vendito.

*L. Si quis alteri vel sibi sub alterius nomine vel  
 aliena pecunia emerit.*

**P**ertinet etiam hic tit. ad actiones empti & venditi, vt indicat apertè l. 6. & l. pen. & sunt eius partes tres, Si quis alteri emerit, Si sibi emerit sub alterius nomine, Si sibi emerit pecunia aliena. Primo casu, qui alteri emit nihil agit, cum nec sibi adquirat actionem empti, quæ noluit, nec alteri, quia non potuit, alteri enim emit inuuliter, qua de causa procurator cum mandatu nostro emit non nobis, sed sibi emit, sibi que acquirit empti actionem, l. 7. hoc titul. & alia est ratio procuratoris, alia nuntij, Quod procurator mandatu meo emit, sibi emit non mihi. Quod nuntius, ego emi, non nuntius. Fungitur enim nuntius epistolæ vice, vt rectè Accur. ait in l. & licet. D. de conf. pec. & l. cum mancipium. D. de ædil. edict. & non malè idem in l. 1. D. de procur. nuntium interpretatur nunciationem, quia scilicet nomine res magis quàm personæ significatur, & ita fit vt per nuntium emamus rectè, per procuratorem non item ementè nobis.

nobis. Sed si ea sit mens procuratoris e mentis sibi & venditoris, vt res ei tradita mandatori adquiratur, acquiretur, imò & sola voluntas sufficiet venditoris, l. vlti. hoc tit. l. qui mihi. D. de donat. cui constat voluntatem congruere mandatoris, cum mandatu eius empta res fit. Secundo casu si emerit quis sibi sua pecunia sub nomine alterius tabulis inscripto, tam actionem empti acquirit sibi, quàm dominium proprietatis vel possessionis, non ei in cuius nomen emit, l. 4. 5. 6. hoc tit. l. 1. & 2. Cod. Gregor. si sub al. no. res emp. erit. Tertio casu, si emerit quis sibi pecunia aliena, id est, pecuniam pro eo adnumerante altero, idem erit.

*L I. De rebus alienis non alienandis, & de prohibita rerum alienatione vel hypotheca.*

**A**liud est vendere, aliud alienare. Vendere est consentire vti merx cum pecunia commutetur. Alienare est dominium transferre, quod fit traditione rei suæ, nõ traditione rei alienæ, & vendi tamen res aliena potest, & vendita si sit, vtrunque obligatio cõtrahitur, sed satis illicita venditio est, vt ait l. 1. tit. seq. nec fit iure, l. 3. supr. de rei vind. iure firmo. Nam & emptõri res à domino indicationem antequam vsuceperit etiam pretio non oblato, & postquàm vsuceperis venditori pretium auferri potest, l. 1. hoc tit. l. 2. infr. de in lit. dan. tut. l. 6. infr. de far. nec abnuerim quin ita hic titulus accipi possit de rebus alienis non vendendis vel alienandis secũdũ constitutiones sub eo positas, vel in solutum dandis, l. 4. hoc tit. Nam & datio in solutũ pro venditione est, l. 4. infr. de cui est. vt in l. 1. infr. de iur. emphyt. alienationis verbo significatur venditio. denique prohiberi hoc tit. venditionem rei alienæ, quod secunda parte huius titu. producit etiam ad manumissionem, emphyteusim, seruitutiũ impositionem, vsusfructus dationem, pignus, hypothecam, l. vlt.

PARA TITLA IN LIB. IX.  
 LII. *De communium rerum alienatione.*

**H**anc autem tertiam partem facio tituli superioris, ut quæ de tota re aliena non vendenda vel alienanda dicta sunt, eadem & de parte intelligantur, si vnus rei pars sit mea, pars aliena, quæ in fisco locum non habent. Namq; securus statim est is qui rem alienam emit à fisco perinde atq; si vsucpisset, & domino est regressus aduersus fiscum intra quadriennium duntaxat, & idē igitur erit si fiscus vendat rem quā habet cum priuato communem, l. 2. hoc tit. l. 1. inf. de vend. rer. fisc. cum pr. com.

LIII. *Rem alienam gerentibus non interdici rerum suarum alienatione.*

**C**onstitutio huius tituli docet rei suæ uenditionē esse etiam administranti rem alienam, veluti tutori & curatori, in cuius bonis pupillus vel adolescens habet tacitam hypothecam; siue ex causa administrationis condemnatus sit, siue non, videlicet cum sua causa, id est, iure hypothecæ. Et quæ res venditionem recepit, eam etiam recipere pignorationem, ut l. 9. l. 11. §. vsufr. D. de pig. nec interest cui pignori detur fisco an priuato. Na fiscus cui specialiter res vna obligatur, non habet tacitam hypothecam in ceteris bonis debitoris, l. vlt. infr. de pae. con. Et similiter donatione tutori non interdicitur testamenti factio, l. 17. infr. de adm. tut.

LIIII. *De pactis inter emptorem & venditorem compositis.*

**H**ic tit. est de pactis quæ adijciuntur emptioni venditioni ex continenti, id est, tempore contractus, l. pē. hoc tit. initio contractus, l. 5. vel tempore traditionis, l. in traditionibus. D. de pae. Omnis traditio quæ fit ex causa, contractus est, emptio venditio contractus principalis, cui tamen alij contractus accedunt, veluti arræ datio, & traditio rei venditæ, ex quibus non alia actio datur, quàm quæ nascitur ex principali contractu, empti scilicet

et & venditi, nec alia ex pactis quæ eis adijciuntur, veluti ex pacto arrali, vel ex traditionis lege. Hæc verò pacta vt sunt varia, ita varias efficiunt eiusdem contractus formas. Nec si quæras quæ sit venditionis vel locationis vel depositi vel alterius forma, possim dare certam atq; perpetuam, quod ea pendeat omnis ex varietate & qualitate pactionum. contractum enim formant & actionem ipsam ex contractu. Deniq; contractus legem dant, atq; ideò etiam leges dicuntur & condiciones passim iniure, leges emptionis & venditionis, imò emptiones & venditiones, vt l. 4. hoc tit. commissoria venditio, id est, venditio facta lege commissoria, vt si intra diem pretiũ vel pretij pars reliqua non solvatur, si ita venditor velit, res fiat inempta, & venditori committatur arris non redditis, quæ tamen Imp. Antonino displicebat, & Cicero 12. ad Attic. ait sibi iniquam videri, præter hanc, & hæc in hoc tit. proponitur vt emptor præstet vsuras pretij extempore contractus, idem si vt venditor præstet, putà qui vendiderit vinum, oleum, frumentum, l. 15. supr. de acti. empt. & vt in partem pretij cedat, si quid fiat vel nõ fiat ab emptore. Et vt venditori quandoque vel intra certum tempus redimere liceat rem venditam, quibus ex causis omnibus est actio empti aut venditi in id quod interest, vel vt venditio rescindatur, nec necessaria est præter hæc verbis.

*LV. Si seruus exportandus  
vaneat.*

**S**equuntur pactiones, quæ propriè in mancipiõrum venditionibus addi solent, vna in hoc titulo, altera in sequenti, & duæ in LVII. In hoc tit. vt seruus qui vænit, exportetur, quod est, vt aliquo ex ea vrbe vel provincia amoueatur vbi vænit, qua de re venditores cauere solent, vel quod ipsi eadem lege seruos emerint, & stipulanti promiserint pœnam nisi exportaretur, l. 7. D. de seru. export. vel odio seruorum, quorum conspectum ferre non possunt, vt citra venditionem etiã  
legi-

legimus à dominis pœnæ causa ex vrbe in villam seruos ablegari, l. ex facto. D. de her. inst. Ea autem lege vendere Græcis est, ἐπὶ δὲ αὐτῶν. Demosth. in Timocratem, ἐπὶ δὲ αὐτῶν φησὶ μὴ ἐκδέναι, πένπρακε ἡ δὲ ἐργα. Vbi Vlpianus, τὸ ἐπὶ δὲ αὐτῶν τὸ πρῶτον αἰξῶ τῆς πόλεως. Aelianus in epistolis, τὸν νόμον ἀποδόσομαι ἐπὶ δὲ αὐτῶν. Dio LIII. καὶ τὴν ἡλικίαν τὸ πλεονεξῆν ἐπὶ δὲ αὐτῶν ἀπέδοτε. Et lex ea dicitur non tam emptori, quàm ipsi seruo, sicut illa ne manumittatur, tit. 57. dicitur apta & colligata esse personæ serui, l. pen. vel vt manumittatur, vel vt non prostituatur. igitur neq; ibi morari seruus ille potest, neq; manumitti, vnde exportari iubetur, l. 4. in illis. D. de manum. aut si ibi manumittatur seruus, fiet fiscus. alibi potest manumitti. nec enim hac lege manumitti vetatur. sed rursus post manumissionem si redeat vnde exportatus est, quia nec in emptorē iam vlla est actio, nec in manumissionem manus iniectione, constitutum est vt veniat in perpetuam seruitutem fisci sub eadem lege, ne ibi moretur vbi vānijt, aut vt priori domino manus iniectione sit si sibi lege venditionis manus iniectionem exceperit. aliquando pœnam tantum stipulatur, & hoc casu si non pareatur legi venditi pœna committitur venditori & seruus fisco.

*LVI. Si mancipium ita vānjerit ne prostituatur.*

**I**N hoc tit. ne ancilla quæ vānjerit, habeatur in turpi questu, vt benè & pudicè educetur, & prostituta vt cōfestim libera fiat, vel vt venditori in eam sit manus iniectione, quam tamen si fortè remittat, ipso iure libera fit sine patrono, quæ venditorem patronum haberet, si non excepta manus iniectione hoc tantum cauisset vt libera fieret, quæ pactio valet etiam si fiat ex interuallo, vt indicat l. 2. huius tituli. & perducit ancillam in libertatem, quod pudicitiae & libertatis fauor extorsit. huic contra-



ria pactio vt prostituatur, est contra bonos mores, & id-  
co nec sequenda est.

*LVII. Si mancipium fuerit alienatum vt ma-  
numittatur vel contra.*

**I**N hoc titulo duæ, vt non manumittatur, quæ seruum  
perpetuæ addicit seruituti, adde vel vt manumittatur  
intra certum tempus, vt apud Suetonium in Aug. & Di-  
onem LIII. vel vt manumittatur, cuius potestate cessan-  
te emptore ipso iure liber fit. & vtriq; pactio-  
ni superua-  
cuum est addere stipulationem pœnalem, quia neque  
ille vnquam peruenire, neque hic non peruenire ad li-  
bertatem potest. & rectè in titu. *alienatum*. nam pactio-  
nis  
vtriusque potestas hodie tenet, non tantum venditum,  
sed etiam donatum vel alienatum alio quocunq; ge-  
nere.

*LVIII. De ædiliçis actionibus.*

**A**Ctiones empti & venditi aut ciuiles sunt, de quibus  
ante dictum est, aut ædiliçæ, de quibus hic titulus. nam  
& eæ ex contractu emptionis, l. 23. §. si seruus. D. eod. &  
proximæ sunt empti actioni. & sunt duæ, redhibitoria &  
æstimatoria. Redhibitoria agit emptor ad resoluendam  
venditionem in integrum restituta omnibus, ob mor-  
bos vitium ve latens rei venditæ quod nesciebat, vel ob  
dictum promissum venditoris, quod si agat, offerre qui-  
dem exhibere & restituere rem debet, l. vltim. hoc tit. sed  
officio iudicis continetur, exempli gratia, si sine culpa  
emptoris seruus quem emit sit in fuga, vt caueat de eo  
persequendo, requirendo, reducendo, restituendo, vel vt  
actionibus suis venditori cedat, l. redhibere. §. vlt. D. eod.  
Alia est actio redhibitoria ciuilis, de qua initio l. pen. hæc  
est perpetua, ædiliçia temporalis. hæc rem persequitur,  
ædiliçia videtur esse pœnalis, l. 23. §. si seruus. l. 45. D. eod.  
quo respiciens Horatius pœnæ securum ait esse eum qui  
in vendendo seruo excipit fugam.

*DES nummos, excepta nihil te si fuga ladat,*

*Ille feret pretium pœna securus opinor.*

*Prudens emisti vitiosum, dicta tibi est lex.*

**A**Estimatoria autem emptor agit in hoc ut quanto pluri-  
 emisset ignorans rei qualitatem aut quantitatem, id  
 venditor qui etiam ignoravit dāneretur sibi reddere. quæ  
 actio etiam temporalis est, l. 2. hoc tit. & pertinet ad eam  
 l. 9. sup. de act. emp.

**LIX.** *De monopolijs & conuentu negotiatorum illi-  
 cito, vel artificum vel ergo laborumq̄, nec non  
 balnearum prohibitis illicitisq̄  
 pactioibus.*

**S**I commendandus est titulus. & sunt eius tres partes.  
 Prima de monopolijs. Utitur verbo græco, deficiente  
 latino, ut Suetonius scribit Tiberium in senatu abstinu-  
 isse sermone græco, adeo ut monopolium nominaturus  
 prius veniam postularet quod sibi verbo peregrino utē-  
 dum esset. Et est monopolium, vendendæ certæ mercis  
 ius quod vnus certive homines sibi vindicant permissu  
 principis sub onere vectigalis, ut Strabo 17. de Aegypti  
 mercibus scribit τῆν βαρυτιμῶν βαρεία τὰ τέ  
 ηαὶ γὰρ διηγοῦ μονοπωλίας ἔχω. Id vero omni-  
 modo improbat Constitutio huius tituli, ut nec si per-  
 missus principis interueniat cuiquam cuiusque mercis  
 monopolium exercere permittat, proposita in eum qui  
 exercuerit pœna deportationis. & inter merces nume-  
 rantur, quarum plerunque monopolium exerceri solebat,  
 vestes & pisces & pectines quibus scilicet comuntur di-  
 ducunturq̄; capilli, & herinacci quorum cute expoliun-  
 tur vestes, & in quibus fraus & monopolium, ut nomina-  
 tim Plinius scribit lib. 8. magnum lucrum inuenit. Secur-  
 da pars est de conuentu negotiatorum illicito, id est, de  
 conuentione illicita qua inter se quasi conspiratione fa-  
 cta

tra negotiatores paciscuntur in populi pernitiē ne minoris ulli vendant merces suas eo quod statuerint conuenirentq; inuicem. Tertia est de alijs artificum, fabrorum, officinationum, & ergolaborum, id est, redemptorum qui opus conducunt faciendum, & balneatorum illicitis pactionibus, putà vt ne quis opus quod alter inchoauerat, absoluat, de quibus etiā est l. 12. §. vlt. inf. de ædif. pr. cuius fortasse ea pars quæ ad hunc tit. pertinet huic titulo supposita fuit. nam in veteribus libris adnotatum lego hoc tit. deesse Constitutionem græcam.

*LX. De nundinis & mercatibus.*

SIC Constitutio tituli vt legam facit, non *mercationibus*.

Nundinæ sunt *πρυτανείαι* & celebriores mercatus qui habentur certis statiq; temporibus maximo conuentu mercatorum in his locis quibus ius eos habendi datum est longa consuetudine aut beneficio principis, vel Senatus, vel Consul, vel vt est in No. Valen. & Mart. de siliquarum exactioibus, decreto ordinum, honoratorū & ciuium, præsentem moderatore prouinciæ. Quod autē scribit Festus, nundinarum diem olim fuisse feriatum, nec eo licuisse agere cum populo, ne interpellarentur nundinatores, id intermissum cum esset & abrogatum lege Hortensia, vt Macrobius refert, Constitutio huius tituli reuertitur, definiens ne qui ibi conueniunt interpellentur priuati debiti causa, vt l. 3. §. vlt. D. de fer. & ne quid etiam ex mercibus aut vernalibus seruis negotiatorum, & ex quæstu temporali locorū in quibus exponunt merces exigantur, intra nundinarum dies, quos fuisse plures indicat l. cum qui. D. de verb. oblig. quam immunitatem solis veteranis dederat Constantinus, l. i. inf. de veter. & ex supradicta No. Valen. & Mart. nundinis etiam præbentur fisco siliquatica quædam. Mercatus non ita sunt celebres vt nundinæ. Mercatus sunt paruæ nundinæ, in idiotisimo, assemblees. Mercatus vnius ciuitatis aut vici. Nundinæ vnius prouinciæ vel imperij.

## LXI. De vectigalibus &amp; commissis.

**E**Tiam hic titulus pertinet ad negotium emptionis & venditionis, de quo orsi sumus dicere à tit. 38. nam vectigalia sunt portoria quæ debentur fisco vel Reip. ex mercibus aut vernalitijs quæ huic oneri subijciuntur. Onus est mercium, non mercatorum. nam & qui mercatores non sunt quæ sunt in merce si vehant vectigal pro his quæ vehunt, debent, etiam in transitu pontis, l. cum in plures. §. pen. D. loca. Seneca 2. de tranq. vitæ Cogitans & in pontibus quibusdam pro transitu dari. In itinere, l. si quis pro vxore. D. de don. int. vir. & vxor. Et rursus onus est peregrinarum mercium, quæ importantur, vt l. vlt. §. species. D. de publ. quod Suetonius Iulium instituisse scribit, vel etiam quæ exportantur ad peregrinos. Et octaua, l. 2. sup. de eunuch. l. 7. inf. de loc. l. 7. 8. hoc tit. quæ, vt l. 5. indicat, exigitur per stationarios & vrbanos milites qui scilicet portionibus vel octauarijs adsident feruntque suppetias, vt Dio declarat L I V. de quibus est accipienda secunda pars l. miles. D. ex quib. cau. mai. Commissum autem est mercium casus in fiscum quæ ad publicanum professæ non sunt. Vel, pœna omissæ professionis, publicatio scilicet mercium aut vernalium improffessorum, & nomen ex eo quod in legem censoriam, quæ locatione vectigalium portitoribus indicitur, committatis qui professionem omittit. Varro de re rust. Ad publicanum proffitur ne legem censoriam committant.

## LXII. Vectigalia noua institui non posse.

**P**ARS est tituli superioris & relata quoque in Digestis sub eodem titulo, l. vectigali. De pub vt vectigalia noua sine præcepto principis non instituantur. Noua sunt, quæ abhorrent à prisca consuetudine, l. vlti. hoc tit. l. 4. §. vlti. l. locatio. §. earum. D. eod. Ex ex S. C. qui aliter noua vectigalia instituit, tenetur lege Iulia de ambitu, qui exigit lege Iulia de vi publica.

## LXIII. De commercijs &amp; mercatoribus.

**C**ommercium est emendi vendendique inuicem ius. quod & promerium dicitur. Sed & commercium apud Cedrinum duobus locis est onus quod mercatores sustinent pro facultate exercendi commercij, auraria scilicet functio siue lustrale aurum argētum, de quo l. 1. Onus mercatorum, non mercium. Portorium, onus mercium non mercatorum. Et mercatores sunt non nobiliores & potentiores quos mercaturam facere non indecorum, cum sit contractus iuris gentium, sed illicitum est, quod plebi sit cum eis difficile commercium; l. 3. Sed alij perquam utiles Reip. qui tabernam aut negotiationē exercent plerumq; per institores amplam & copiosam, nō ementes aut vendentes per cotulas vel lagenas vel amphoras, sed quasi auersione mercium magnam copiam. quod puto esse auertere illo Horatij versu. Nec satis est cara pisces auertere mensa. nam & veteres glossæ ibi interpretantur, auertere, emere. & ita l. 3. §. item si quis solitus. D. de pen. leg. Mercatores separantur ab his qui cellam vini aut olei vendunt scilicet minutatim.

## LXIV. De rerum permutatione &amp; præscriptis verbis actione.

**A**bsoluto tractatu de emptione venditione dantur cōtractus qui emptioni venditioni proximi & similes sunt, Permutatio, Locatio, Emphyteusis. & Permutatio in primis, quæ ipsa originem dedit emptioni venditioni, atque ideo dicitur vicem emptionis obtinere, l. 2. & vicina emptioni, l. 2. D. cod. & instar emptionis in Nou. Valentin. de conf. his quæ adm. Et sane multa habet communia cum emptione, sed & differentia quædam quæ persequitur Paulus in l. 1. D. codē. Permutatio fit rebus, Emptio non fit rebus, l. penu. hoc titu. sed re ex vna parte & pretio interueniente ex altera. Permutatio est mutatio dominij, l. scribit. D. de auro & argē. leg. emptio non semper rei dominium mutat. Emptio est mutatio rei cū pretio. Permutatio est negotium do vt des, datio rei pro

re, vel etiam pecuniæ pro re, vt l. vlti. D. de cond. cau. da. nec enim omnis pecunia pro pretio accipitur, vt cum do-  
 miao pecunia datur, vt seruum manumittat, alias datur  
 pro pretio, & locus est Constitutioni D. Marci, l. Paulus  
 §. i. D. de lib. cau. Alias quasi res quælibet, & cessat Con-  
 stitutio l. 5. §. at eum do. l. 7. D. de præf. ver. Et contra em-  
 ptio quoque potest esse mutatio rei cum re. nec enim o-  
 mnis res pro re accipitur, quia possit pro pretio res dari  
 & accipi, l. pretij sup. de res. vend. l. i. hoc titul. Additur in  
 hoc tit. *Et præscriptis verbis actione*. Hæc actio non tantum  
 datur ex permutatione similis & finitima actioni empti  
 venditi, sed etiam ex omnibus alijs negotiis quæ proxima  
 sunt contractibus ciuilibus habentibusque suum pro-  
 prium nomen, veluti locationi, deposito, mandato, com-  
 modato. Sed in hoc titulo agitur tantum de ea quæ da-  
 tur ex permutatione, quæ incerta dicitur in l. 6. quia da-  
 tur in id quod interest permutationem impleri ex altera  
 parte, quam iam actor impleuit pro sua, cuius æstimatio  
 incerta & arbitraria est. Et ciuilis, quia datur ex negotio  
 quod ciuile refert, id est quod emptionem imitatur. Et  
 præscriptis verbis, quia datur ex conuentione vti præ-  
 scripta est, nec habet aliud nomen proprium. nam si ne-  
 gotij non est proprium nomen, nec possit esse actionis,  
 quæ ex eo nascitur, nec aliter ea demonstrari quàm dicē-  
 do agi secundum verba conuentione præscripta. Et per-  
 mutationis nomen constat non esse proprium, sed  
 commune, vt commercij, quod in hunc titulum Accursius  
 eleganter exposuit. idem. n. est permutatio quod com-  
 mercium & *συνάλλαγμα*, quæ communia & generalia sunt  
 nomina. nam & locatio & emptio & societas & dos per-  
 mutatio est.

### LXV. De locato & conducto.

**L**ocationis & conductionis contractus est etiam simi-  
 lis emptioni & venditioni, vt permutatio. quod va-  
 rijs exemplis demonstrari potest, quæ quia nota sunt,  
 relinquo. Locatio est mutatio vsus vel fructus vel operæ  
 cum

cum pretio. Vfus in domo, fructus in fundo, operæ in homine. Et rursus inter hæc duo genera locationis differētia est. nam qui dat aliquid vtendum vel fruendum, pretium accipit, qui dat aliquid faciendum, pretium dat, & vterque tamen dicitur locator, qui dat vtendum fruendum vel faciendum, conductor verò qui accipit. Et qui faciendum, plerumque etiam arram accipit, qui vtendū vel fruendum, arram neque accipit, neque dat, sed pretium aliquando pro mutuo.

*LXVI. De iure emphyteutico.*

**E**Mphyteusis quoque licet proprium hunc contractū Zeno fecerit, id est separatū ab emptione & à conductione, tamen similis est vel emptioni vel conductioni, s. adeo. Inst. de loca. nudoque consensu perficitur. & hac ratione adscribi emphyteusis iūri gentium potest non minus quàm emprio & locatio Græcum est nomen tritum pro latino nobis, vt hypotheca, arra, proxeneta, parapherna, & alia quædam, quo significatur insitio surculi in arbore, non plantatio, hoc enim est Aristoteli *ἐμψύττωσις*, vel *ἀποφυττία*, illud *ἐμπύττωσις*, & insitionis tamen nomine latino hic contractus significatur Nou. Valentin. de præd. pist. Et est contractus quo dominus fundi sui deserti forte & squallidi vsum & fructu plenissimum & quasi dominium alteri cōcedit, ea lege vt inferendo, plantando, arando, poliendo, colendo meliorem eum fructuosiorem faciat, proque ea pendat pretium seu vectigal annuum.

# CODICIS IVSTINIA NI LIBER V.

## TIT. I. De sponsalibus & arris sponsalitijs & proxeneticis.

**S**COPYSHic est hoc libro conditori Codicis, ut quos omisit contractus libro superiore, persequatur & actiones proditas ex eis, ac præcipuè matrimonij contractum, qui etiam nudo consensu perficitur, ut superiores aliquot, à quo tamen ipsius negotij natura facit ne exordietur: nec enim ad matrimonium peruenitur statim ut placuit primus sermo de matrimonio. Sunt multi contractus qui vel eum præcedunt, vel ubi completus est, eum sequuntur, vel modò præcedunt, modò sequuntur, vel qui penitus dirimunt eam conventionem, veluti diuortium. Sed qui ad eam constituendum & confirmandum spectant, ij sunt, Dotis datio vel promissio, quæ præcedere & sequi matrimonium potest, & si sola præcedat, nondum nuptiæ aut sponsalia, imò nec dos propriè. Donatio ante nuptias quæ olim præcedebat, hodie etiam sequi potest & ob id mutato nomine dicitur donatio propter nuptias, Sponsalia quæ præcedunt, Arrarum quoque datio quæ præcedit. Sponsalia, de quibus est prima pars huius tituli hodie contrahuntur nudo consensu, sicut nuptiæ, per se vel per epistolam, vel per interpositam personam, internuntium, procuratorem, pararium, quæ nõ fierent per alium, si per stipulationem ut olim fierent. & secundum ius nouum accipio quod est in l. i. D. cod. Sponsalia esse mentionem & re promissionem futurarum nuptiarum non satis erat mentionem, quia mentio primus sermo est & tractatus de nuptijs contrahendis, non contractus vllus. ideo additur, & re promissionem, quo nomine significatur plerunque nuda cautio siue promissio stipulan-



pulanti facta non datis fideiussoribus, sed illo loco, meo iudicio, nudus consensus. patet enim laissime promittendi aut repromittendi verbum, minusque est promittere quam spondere. Promittunt qui quamlibet conventionem ineunt, etiam si ex ea non nascatur obligatio. Spondent qui promittunt stipulanti, quod est firmissimum iuris vinculum, & remedium quod promissionibus infirmis adhibetur. Secunda pars est de artis sponsalicijs. & arratum datio contractus, l. contractus. supr. de fid. inst. qui adhibetur emptioni vel locationi vel sponsalibus, preit emptionem vel locationem impletam & matrimonium, dantur autem ab emptore venditori, & à conductore locatori vel à locatore conductori, vel ab sponso sponsæ, vnde & quasi arrilatores cociones dicti sunt. & in omnibus idem ius est, vt impleta emptione vel locatione reddantur, maximè si corpus certum datum sit arræ nomine. vel imputentur in pretium, si in nummis consistant, & eodem exemplo secutis nuptijs vt arræ sponsalitiæ reddantur vel imputentur in donationem propter nuptias. Et vt si culpa emptoris vel locatoris aut conductoris vel sponsi non impleatur emptio vel locatio vel matrimonium, arras amittat, quod & pactis inseri solebat, l. vlti. D. de lege com. Si culpa venditoris vel locatoris aut conductoris qui arras accepit vel sponsæ culpa, in duplū datur. excipiuntur casus certi in l. penul. huius tit. & alius tit. seq. Tertia pars tituli est de proxeneticis, quo nomine significantur præmia quæ debentur intercessoribus siue conciliatoribus sponsalium aut nuptiarum. His modum imposuit l. vlti. quam exposui Obi. xi. pro quantitate dotis & donationis propter nuptias, & hoc amplius cauit, ne citra stipulationem ex hac causa proxeneticum peti posset, quod & philanthropum dicitur. l. 2. D. de proxen. in qua philanthropi non dixit per synæresim, cum & Diodori 4. legamus ἐπαθλόμ φιλάνθρωπον, & 2. Macch. cap. 4. φιλόανθρωπα βασιλικά.

*videre*

2

II. *Si rector prouinciæ vel ad eum pertinentes  
sponsalia dederint.*

**S**ponsalia in hoc titulo sunt arræ sponsalitiæ, vt Græce *μυσπὴ* & pignora, vt l. 6. Cod. Theo. de spon. l. vltim. inf. de ing. man. l. i. infr. si nup. ex res. pet. Hieronymus in virginitatis laude. Humanorum sponsaliorum pignori- bus subarratur. Et sciendum est, rector prouinciæ vel ali- us qui officium in prouincia administrat, si in ea puellã desponderit, & subarrauerit, vt potuit, quia nuptiæ ei in- terdictæ sunt, non sponsalia, & post depositum officium ipsa ei nubere nolit, liberari eam reddendo arras in sim- plum, quia præsumitur non spõte sponsalia fecisse cum eo, sed coacta & territa officij potestate, l. si quis officium. D. de rit. nup. quæ secundum Constitutionem huius tit. ita accipienda videtur, nisi maius Cyrillum sequi, cuius sententiam adserere aliquando conatus sum, vt non ali- ter eas reddat quam sua sponte, vltro si eas reddere velit, vt plerunq̃ue ex rebus eius quem repudiant puellę, nihil retinere volunt, & vero honestius esset eas restituere, sed necessitatem restituendi hæc Constitutio remittit. Pertin- entes in hoc tit. & tit. 7. vt Græce *πρὸς ἄλλοις*, sunt libe- ri, cognati, adfines, domestici, adfessores, ad quos etiam pertinet hæc constitutio si eis ea in re operam dederit is qui officium publicum in prouincia gerit.

III. *De donationibus ante nuptias vel propter  
nuptias & sponsalitijs.*

**P**Riores constitutiones huius tituli sunt de sponsali- tijs, id est, muneribus sponsalitijs quæ dat. spõsus aut focer vel focrus sponsæ vel focero, vel contra sponso spõsa, quæ & sponsalia dicuntur. l. 3. & multum distant ab arris. Nam eæ sponsæ soli dantur, & secutis nuptijs red- duntur, vt dixi, munera sponsalitia remanent apud eum qui accepit, nisi aliud conuenerit, & rursus non secutis nuptijs culpa sponsæ, regulariter arræ redduntur in du- plum, & ex conuentione in quadruplum, munera red-  
duntur

duntur in simplum, si per eum qui accepit factū sit quo minus nuptiæ contraherentur, si per eum qui dedit, non redduntur, l. 15. hoc titul. Item mortuā sponsa vel sponso ante nuptias contractas aræ redduntur, l. 3. tit. 1. mo. quo autem sponso munera non redduntur, si ea liberalitatis causa contulerit in sponsam, id est, vt nullo casu ad se heredesve suos reuerterentur, l. si tibi hoc titul. l. D. de do. vel si contemplatione futuri matrimonij & titulo sponsalium, prætermissa heredum differentia quam statuit l. 2. C. Th. cod. hodie dicimus non interueniente osculo, si donatori reddi, imò & interueniente osculo, si sponsa donauerit, non etiā si sponsus, nec enim integra ea heredibus sponsi reddi oportet, sed semissem tantum ex l. 16. quasi ius osculi auxerit ius sponsalium, & qui osculum accepit quasi maritus sit, aut certè plus quam sponsus, nec tamen satis est vt Fabius ait decl. 279. maritum tantum osculo putari. Posteriores autem quatuor constitutiones huius tit. sunt de donatione ante nuptias quæ dicebatur olim, hodie quæ dicitur donatio propter nuptias: quia hoc singulare habet, vt & constante matrimonio fieri & augeri possit sicut dos, l. pen. & vlti. Martianus Capella IX. Arcanus prisci iuris ad fertor consulitur, respōditq; regulariter etiam matrimonio copulato dotem dire foeminam viro nullis legibus prohiberi. Nec enim l. vlt. simplex ea & mera donatio est, sed contractus qui fit propter dotem & propter nuptias, vt No. 38. & 119. & quasi ἀντιφερνή siue ἀντισηκωσις dotis, denique donatio propter nuptias est contractus, quo quid dotem contra vir vxori offert, vel amulsis, examen, leuamentum, sacoma dotis, quæ & sponsalitia largitas dicitur, l. 4. infr. de sec. nup. & sponsalia, l. 2. cod. l. prædia. infr. de præd min. & Nou. Valentin. de epif. iud. & in constitutionibus Græcis, Ἐνα. Igitur sponsalium nomen commune est re promissioni futuri matrimonij, quam Alexius vocat πρώτη των ομιθελλόντων ουναρμογήν, & donationi ppter nuptias & sponsalitiæ largitati, id est, muneribus sponsalitijs & αλλίς.

## IV. De nuptijs.

**E**xpositis contractibus his qui ante nuptias fieri solēt, consequens est vt tractet de nuptijs siue matrimonio ipso. Matrimonium nudo consensu perficitur. Nam neque verba neque scripturæ proprietatem desiderat, neq; dotem, neq; concubitum, neq; pompam aut deductionē in domum mariti, l. pen. D. de don. int. vir. & vx. l. 12. hoc tit. quæ sunt quidem per consequentiam matrimonij, propria sed reliqua non principalia quæ rem negotiumque conficiant. Nuptiæ igitur siue matrimonium est conuētio, quæ fit inter ciues, marem & fœminam ad sobolem quandoq; iustam procreandam spectans eo animo voto que, vt in vna domo totam vitam viuant socialiter. Hæc est nuptiarum definitio vera. In idiotismo eo nomine significatur commistio corporum, vt apud Petronium, Illa nocte qua nuptias fecerunt. & in Aesopo Latino de vita Alexandri. Ille sceptro deposito conscensoq; lecto nuptias agit. Vel festiuitas & celebritas nuptiarum, & ita nuptias in condicionibus accipi vult l. 24. hoc tit. In hoc autem tit. permittuntur nuptiæ quædam quæ olim fuerent prohibitæ, veluti cum quinquagenaria, cum alumna, cum consobrino, sed & prohibentur varijs ex causis, si filius aut filiosa nuptias faciat sine auctoritate patris qui modo auctor esse possit. Si puella sui iuris sine tutoris auctoritate, quia ad nuptias contrahendas, sicut ad hereditatem adeundam puellæ curatoris auctoritas non sufficit. Si libertus patronam, aut patroni vxorem, filiam, neptem ducat. Si quis ex ea prouincia in qua officium administrat, si susceptam ex baptismo quam filiulam vocamus.

## V. De incestis &amp; inutilibus nuptijs.

**A**dduntur in hoc titulo & aliæ causæ prohibendarum nuptiarum, & prænotatæ etiam quædam quæ fuere tit. superiore, in hoc titu. proprie explicantur, maxime de incestis nuptijs, l. 17. l. 23. §. penulti. quæ contrahuntur inter cognatos vel inter adfines, & vel sunt nefariæ

farix, vt quæ sint incestæ iure gentium, inter parentes & liberos in infinitum, & ex adfinibus inter vitricum & priuignam aut priuignæ filiam, inter priuignum & nouercam, inter focerum & nurum, inter generum & socrum. Nam & socius aut nouerca non alio nomine dicenda est, quàm mater. Nec alio priuigna aut nurus, quàm filia: & adeò quidem nefariæ sunt hæc coniunctiones, vt nec concubinam vel sponsam patris aut filij, aut soceri ducere liceat, vel sponsæ aut concubinæ filiam. Non solent nefariæ dici quæ incestæ sunt iure ciuili, veluti cum sorore sororis filia vel nepte, cum amita vel matertera, cum amita magna vel matertera magna, hodiè & cum fratris filia vel nepte, & ex adfinibus cum vxore fratris & cum sorore vxoris, quanquàm & has violare contra fas sit, l. 5. D. de quæst. Namque olim iustæ fuerunt nuptiæ cum fratris filia vel nepte, & cum adfinibus omnibus præter priuignam, nouercam, nurum, socrum, l. 4. §. hos itaque. D. de gr. & adf. Prætereà quod ex tit. superiore colligi potest etiam sub hoc titulo repetitur, non esse senatori connubium cum libertina aut scenica, aut famosa muliere, iniustas & impares nuptias esse, sic dico vt legi. l. 1. C. Th. de colleg. iusto coniugio opponi inæquale. Itemque si liberta inuito patrono alij transnubat, si qui vxorem habet alteram ducat, si inter seruos nup-  
 3  
 tiant vel cum seruis, vt Plauti Casina. Quid istuc est seruilis nuptiæ, &c. Idem si inter Latinos, quia nec nuptiæ iustæ, nec dos est inter ciues Romanos, §. sed & si quis. infr. de lat. lib. tol.

*V I. De interdico matrimonio inter pupillam  
 & tutorem, seu curatorem, libe-  
 rosq; eorum.*

**I**N hoc titulo proponitur alia species inutilium prohibitarumq; nuptiarum ex Oratione Marci & Comodi & S. C. quo cauetur ne tutor vel curator, ne tutoris curatorisve filius ducat impunè eam quæ pupilla sua

fuit, vel patris sui, antequam rationes redditæ fuerint & præterierint tempora restitutiōis in integrum, intra que etiam si redditæ essent rationes retractari possent. Nam causa quæ senatum mouit, fuit suspicio fraudis. Plerumque enim tutores vel curatores huiusmodi nuptias appetunt, vt puella ducta in familiam suam fraudem administrationis suæ tegant, vt rationes interuertant, vel cohibeant prorsus illas à verecundia dum tardat rationes à marito exigere vel socero, quæ ratio etiam efficit ne tutori permittatur adoptio pupilli vel pupillæ, aut mariti pupillæ. Hæc autem prohibitio consistit in tutoribus & curatoribus liberis eorum, nec enim porrigitur ad eos qui pro tutore vel pro curatore negotia gerunt, non ad procuratorem, non ad gestorem, l. vlt. hoc tit. alioquin paulatim & omnis qui rationibus reddendis obnoxius esset, prohiberetur sibi vel filio suo coniungere eam cui obligatus esset, l. pen. §. penu. D. de rit. nupt. & obseruandum, prohibitioni causam dedisse non tantum rationes ne cohiberentur, sed & vim & potestatem quam tutor habet vel curator, qua freto est facile huiusmodi conciliare nuptias, venerationem & memoriam pristinæ aut præsentis potestatis, rationem potentatus, l. præfectus. D. eod. quæ nulla est in protutore, procuratore, gestore voluntario.

*VII. Si quacumque præditus potestate vel ad eum pertinentes ad suppositarum iurisdictioni sua aspirare tentauerint nuptias.*

**I**N specie huius tituli eadem ratio quæ in superiori prohibet nuptias, ratio potentatus, d. l. præfectus. & punitur etiam conatus, si is qui in prouincia officium administrat, nuptias appetierit mulieris aut virginis inuita ea vel parentibus eius, & ipsa vel parentes quos minis aut promissis tentauerit statim habita contestatione liberentur iurisdictione eius qua abutitur ad nuptias elicendas, & hoc differt hic titul. à titul. 2. quod ille est de spon

Sponsalibus, hic de nuptijs, & à l. 6. suprâ de nup. quod illa sit de interdicto matrimonio, hic tit. de pœna tentantis interdictum matrimonium. Tentasse crimen est.

*VIII. Si nuptiæ ex rescripto petantur.*

**E**T ultimo loco hic ostenditur eas etiam nuptias inutiles, & illicitas esse quæ ex rescripto, quod utiq; subrepticium præsumitur, petuntur absque consensu puellæ, si nuptiæ fratris aut sororis filiæ, vel etiam hodie consobrinæ. Olim consobrinæ permissæ sunt ex rescripto, l. 1. C. Th. eod. & imparis honestate foeminae, l. 23. supr. de nup. & vtriusque rescripti formula extat apud Cassiodorum VII. Var. & pupillæ suæ vel patris, l. pen. sup. ritu. 6. & proculdubio ex rescripto petitur etiam desponsa recte vel arrarum duplum, l. 1.

*IX. De secundis nuptijs.*

**N**ON sine causa secundæ nuptiæ illicitarum vicinitatem sequuntur, quippè cum pœnis obnoxia sunt, licet ne quartæ quidem aut quintæ illicitæ sint, l. 4. infr. de bon. quæ lib. quia quasi quodammodo illicitæ esse videntur. Et ex his quidem aliæ immaturitatis reprehensionem habent, ut quas foemina facit intra annum luctus, l. 1. & 2. aliæ intemperantiæ, ut quas facit post annum luctus existentibus liberis ex nuptijs superioribus, l. 3. & ceteris legibus tituli huius. Nam & si quasi legitima sit ea immaturitas intemperantiæ, tamen legibus coercetur. & immaturitas quidem in foemina tantum, intemperantia in foemina & in mare, ut prioris matrimonij liberis consulatur, à quibus plerunque, ut eleganter Ambrosius ait 6. Hexamet. mutato concubitu parentes deprauantur, prælatis filijs posterioris copulæ, neglectis autem his qui ex prioris progeniti sunt, & eleganter l. 22. §. lex. infr. de adm. tuto. nouis maritis mulieres non solum res filiorum, sed etiam vitam addicere. & Homerus Odyssæ 6.

οἷσθα γὰρ οἷος θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γυναικός.  
 κείνης ἐδέχεται οἶκον ὀφελεινὸς κερδωῖοι  
 παίδων δὲ προτέρων ἢ καρδίοιο φίλοιο.  
 οὐκέτι μέμνηται πηνείοτος οὐδὲ μεταλλῶ.

Et inde Constitutiones in hoc tit. de coercenda libera litate parentum erga secundum secundamve coniugē, ne plus ei dent, donent, relinquunt, quam cui ex liberis prioris matrimonij, minimum dederint, donauerint, reliquerint ex bonis quæ aliunde quæsiuerunt quam à priore coniuge. Nam eorum quæ habuerunt à priore coniuge proprietatem seruant liberis prioris matrimonij, eorumq; seruandorum causa cetera parentum bona liberis tacite obligata sunt. In patre proprium hoc est, vt sit eorum bonorum legitimus administrator. Itemq; vt nō adstringatur necessitate dandæ fideiussionis. Cetera sunt communia in parentibus vtriusq; sexus.

*X. Si secundo nupsit mulier cui maritus vsu-  
 fructum reliquerit.*

**H**IC titulus est etiam de secundis nuptijs, & veluti co-  
 dicillus ad titulum superiorem quō suppletur quod  
 illi deest. Nam hoc quidem constat ex illo, mulier  
 primus maritus rerum quarundam suarum plenam  
 proprietatem dedit vel donauit vel reliquit, si post mortem  
 eius alii nuptum ire cœperit, statim amittere earum re-  
 rum proprietatem nudam, & vsu fructum solum reti-  
 nere, sed ex illo etiam non constat quid sit dicendum, si  
 prior maritus vxori quæ secundo nupsit, dederit vel re-  
 liquerit vsu fructum rerum suarum, quem constitutio  
 huius tit. confestim restitui vult liberis prioris matrimo-  
 nij. Hoc idem porrexerunt Arcadius & Honorius & alij  
 probauerunt, ad maritum, cui vxor legasset vsu-  
 fructum rerum suarum, sed abrogatur  
 à Iustiniano Nou. 22.



XI. De dotis promissione, vel nuda  
pollicitatione.

**M**atrimonium dixerunt Græci γαμικὸν συνάλλαγμα, & nos ante maluimus etiam id contractum, quam pactioem dicere. Hunc sequitur contractus alius, qui & antecedere potest, nempe dotis datio, l. contractus, D. de reg. iur. vel stipulatio promissioque dotis, vel pollicitatio, quæ pro contractu habetur: quia & ex pacto & ex pollicitatione & oblatione nuda dotis nascitur obligatio, l. 4. & pen. hoc tit. l. i. §. pen. de col. dot. sublata dictione dotis quæ olim fiebat solemnibus verbis, veluti, Mille doti tibi erūt, aut, Quod mihi debes doti tibi erit. Dos est conuentio qua res aut pecunia certa propter iustam uxorem propterue onera matrimonij peruenit ad virū. Vel, qua pensantur onera matrimonij data marito re aut pecunia certa. Varroni, vt vulgo pecunia nuptiarum causa data, vel, quod nomine rei vxoriæ in conuentionem venit vt marito traderetur. Aliàs dotis nomine significatur ius repetendæ dotis soluto matrimonio, l. i. §. Celsus. D. de dot. præl.

XII. De iure dotium.

**D**ocuit quibus modis contraheretur dotis obligatio. Nunc tractare incipit de iure dotium, id est, de causa, conditione, natura dotium vel de dotibus: & rectè in Digestis statim initio eiusdem tituli scribitur, dotis causam esse perpetuam, quod voto eius qui dat, ita contrahatur, vt semper apud maritum sit, quibus verbis significatur ex dotis causa dominium adquiri marito. Nec enim causæ contractuum temporariæ, veluti locationis, commodati, pignoris, dominium mutant, sed causæ perpetuæ, veluti emptionis, donationis, dotis. Et quod sequitur l. 2. D. eod. Reipub. interesse mulieres dotes suas saluas habere propter quas nubere possint, & vt significat l. interest. D. de reb. auct. iud. poss. quæ ex eodem libro sumpta est, non maiores tantum XII. annis, sed etiam

am minores, vt ætate permittente nubere possint, & videretur, in ea pro *Solidum* Paulus scripsisse *suam dotem*, errorem verò illum esse creatum ex his notis *SDM*, quæ vtrumque significant: id verò eo pertinet vt intelligatur dotis causam esse privilegariam, fauorabilem atque precipuam, fauorem certè ei addidit omnium maximum Imp. Iustinianus, fauore quod olim habuit inter creditores chirographarios, eodem quoque dato inter hypothecarios, primum in rebus ipsis dotalibus, deinde in ceteris etiam mariti rebus.

*XIII. De rei vxoria actione in ex stipulatu actionem transfusa, & de natura dotibus præstita.*

**H**IC titulus est etiam de iure dotium, aut verius de repetitione dotis singularis liber, quo auctore Iustiniano cum dotis recuperandæ vxori vel socero soli aut ad iuncta filia competere duæ actiones, olim actio rei vxoriæ & ex stipulatu si stipulatio interuenisset, extraneo ex stipulatu tantum, omnes ñ abolita actione rei vxoriæ dotem repetunt actione ex stipulatu, sed focer & vxor ex stipulatione tacita, extraneus tantum ex stipulatione vel pactione expressa facta initio dandæ vel promittendæ dotis, & focer ipse ex stipulatione expressa statim ñ pactione si dotem sibi reddi voluerit non adiuncta persona filia, & dotem non esse filia pro patrimonio. Eam retinuit actionem Iustinianus quæ meliore iure erat. Nam & ex eo multò plura retinet quàm ex actione rei vxoriæ. Nec bonæ fidei eam facit quod vtilior sit actori actio bonæ fidei quàm stricta, sed ne haberet ex iudicio bonæ fidei quidquam quæ non sit etiam bonæ fidei. Atque ita eam bonæ fidei fecit, vt ne tamen iuris stricti pro dotibus amitteret meliorem, quæ in iudicio stricto causa erat. Denique mistam fecit actionem bonæ fidei & stricti iuris, actionem ex stipulatu de dote repetenda, quæ confusio similis ab eodem inducta est S. C. Trebelliani, & S. C. Pegasiani. Quæ verò seruat ex propria natura

cura actionis ex stipulatu hæc ferè sunt, vt non sit locus edicto de alterutro, vt post diuortium mortua muliere ante moram nec aduentitia dos cedat lucro mariti, vt retentionibus dotis ex quinque causis nullus sit locus, vt mortua muliere in matrimonio si pater non sit, dos profectitia non cedat lucro mariti. Ex natura actionis rei uxoriæ hæc, vt dotem à parente datam virilis sexus & per virilem sexum cognatione iuncti liberi retineant titulo præcipui siue ex parte scripti siue emancipati aut exhereditati sint, coheredibus præstita cautione stricta de indemnitate, & vt de dote profectitia vel aduentitia diuortio facto aut mortuo marito agat pater adiuncta filia, vel si pater non sit, aut defierit esse morte naturali vel ciuiliante vel post litem contestatam, sola filia, morte ciuili, vt l. 2. infra soluto matrimonio. Et vt maritus hæctenus damnetur quatenus facultates, non in solidum. Et ex his rursus quæ communia erant vtriusque actionis hæc feruat, vt prædia dotalia red dantur statim, vt dotis inæstimate fructus ne reddantur nisi pro rata temporis quo nouissimo anno mulier nupta non fuit. Et hoc addit noui, vt dotes quæ consistunt in rebus mobilibus tam animalibus quàm his quæ anima carent & in rebus incorporalibus reddat maritus heresve eius intra annum, explicandæ pecuniæ gratia, quia plerunque harum rerum etia redduntur si constante matrimonio alienatæ vel remissæ fuerint. Et his subiicitur de fundo dotali non alienando vel obligando, ne consentiente quidem muliere aut remittente. hypothecam quam habet in rebus dotalibus, sublata differentia Italiæ & prouinciarum, constitutio noua.

*XIV. De pactis conuentis tam super dote quam  
super donatione ante nuptias &  
paraphernis.*

**V**T contractui emptionis venditionis libro quarto & actionibus quæ ex eo nascuntur, subiicitur titulus de pactis.

de pactis, quod hæc soleant legem dare emptioni venditioni, ita proposito contractu dotis hoc libro & actionibus quæ de repetenda dote competunt, datur titulus de pactis dotalibus, ex quibus est actio præscriptis verbis, l. 6. suprâ de iure dot. & titul. prox. §. accedit. videlicet negotio ita gesto ab extraneo dante dotem pro muliere, Do vt reddas. Nec enim ei suppetit actio rei vxoriæ, cum mulier pro qua dedit dotem contraxisse intelligatur, nō ipse, l. 9. in final. hoc titul. nec actio ex stipulatu, cum tacita ei data stipulatio non sit, sed quasi ex nouo negotio utilis præscriptis verbis ad exemplum rei vxoriæ, vel efficax condictio certi. Et ex his quidem pactis alia vtilia sunt, a iia inutilia, quæ Constitutiones satis aperte discernunt. De pactis conuentis super donatione ante nuptias est. l. 9. & penul. Retinet titulus veterem appellationem, quia nondum mutauerat eam Iustinianus in propter nuptias. Recentior enim est l. vltim. supr. de dona. ant. nup. Constitutionibus tituli huius. De conuentis super paraphernis est, l. 5. 8. & vlt. Et l. 5. inutile esse pactum instrumento dotali interpositum vice testamēti, vt mortua muliere in matrimonio parapherna pertineāt ad maritum. Vtile est pactum, si idem de dote conuenerit, non si de paraphernis, quia pactum neque testamenti, neque codicillorum vim vllam habet, & improbum etiam est pactis constringere libertatem testandi. Nihil enim ris marito datur in paraphernis, nisi hætenus quatenus patitur mulier, l. 6. vt si data ea marito non donandi animo maritus consumpserit, mulieri teneatur etiam si ex eis locupletior factus non sit, l. de his, infr. de dona. inter vir. & in solidum etiam si facultates non habeat, modō si ea amouerit, l. si rerum. D. de re iudic. Et ad hæc notandum, etiam pro paraphernis mulieri dari tacitam hypothecam, l. vltim. vt pro dote, tit. superiore. Nam quam olim pacisci solebant tam pro dote quam pro paraphernis, vt l. vbi, supr. de iur. dot. æquē consequens est, vt pro dote hodie pactum haberi etiam pro paraphernis, possis addere & pro donatione propter nuptias eadem ratione,

tione,

zione, solo priuilegio vni doti referuato. Placet etiam vt in rebus dotalibus, ita in paraphernis maritum cuius potestati ea commisit mulier præstare dolum & culpã. Et parapherna sunt cetera bona mulieris quæ doti non dedit, Gallico vocabulo vsurpato à Latinis, vt rhedæ, pe toriti, couinni peculium mulieris, l. si ego. §. dotis. D. de iur. dot. l. donationes. §. species, de donat.

XV. *De dote cauta & non numerata.*

**C**Autionem nudam siue tenorem inanium dotalium instrumentorum, vt ait l. 9. infr. de bon. pos. dot. non facere, vt l. 1. sup. de do. ant. nup. non factem donandi animo, rem desiderare dationem naturalem. Factam donandi animo & legitimè & ex S. C. confirmatam morte mariti, si fuerit facta forte manente matrimonio pro dote haberi, l. 2. Cautioni falsæ obijci præscriptionem anni numerandi à soluto matrimonio, l. 3. quam Nouel. 100. valdè immutauit.

XVI. *De donationibus inter virum & vxorem, & à parentibus in liberos factis, & de ratihabitione.*

**Q**VAESTIO de re vxoria multis partibus constat, inter quas vna est de donationibus inter virum & vxorem propter quas erat retentio dotis. & hanc partem hic titul. exequitur. iamque superioris tituli. 2. prædicere occupauit cautionem dotis non acceptæ factam vxori donandi animo, confirmari morte mariti. quod est ex S. C. siue Oratione Seueri & Antonini, quæ & Cōstitutio dicitur generali nomine, l. 3. hoc titul. quæ si interueniat Falcidia ita accipienda est, vt confirmetur donatio pro dodrante tantum, d. l. 2. & l. 14. hoc titul. Donatio enim inter maritos comparatur donationi causa mortis post S. C. excepto vno casu, si donator in seruitutem redigatur, quo donatio inter maritos confirmatur, donatio causa mortis inter alios infirmatur. Ab initio autem donationes inter virum & vxorem ipso iure non

p valent,

valent, ne mutuae quidem, l. cum hic status. §. si ambo. D. eod. & reuocantur pœnitentia tacita vel manifesta per vindicationem aut conditionem, non in solidum sed in quantum locupletior ex ea re factus, factus est qui que-  
 ve donatum accepit, l. pen. C. Th. de reu. don. & hac etiã ratione quæ locupletio~~rem~~ non faciunt donatariũ permissæ sunt. Exemplum autem S. C. siue Orationis Seueri & Antonini fecit vt idem Iustinianus statueret in donationibus à parentibus collatis in filiosfam. vt silentio, vt morre cõfirmarentur. & naturali igitur & ciuili morte exemplo donationis inter maritos & donatore mortuo apud hostes non iam ex S. C. vel exemplo S. C. sed ex lege Cornelia testamentaria, vel post mortem donatoris, donatario postliminio reuerso, à Iustiniano nouè p-  
 ducta vtraq; fictione ad donationes inter virum & vxorem, l. vltim. hoc tit. Id verò de confirmatione donationis inter patrem & filium. quod idem Iustinianus statuit ante non tenuerat, vetante regula quæ ex post facto non vult conuallescere quod ab initio non valuit, & hac secus si quando fit, etiam fit ex lege certa vel incerta, id est incognita nobis vel vtiliter non directo. Inde verò cum dubitatio nasceretur, vt rùm donator si legaret quod donasset, id iure confirmationis caperetur an iure legati, & constaret capi iure confirmationis post S. C. l. 14. hoc tit. nec verbum igitur Lego semper facere legatum, vt verbum Dono donationem, lex conducto. §. Pap. loc. Idem Iustinianus ab hac definitione vnũ casum excepit, Si donatio insinuata non esset, & differentiam patefacit inter ius confirmationis & legati. Ius legati non retro trahi. Ius confirmationis retrorahi, & generaliter idem definit omnem confirmationem vel ratihabitionem retrorahi, sublata differentia veterum, inter ea quæ sunt iuris & ea quæ sunt facti. nam ea quæ sunt iuris retrorahabantur, non ea quæ sunt facti. arg. l. 7. D. de iure cod. Et hoc tantum est quod de ratihabitione hic tit. habet, & de donatione parentum erga liberos suos vna lege noua Iustin. comprehensum. l. 25.

XVII. De repudijs & iudicio de moribus  
*sublato.*

**P**ARS alia quæstionis de re vxoria fuit de moribus coniugum qui diuortio causam dedissent, quoniam propter mores erat retentio ex dote atq; etiam actio de moribus. Sed actio tollitur à Iustiniانو in l. vltim. quoniam sufficiunt pœnæ iniusti repudij comprehensæ, l. consensu. & retentionem quoque postea sustulit sursum tit. 13. §. taceat. Sed quia non nisi factò diuortio retentioni locus erat vel actioni de moribus, etiam si vtraque sublata sit, residet tamen adhuc inspectio de diuortijs, de quibus est hic tit. nam repudiorum nomen generale est, quo & diuortia significântur & repudia inter sponsos. & de his est l. 2. Ceteræ de diuortijs. Diuortium est repudium & separatio maritorum. Repudium est diuortium vel renunciatio sponsalium. Placet valdè formula repudiandæ vxoris impudicæ, quæ est in saryrico Petronij. Quia fidem scelere violasti, & communem amicitiam, res tuas ocius tolle, & alium locum quem polluas quære. Licita autem fuere repudia ante No. 117. ex l. 9. hoc tit. facta communi consensu non inuito altero impune sine iusta & legitima causa. Solius Flaminis matrimonium non nisi iuristimi poterat, auctoris Festo & Gellio. Imò nec vltimò olim iure veteri, & primum Domitianum repudia permisisse Plutarchus scribit in ἑωμενικαῖς.

XVIII. Solutio matrimonio quemadmodum  
*dos petatur.*

**H**IC titulus est de ipsa repetitione & solutione dotis, siue de iudicio recipiendæ dotis, quod soluto matrimonio competit aliquando directo, aliquando vtiliter, vt l. 2. & non in solidum aduersus maritum, sed quatenus facere potest, aduersus heredem eius in solidum, l. 8. & 9. ac rursus in patrem si marito filiosa dos data sit, non in solidum, sed in pectulium si ipsi patri, in solidum

l. pen. & aliquando non res ipsas dotales peti, sed pretiū, aliquando etiam partus ancillarum venire si non mariti, sed mulieris periculum fuerit, non etiam fructus. nec solum patrem dotem sine filia quæ superstes sit repetere, nec in eius arbitrio dotem esse filiaæ vt peculium, l. 2. & 7. & ad hunc ferè modum finemq; dotem repeti hic tit. do cet. At eadem de re fuit titu. 13. An hic igitur superfluous? minimè verò. alioquin erit etiam superfluous titu. 23. de fundo dotali. quoniam eod. titu. omne ferè ius de fundo dotali expositum est. Verum obseruandum est in eo tit. 13. ea tantum exponi de repetitione dotis, quæ noua Iustinianus fecit partim probato, partim improbato iure actionis rei vxoriae, & ipsa etiam actione sublata, & reuocata sola ex stipulatu, & mulieri ioceroq; data tacita stipulatio. ac, & mulieri etiam tacita hypotheca, & similiter ea tantum exponi de fundo dotali quæ ipse fecit noua, sublata differentia locorum, quam induxerat lex Iulia, & differentia alienationis & hypothecæ. Cetera quæ de repetitione dotis vel fundo dotali Constitutionibus prodita sunt, confirmari nominatim in d. tit. 13. §. penul. & cetera de fundo dotali sunt in tit. 23. cetera de repetitione dotis in hoc titulo. Imperfectus esset hic liber siue tractatus de dotibus, si contineret ea tantum quæ de iure dotium Iustinianus fecit noua, non etiam vetera quæ non mutauit.

*XIX. Si dos constante matrimonio soluta fuerit.*

COMMODISSIMÈ iunxit hunc titulum superiori, nam l. vltim. superioris tituli. & lex illius tituli partes duæ sunt vnus eiusdemq; Constitutionis, vt constat ex S. C. Theod. l. si constante. De dot. Lex vltima superioris tituli est de marito mortuo, hæc verò de vxore mortua, & vt marito mortuo, dos redit ad mulierem, nihilque ex ea heredes mariti sibi vindicare possunt, ex d. l. vlt. m. ita ex hac lege vxore mortua contra generalem defini-



finitionem superioris tituli: vt dos soluto tantum matrimo-  
 nio petatur vel soluaturreceptis certis causis: quia re  
 præsentationem dotis perspicuum est instar donationis  
 obtinere, quæ inter maritos prohibita est, si maritus con-  
 stante matrimonio dotem mulieri soluerit absque legiti-  
 ma causa, quia ea solutio præmatura pro donatione est,  
 nihil ex ea dotem heredes mulieris sibi vindicare possunt,  
 sed marito aduersus eos est repetitio dotis cum fructibus  
 omnibus quæquæ fide percepti sunt à die solutionis. Iure  
 enim veteri mortua vxore dos aduentitia vel profectitia  
 si non patet, lucro mariti cedit, liberis communibus ser-  
 uata proprietate quasi bonorum maternorum, ad eò vt  
 nec à liberis ea abalienare possit, maximè si eis nouerã  
 superdixerit. Iure nouo quo mortua vxore dos non ce-  
 dit lucro mariti, & redditur heredibus mulieris, §. illo  
 proculdubio. titu. 13. non potest esse locus Constitutioni  
 huius tit. nisi ponas conuenisse instrumento dotali, vt  
 dos mortua vxore lucro mariti cederet, & ita hanc Con-  
 stitutionem accipit Iustinianus in Nou. 22. ea nimirum  
 inflexa & accommodata ad ius quod ipse nouum fecit  
 de dotibus, quo argumento contendere fortiter possis  
 quæcunq; his vel Pandectarum libris cauta sunt, excipi  
 debere secundum noua iura quæ Iustinianus introduxit.  
 Sed id efficere tamen ubique vincereque sanè haud qua-  
 m possis. Illud non omitam in specie huius legis nõ  
 eosdem fuisse liberos & heredes mulieris, extraneos sci-  
 licet heredes fecerat mulier, liberis satis fecerat relicta  
 portione legitimæ portionis.

*XX. Ne fideiussores vel mandatores  
 dotium dentur.*

**P**ERTINET etiam hic titulus ad repetitionem & solutio-  
 nem dotis, vt maritus, vel focer vel profocer qui do-  
 tem accepit dotis seruandæ & soluendæ soluto matrimo-  
 nio mulieri non cogatur fideiussorem dare vel man-  
 datorem, cuius scilicet mandata vxor dotem det viro,

quo sit aduersus fideiufforem vel mandatorem mulieris regressus soluto matrimonio dotis recipiendæ gratia. & si vltro maritus dederit fideiufforem vel mandatorē, vt non obligetur : quia hanc obligationem Constitutiones improbant, l. i. C. Th. de fid. dot. & ratio Constitutionum hæc est, quia cum mulier credat marito suum animum & omnem vitam, vel focero cuius filiosa. nupsit, & plerunque etiam parapherna, absurdum esset fidei eius ea etiam si non committeret dotem, quæ & in bonis mariti est, vel etiam commissa & concredita ea si desideraret fidem alienam, si fidem haberet fidei alienæ magis quàm amicitia fideiq; communi. Ante nuptias fateor posse dari fideiufforem dotis, vel post nuptias non manēte matrimonio. Hæc de re memini me scribere ad Africanum lib. 4.

### XXI. *Rerum amotarum.*

**P**ARS alia quæstionis rei vxoriæ est de rebus amotis, propter quas erat olim compensatio siue retentio ex dote, & quæ etiam hodiè manet actio rerum amotarū. De vtraque est hic titulus. De Compensatione siue retentione, l. i. vt à Græcis accepta est. De actione, l. 2. & 3. Et est actio rerum amotarum, cōdictio quæ ex edicto prætoris post diuortium datur statim & in solidum in vxorem vel maritum qui coniugi res abstulit diuortij causa. Oritur ex diuortio, l. vltim. §. penultim. D. de diuor. quia post diuortium datur, non manente matrimonio. Et oriri ex furto, l. 21. §. vltim. D. eod. l. si rerum. D. de re iudic. atque ad eò quasi pœnalis esse & quasi famosa, nec in heredem dari vltra id quod ad eum peruenit, l. 3. Et vt contractus appellatione continetur quasi contractus, sic in l. 2. famosæ vel pœnalis actionis, quasi famosa vel quasi pœnalis, qualis hæc actio est, quod in ea furti fiat mentio tacita. nam & si res amotas dicas, populus intelligit te res furtiuas dicere, apud quem constat ratio nostræ famæ. Verbum amouendi elegit prætor in hoc edicto, vt parceret pudori eius qui maritus vel quæ vxor fuit ex furto

furto in matrimonio commisso longè alia ratione, quam in edicto, vt suus heres beneficiũ abstinerẽ non habeat qui quid ex hereditate amouit, & in edicto Si quid testamento manumissus ex hereditate subripuit : in quibus quia hereditati furtum non fit, non potuit furti meminisse. In hoc verò furtum quæ res est natura turpis, verbis extenuat in honorem prioris matrimonij, nec latinè loquitur, id est furtum non appellat furtum, sed vt qui pulsauit se attigisse, qui vulnerauit se læsisse dicit.

*XXII. Ne pro dote mulieri bona mariti  
addicantur.*

**L**ongè alia est ratio huius tituli ac fuit superioris. nã viui mariti pudori parcit mulier ex ritu. superiore, si de rebus agat diuortij causa à marito subreptis, quin & viuo marito parcit si agat de dote dum eum non condemnat in solidum, sed quatenus facere potest. Mortuo autem marito, iudicio dotis heredem eius condemnat in solidum, l. maritum, D. solu. matr. & ex hoc titul. non parcit pudori mortui. quinimò si nullus marito heres existat, ex illa parte edicti, Cui heres non extabit, mittitur in poss. bono. omnium mariti dotis seruandæ causa, quo genere non transfertur possessio, sed ius prætorij pignoris constituitur, deinde transactis aliquot dieb. intra quos si res exigat curator bonis cõstitui potuit, bona p̄scribuntur, & ex consensu creditorum creato magisterio bonis v̄dendis publicè vaneunt sub hasta lege dicta v̄ditioni soluendæ ab emptore dotis integræ aut partis, & bona addicuntur emptori qui licitatione vicrit, isq; emptor bonorũ similis est bon. poss. & satisfacere cogitur mulieri pro rata dotis & ceteris creditoribus, nã hic ordo omnib. creditoribus proficit, l. cum vnus. D. de reb. auct. iud. poss. Hic est ordo edicti p̄petui quo vtitur creditor quilibet. l. 6. infr. cod. & suggillat nomen mariti vel alterius debitoris. nec enim hoc ordine neglecto, iure postulat quisq; sibi pro dote vel alio debito addic. bona debi-

Denique hoc ordine seruato, quem noster Theophilites rectissime exposuit in tit. de succ. sub. quæ sic. per bo. vend. mulier indemnis damno seruatur secundum ius quod obtinuit antequam dedisset Iustinianus tacitam hypothecam, quatenus, inquit, successionis modus patitur, in l. 4. infra qui bon. ced. poss. quatenus substantia patitur. & est  $\pi\lambda\omega\kappa\iota$ , nam priore loco successor est heres aut bonorum possessor, posteriore successio, bonorum emptio, ut in supra scripto tit. de succ. sub. & successor bonorum emptor qui similis est bonorum possessori. & bona igitur in hoc proposito dicimus non deducto gre alieno, ut in l. Falcidia, sed cum sua causa, ut in edicto de bonorum possessionibus ex testamento vel ab intestato. Ad dicere bona, est collocare penes mulierem vel alium creditorem, vel alium quemlibet ex alia causa, eumque eorum bonorum possessorem facere, quem utique prætor tuetur quasi dominum. est enim addicere prætorium.

### XXIII. De fundo dotali.

**L**EX Iulia scripta est de fundo dotali, sed pertinet etiã ad ædes, ut lex XII. tab. quæ vsucapionem fundi iubet esse biennium, ut contra interdictum Vti possidetis scriptum est de ædibus, sed pertinet etiã ad fundum, l. 1. §. pen. D. Vti poss. non ad superficiem solam, l. 3. §. sed si supra. D. eod. & idcirco de superficie proprium interdictum proponitur quasi vti possidetis, in tit. de superf. & ita lex Iulia non pertinet ad superficiem. l. si ex lapidicinis, D. de iur. dot. quæ vult maritum rei dotalis quæ solo continetur, si ea res inæstimata sit, vel etiam æstimata electione mulieri seruata repetendæ rei vel æstimationis, non habere alienationem, quo nomine significatur omnis translatio domini, l. ergo & diuisio & actio communi diuidendo per quam ad diuisionem peruenitur, l. 2. hoc tit. l. ex castren. §. 1. D. de cast. pec. & videndum hac in re quod noui Iuris Iustinianus introduxerit  
 sursum tit. 13.

**XXIV. Diuortio facto, apud quem liberi morari vel educari debeant.**

**P**ARS alia huius tractatus fuit de liberis, quoniam propter liberos sextarum vel quintarum retentio erat ex dote, alendorum communium liberorum causa, vt titu. 13. §. fileat. & inde quærebatur diuortio facto apud quem morari & educari debeant. & Cōstitutio huius tituli hoc ponit in arbitrio iudicis, vt l. 3. titu. sequ. nec probat vt per sexum liberorum diuisio fiat inter parentes, vel subdiuisio est.

**XXV. De alendis liberis ac parentibus.**

**I**Nde etiam quærebatur, a patre, an à matre, an communitè alendi essent. & definitur depulsos a mamma seu exuberens esse alendos à patre pro modo facultatù etiam emancipatos, vt l. 5. D. de agn. hb. & vice versa, vt eadem lex ait, quod est ἀντιπελοργῆν, parentes vtriusque sexus esse alendos à liberis. quia patri & matri pietas æqualis debetur, l. 4. D. de cur. fu.

**XXVI. De concubinis.**

**E**xplicito tractatu de dotibus, datur titulus de concubinis. nam & si nec dotis in cōcubina quæstio locum habeat, nec diuortij, nec rerum amotarum, l. si concubina. D. rerum amotarum. nec rerum donatarum, l. donationes D. de don. nec ex quibus causis connubium interdicitur, ex his vtique omnibus etiam concubinatus interdicitur, l. 1. & 3. §. vltimo. D. eodem. tamen concubina vxorem imitatur, vt Iulianus ait Nouell. 18. & est cōcubinatus concubinaque ἡμίγαμος, vt Zonaras loquitur, & coniugium sed inæquale. l. 3. titu. seq. nec per concubinatum stuprum cœlebs committit, l. 3. D. eodem. l. stuprum. D. ad legem Iuliam de adult. & vt lege Iulia de adult. tenetur vxor. ita concubina, l. si vxor. D. eodem. & vt secunda vxor patris, ita concubina filio quasi nouerca est, vt eam vxorem ducere non possit, l. 4. supr. de nup. & vt vxori vxorem superducere non licet, l. 2. supr.

de inc. nupt. ita nec cōcubinam super. luci bonis moribus  
 cōueniens est, l. ex ea. §. 1. de verb. oblig. l. 3. inf. comm. de  
 man. Denique concubinitus legitima coniunctio est &  
 semi matrimonium, l. si qua. infr. ad S. C. Orf. Constitu-  
 tionibus tamen tituli sequentis permiffa magis quàm  
 probata, quæ naturales liberos solidi incapaces faciunt,  
 capaces quidem erant olim, concubinitu per omnia ha-  
 bito pro legitima coniunctioe, ex Constitutionibus il-  
 lis veluti legitima intemperantia est, vt secundæ nuptiæ  
 & veluti legitimum vitium, ac tandem damnata Leonis  
 No. 91. in de fuetudinem abiit.

*XXVII. De naturalibus liberis & matribus eorum  
 ex quibus causis iusti efficiantur.*

**M**Atres sequuntur liberi. nam in hoc titulo naturales  
 liberi dicuntur qui ex concubinis nascuntur. & re-  
 ctè *liberis*. nam & de nepotibus naturalibus est in hoc tit.  
 lex vitim. & rursus rectè, *Et de matribus eorum*, quia libe-  
 ri naturales, & matres eorum in causa capiendi ex bonis  
 patris naturalis simul in vnam portionem admittuntur  
 tam inter viuos quàm mortis causa, & tam ab vltima  
 voluntate quàm ab intestato, l. 2. & 8. hoc tit. & Nouel.  
 18. & 89. Aliàs naturales comparati adoptiuis iusti &  
 ciuiles liberi sunt; alias comparati iustis ex concubina-  
 progeni. Qui autem ex stupro nascuntur vel ex contra-  
 bérnio vel ex illicito matrimonio, neque legitimi neque  
 naturales sunt, vt l. 1. hoc tit. l. 44. sup. de Ep. & cl. & pa-  
 trem certum non habent. Naturales patrem habent, nec  
 tamen proprie patrem, id est, non patrem ciuilem. & in-  
 de l. 5. infr. qui man. non poss. Quem patrem tuum ap-  
 pellas, quia talem scilicet leges patrem non appellant,  
 nam pater proprie est quem iustæ nuptiæ demonstrant,  
 l. 5. D. de in ius vo. & obseruandum est l. 7. huius tituli nō  
 simpliciter dicere patri naturali denegari nomen patris,  
 sed ius & nomen, id est nomen iusti patris. nam & filios  
 naturali non succedit, l. 9. §. quod & in his. hoc titulo. ac  
 præ-

præterea spurii nihil capere possunt ex bonis eius quæ patrem dicunt. Naturales certæ portionis capacitatem habent. Et spurij nullo modo iusti efficiuntur. Naturales certis modis veluti decurionatu, & concubina ducta in matrimonium, & rescripto principis.

### XXVIII. De testamentaria tutela.

**E**Xplicato contractu matrimonij & dotis & ceteris qui id genus conventionis præcedunt vel sequuntur, incipit tractare de alio genere cōtractus, nempe tutela quæ contractibus adnumeratur, l. contractus. D. de reg. iur. l. ex contractib. D. de ob. & act. quia et si pupillus tractatu habito cum tutore non contrahat, l. vlti. D. rem pup. fal. fo. tamen tutor ex administratione sua tenetur quasi ex contractu, & per causam administrationis inter eum & pupillum nascitur actio vltro citroque, directa & contraria, §. tutores. Insti. de obl. quæ quasi ex contr. Tutelæ autem nomine, cum dico tutelam esse contractum, tutelæ gestionem & administrationem intelligo, ut cum iuris auctores dicunt tutelam restituere, id est, administrationis tutelæ rationem reddere. nam tutela simpliciter non est contractus, sed vis & potestas, &c. notissima definitio. Est autem alia tutela legitima, alia dativa. Et dativa alia testamentaria, alia Attiliana. nam & dari testamentario dicitur, ut Vlpian. scribit lib. Reg. tit. de tut. & dati à prætore, qui Attiliani appellantur in tit. de Att. tut. l. Dativus. D. rem pup. fal. fo. l. vlt. inf. de leg. tut. Ideo autem primus tit. est de testamentaria tutela, quia hæc prævalet, & ut in hereditatibus, sic in tutelis prior est causa testamenti, l. si quis sub condicione. D. eod.

### XXIX. De confirmando tutore.

**H**IC titulus est etiam de tutore testamento dato, sed non iure dato, veluti à patre filio emancipato aut matre vel extraneo, quia eos tantum tutores confirmat lex XII. tabu. quos parens nominatim dedit, his quos in suis

fuis heredibus habuit, hos, inquam, solos lege obuenire dixeris non improprie, vt heredes testamentarios, quandoquidem confirmare tutelam testamentariam, vt l. 2 o. D. de test. tut. est facere tutorem. Et sola lex igitur tutorem aut Senatus aut princeps, vt heredes, facit, non testator, non prætor. Verum qui non iure dati sunt à patre filio emancipato confirmantur decreto prætoris sine inquisitione, etiam si exheredato dati sint, dati autem à matre vel extraneo non aliter confirmantur quam ex inquisitione, & ita demum si heredi instituto dati sint. Nec enim mater aut extraneus præsumitur dilexisse eum quæ heredem non instituit, l. 4. D. eod. ac proinde nec præsumitur ei bene pro sua tutela cauisse. Contra pater præsumitur semper bene cauisse, cuius affectio certior, certus si sit de sobole sua, non addubius, vt Menander dixit, *ἔσιρ δὲ μήτηρ φιλόπικρον μᾶλλον πατρός, ἢ μάγιστρον ἀντιπαιδιστὴν ἢ ὄμ, ὅδ' αἶται*, etiam filio exheredato, quem possit exheredasse bona mente. Confirmatur etiam tutor à patre datus filio facti imperfecto testamento vel per epistolam aut fideicommissi verbis, l. 2. hoc titu. l. 1. D. eod. & curator testamento datus à patre, quod etiam non fit iure: quia lex XII. tabu. de tutela loquitur, non de cura, sed confirmari solet, l. 2. Confirmati Attiliani potius sunt quàm testamentarij. Vel testamento destinati à nominati potius quàm dati.

### XXX. De legitima tutela.

**T**estamentariæ tutelæ succedit legitima. Hæc non datur, l. 5. D. eod. sed lege defertur ipso iure, & deficientibus tutoribus testamentarijs, pupillo quasi existunt statim vel fiunt ipso iure tutores non cognati (cognatos enim lex non nouit) sed consanguinei fratres, vel alij agnati qui proximi sunt ad hereditatem pupilli ab intestato. id est, si pupillo parens non fecerit substitutionem pupillarem. Testamentaria est datiua, legitima non est datiua. Legitima proprie est legitima. Testamentaria non improprie, vt hereditas, l. lege. D. de verb. sig. quæ duo



duo sunt longe diuersa, proprie scilicet & non improprie. l. 1. D. de suis & leg. here. legitima est absolutè legitima. Testamentaria quodammodo, itemque Attiliana. Nam sola lex tutorum facit vel Senatus aut princeps, aut populi mos, non prætor, sed prætor tutorem dat iubente lege vel Senatu vel principe vel more permittente. Nec vllum extat prætoris edictum quo fiat tutor. Nō est igitur edictum prætoris legi simile. S. C. est legi simile, Constitutio principis est legi similis, §. quos autem. Instit. de bono. posses. Idem non dicimus de edicto prætoris, sed hoc tantum non modicam obtinere iuris auctoritatem, partem iuris esse, non legis. Nec mirum si curator ventri detur ex edicto, non tutor. l. ventri. D. de tut. & cur. da. Nam & de tutore constituendo edicere non potuit prætor. Verum vt qui heredem facere non potest, bonorum tamen possessorem facit, quem in omnibus tuetur heredis vice, ita qui tutorem facere non potest, curatorem tamen facit, quem habet tutoris loco. Et in summa tutorum origo est ex lege vel alio iure quod vigorem legis obtineat, Curatorum qui puberibus dantur, & aliquando impuberibus vel bonis aut ventri, origo est ex iure prætorio, exceptis curatoribus furiosorum & prodigorum qui soli legitimi sunt non datiui. Et vt de legitima tantum tutela modo dicam, alia ex lege dicto descendit, vt quæ agnatis defertur, alia per consequentias hereditatum, vt quæ patrono defertur vel parenti manumissori, l. 3. D. eodē. l. 5. supr. de dol. & quæ extraneo manumissori, id est, patri fiduciario, cui pater naturalis filium mancipauit, vt liberaretur, quæ propriè tutela fiduciaria dicitur, quia hac lege fiduciaque cauta filium pater naturalis mancipat emptori, qui pater fiduciarius dicitur, vt eum manumittat, & sic fiduciaria quoque tutela dicebatur, cum pater naturalis in emancipatione manumissor extiterat, putà contracta fiducia, vt emptor filium mancipatum sibi remanciparet patri naturali manumittendum. Sed hodie fiduciarij tutoris nomen consistit non in patre manumissore, quia

receptum est vt potius legitimus appelletur exemplo patroni sublato iam patre fiduciario, sed in liberis eius fratribus pupilli manumissi, l. 4. D. eod. Et rursus legitima tutela alia est principalis, alia cessicia. id est, quam legitimus tutor fœminæ puberis alteri cedit in iure, quæ extinguitur morte & capitis deminutione cessici tutoris, vel eius qui cessit, vt mandatum quodlibet, l. mandatum. sup. mand. l. cum quis. in prin. D. de sol. l. post litem D. de procu. item que cessico tutore alij cedente tutelam. quia cessione primæ renunciaffe videtur, & secunda cessio non valet. Cessicus enim alium cessicum facere, vt procurator alium procuratorem facere non potest. Potuit autē tantum in iure cedi tutela legitima, non testamentaria, & tutela nō masculorum sed fœminarum puberum, quæ erant olim in perpetua tutela quoad marito in manum conuenissent. Nam conuentione in manum mulier fit in potestate viri, & generaliter neque masculus neque fœmina, qui quæve in manu, potestate, mancipio alterius est, & in tutoris potest esse potestate, & in definitione Serui; caput liberum est homo sui iuris, vt liber homo in l. recte. D. ex quib. caus. maior. Sed quia lex Claudia sustulit tutelam legitimam fœminarum puberum, ne scilicet essent in perpetua tutela, & hodie quoque cessat cessicia tutela, & impuberibus tantum fœminis vt maribus legitimi tutores sunt consanguinei vel aliignati, l. 3. hoc tit. l. 2. C. Th. de tut. & cur. cr. Dico agnati. Nam cognatis neque hereditas, neque cura vel tutela legitima defertur. Sed excipio fratrem emancipatum, qui vt ad legitimam hereditatem vocatur ex Constitutione Anastasij, ita æquum est vt vocetur ad curam & tutelam legitimam, l. 4. hoc tit. l. 5. inf. de cur. fur. §. 1. Inst. de succ. cog. secundum regulam, Quò hereditas eò & tutela redit, & contra, quæ tamen vitiat, si fœmina heres intercedat, vel minor XXV. ann. Nam & si ad fœminam vel marem minorem XXV. ann. legitima pupilli hereditas redeat, non tamen redit etiam tutela. Nam hi tantum sunt idonei tutores vel curatores datiu vel legitimi qui

maiores sunt xxv. an. ex l. vlt. huius titu. antequam erant ipso iure legitimi tutores & per alios administrata tutela omne periculum administrationis sustinebant, nec tamen eorum bona immobilia tac. to iure erant obligata pupillo vel adolefcenti, quia obftabat S. C. cum regulariter pupillus vel adolefcentis habeat tacitam hypothecam in bonis rectoris sui.

*XXXI. Qui petant tutores vel curatores.*

**P**ost tutores testamentarios & legitimos, dicitur de tutoribus vel curatoribus qui dantur à prætore urbis ex l. Atilia vel ex S. C. vel moribus aut à præf. dibus provinciarum ex l. Julia & Titia, qui petuntur & dantur non quasi existunt ipso iure vt legitimi, nec dantur vt testamentarij nomine petente, in primis docet qui tutores vel curatores petere possint aut debeant. Et debent quamprimū tutores petere liberti liberis patroni, & mater, auus, avia liberis suis quibuscunque, non curatores puberib<sup>9</sup>. Et si cessant tutores aut curatores impuberibus petere, puniuntur liberti ob desertum obsequium, parentes ob desertam pietatem. Possunt petere vel amici, imo & aduersarij in litem, l. vlt. §. ne autem. infr. de adm. tut. l. 1. 4. 7. hoc tit. Et petunt omnes editis nominibus plurimum, qui *προσπίδντες* & *πρόκριτοι* appellari possunt, & ex eis vnū eligit magistratus, vt in episcopo creando, Nou. 123. & apud Corn. Tacitum, patricios tres nominari & ex eis vnū eligi flaminem dialem.

*XXXII. Vbi petantur tutores vel curatores.*

**Q**VI vero petunt tutores aut curatores, eos petunt à magistratibus in patria pupilli vel iuuenis ex qua per patrem (nam à patre patria dicitur) originem ducit, vel vbi patrimonium habet, quod nomen etiam à patre deducitur. Et loquitur Constitutio huius titu. de magistratibus municipalibus. Nam & hi tutorum vel curatorum dationem habuerunt, l. 3.

D. de tut. & cur. da.

XXXIII. *De tutoribus & curatoribus illustrium vel clarissimarum personarum.*

**N**Vnc incipit tractare qui dare & qui dari tutores aut curatores possint, & specialiter in hoc titul. qui dare & qui dari illustribus vel clarissimis, & in titul. seq. generaliter qui ceteris. De illustribus est l. 2. vt ij tantum qui curiæ ciuitatis suæ obstricti non sunt, tutores dentur illustribus senatoribus, id est, illustrium senatorum liberis impuberibus sui iuris. De clarissimis est l. 1. Nam initio eius non est legendum, illustribus, sed illustris Præf. vbi, vt nonnulli Codices habent, vt Codex Th. vt l. 2. inf. qu. mul. tut. off. Ceterum fateor in ea lege clarissimorum nomen accipi latissimè, vt No. 71. & supr. tit. vbi Sen. vel clar. vt scilicet comprehendant tres gradus dignitatis Senatoriæ, illustres, spectabiles & clarissimos, & uxores liberosque eorum, non etiam Senatores sine dignitate. Est enim clarissimorum nomen generale & speciale. Et est sententia l. 1. elegantissima, quæ olim pertinebat etiam ad plebeios, sed additis multis Iustinianus eam coangustauit tantum ad clarissimos, hoc est, nobiles, l. vlt. §. sed si quidem nobilis, inf. de cur. fur. Vt scilicet clarissimis puberibus vel impuberibus si deficiant testamentarij vel legitimitutores vel curatores, vel excusati sint, in vrbe tutores vel curatores constituentur ex quocunque ordine Senatorio vel equestri, ab illustri Præf. vbi, qui est princeps senatus, adhibitis in consilium X. Senatoribus & prætore tutelari, hoc ordine, vt prius nominentur plures, deinde vnus idoneus pronuncietur sententia præf. vbi, & ille postea solemniter detur, decernatur, prodatur, inauguretur, confirmetur auctore prætore tutelari. Sententia præcedit decretum, vt l. vlt. infr. de mag. con. l. tutores. D. de conf. tut. In prouincijs autem vt clarissimis tutores vel curatores dentur aut nominentur dandi à præsidibus decreto decurionum, periculo eorum qui præsentés adfuerint, cum tamen in vrbe, vt

con-

constat ex tit. de mag. con. magistratus vel adfessores eorum tutelæ administrationis periculum non agnoscat.

XXXIV. *Qui dare tutores vel curatores, & qui dari non possunt.*

**D**Ocuit tit. superiore specialiter qui dare & qui dari tutores vel curatores possint illustribus vel clarissimis personis. In hoc tit. docet generaliter qui dare, & qui dari ceteris possint vel non possint, quæ duæ quæstiones & illam nectunt Cui dari possint. Nec enim potis est quisquam dare nisi sit cui dare possit, ac primum quidem tutorem habenti tutor dari non potest, l. 9. & 10. qua de re proprio tit. 36. Nec homini non subiecto iurisdictioni suæ. Nam & si tutoris datio non sit iurisdictionis, tamen quia ius dicentis officium consistit etiam in dando tutore, l. 1. D. de iurisd. & in tutore dando magistratum municipalem aut prouincialem seruare oportet fines territorij & iurisdictionis suæ, l. 5. hoc titu. l. 3. sup. qui pet. tut. Et ad hanc quæstionem, Cui dari possint, etiam pertinet l. 1. 11. 12. Nam & si titulus hic sit, *Qui dare & qui dari*, tamen ubi hoc quæritur, consequens est etiam id quæri cui dari possint, l. naturalis. §. vlt. D. de conf. tut. Sunt eæ tres quæstiones iugatæ inter se atque connexæ. Et illa qui dari possint vel non possint, facillima est.

XXXV. *Quando mulier tutelæ officio fungi possit.*

**E**T notissimum quoque foeminam tutorem aut curatorem dari non posse, quæ olim perpetua tutela aut potestate viri continebatur. Sed l. 2. & 3, matrem dari liberis vnde quæsitis posse introduxerunt certis conditionibus, quarum & facilis cognitio est simulac iuris noui & nouissimi, quo huic titu. abrogatum vel derogatum est. Et quod in matre, idem in auia. Et hi verò qui tutores aut curatores dari non possunt, huius conditionis sunt, vt necesse non habeant se excusare, & periculum

cessationis ad eos pertineat, & ne volentes quidem admittantur.

*XXXVI. In quibus causis tutorem habenti tutor vel curator dari potest.*

**I**Ntelleximus iam supra ex l. 9. tit. 34. & l. 9. tit. 31. tutorem habenti, tutorem dari non posse, quæ regula iuris dicitur, l. ventri. D. de tut. & cur. da. & ea videntur sæpè auctores, & Paulus in admodum singulari specie libr. 4. Senten. tit. de fid. lib. & d. l. ventri, quæ coniuncta l. 1. D. qui pet. tut. ex libr. VII. differentiarum Modestini tres exponunt differentias inter tutorem & curatorem, & eam regulam apertè docent non pertinere ad curatorem sed tutorem tantum. An verò quia actus legitimus semel tantum fit, qualis est datio tutoris ex inquisitione atque decreto? An quia pupillus est in tutoris potestate, & nemo potest esse in duorum potestate, ita ut sit cuiusque potestas in solidum, nisi pro vno habeantur, ut cum sunt coniunctim dati duo pluresve tutores, l. simul. D. de tut. & cur. dat. Curatoris autem nulla est potestas in personam. Sed huius regulæ exceptiones pleræque inductæ sunt ex S. C. Nam in locum absentis Reip. causa licet tutor esse nō desinat, alius tutor dari potest, l. 1. hoc tit. l. 3. §. si abfuturus, D. de susp. tutor. l. si tutor Reip. de tut. & rat. distr. l. quæsitum, de tut. & multò magis tutor, l. in omnem. D. de tut. & cur. dat. Et in locum remoti licet alij pupillo tutores sint, vel præsto sit legitimus, & in locum defuncti licet alios tutores habeat superstites, l. tutorem, supr. tit. 34. l. 4. hoc tit. l. 2. infr. de tut. vel cur. qui satis non dedit. Et in locum excusati similiter vel deportati, l. 2. hoc tit. l. si quis sub conditione, D. de testa. tutor. vel relegati, l. 4. hoc tit. l. 3. supr. qui pet. tut. vel furiosi, muti, surdi, l. pen. D. de tuto. nec tamen idè sequitur quin eorum loco curator dari possit, ut proponitur d. l. 2. licet ex S. C. potuerit & debuerit alius tutor dari, sed curator ille instar est tutoris. Nec enim durat ultra pubertatem, & tutelæ siue protutelæ eum teneri

qui-

quidam existimabant, l. 3. infr. arb. tut. Ergo exemplo absentis Reip. causa & excusati in cuius tutoris locum dari alius tutor potest, & curator quoque, vt in locum relegati etiam curator, l. tutor, §. vlti. D. de exc. tuto. l. 14. §. quid ergo. D. de sol. vel actor. l. sine herede, §. vltim. D. de adm. tut. & in locum furiosi, l. 12. D. de excu. & in litem quoque tutor vel curator, vt dicemus titu. 44. Et eæ quidem sunt causæ in quibus tutorem habenti tutor datur, de quibus l. 1. 2. 4. In alijs id est 3. & 5. sunt causæ in quibus curator adiungitur tutorem habenti, quibus ferè placet etiam tutorem adiungi posse in alia bona, l. propter litem, in fi. D. de excus. Et in summa, quibus tutor, & curator, & è contrario. & rectè emendauit in Rubrica, *In quibus causis*, vt l. 4. hoc tit. & in l. tutorem, tit. 34. & tutorem habenti, non tutorem vel curatorem, alioquin regulam superiorum, rubrica supponeret etiam in curatore.

*XXXVII. De administratione tutorum & curatorum, & de pecunia pupillari seruanda vel deponenda.*

**D**ixit veluti præmissionis loco de varijs tutorum generibus, de testamentarijs, de legitimis, de his qui petuntur & dantur, cui & qui dari possunt, & à quibus dantur vel peti, & vbi. Sequitur iam vt dicat de contractu ipso, id est administratione tutelæ vel curæ, ex qua proculdubio est vltro citroque actionem nasci, Directam & contrariam, tutelæ inter tutorem & pupillum, vtilem negotiorum gestorum inter adolescentem & curatorem, eoque nomine bona tutorum & curatorum esse tacitè obligata pupillo & adolescenti, l. 20. hoc tit. §. & vt plenius, suprâ de rei vxor. act. l. 1. suprâ rem al. ger. l. vltim. suprâ de leg. tutor. l. vltim. §. & inuentario. infr. de cur. fur. non tantum si id fecerint quod facere non debent, sed & si id non fecerint quod facere debent, l. 1. in princip. D. de tuto. & rat. distrah. Nam & qui non facit quod facere debet, videtur aduersa facere, &

contumacia eius vel negligentia, dolus vel culpa, pro facto, pro contractu, pro gestione vel administratione est, sicut dicitur dolum eius qui non possidet pro possessione esse, & qui facit quod facere non debet, non facere videtur, id est mala administratio pro cessatione est, l. qui non facit. D. de reg. iur. Et breuiter officium tutoris vel curatoris est, neque prætermittere vtilia, neque admittere inutilia, l. 27. supr. de ep. aud. Pars autem prima officij & administrationis est inuentarij confessio, secunda depositio pecuniæ ad prædiorum rusticorum comparationem aut si bona condicio non suppetat prædij comparandi, pecuniæ sceneratio. Ceterarum rerum omnium diligens custodia ex edicto Constantini abrogata auctonandi necessitate. Summa vero atq; præcipua, Defensio pupillorum in iudicijs, adolescentum, furiosorum & ceterorum quibus curatores dari solent, l. vlt. hoc tit. l. 30. D. eod.

### XXXVIII. De periculo tutorum & curatorum.

**A**dministrationi coniunctum est periculum. Nam si quid per causam administrationis neglectæ vel gestæ perperam amiserit minor aut non adquisierit, tutor vel curator eo nomina minorem indemnem damno præstat, hoc est damni periculum agnoscit, secundum regulam l. 10. supr. titul. prox. vt refarciat damnum qui dedit, quod & aliæ leges multæ in eo tit. demonstrant, l. 8. 11. 18. 21. 23. Nec specialiter datur post illum hic titulus de periculo, vt idem repetatur, sed vt intelligatur periculum administrationis non semper ad tutores vel curatores redundare, non certè administrationis collegæ qui in alia prouincia tutelam pupilli administrauit, l. 2. non si casu fortuito damnum contigerit negotijs pupillaribus sine dolo aut culpa tutoris vel curatoris, l. 3. & 4. veluti subito accursu latronum, non periculum temporis, quo nesciuit se tutorem datum, l. 5. non periculum futuri temporis, l. vltim. hoc tit. l. tutores, §. 1. D. eod. sicut nec præ-



præteriti temporis, l. 1. supra titu. prox. Et vt intelligatur non tantū tutores & curatores eos periculo administrationis obstringi, qui dati sunt administrandi causa, sed etiam eos qui dati sunt notitiæ causa, vt tutores alios vel curatores instruant de fortunis pupilli, quales datur plerunq̄ue liberti qui actores fuere rerum domini, & nouere totius familiæ rationes, negotia, bona, suppellectilē, .i. hoc tit.

*XXXIX. Quando ex factō tutoris vel curatoris  
minores agere vel conueniri  
possint.*

**H**IC titulus etiam est de administratione tutoris vel curatoris. Nam ex lite quam intendit tutor minoris nomine si condemnatur, docet minorem conueniri vt illic actione iudicati, l. 1. hoc tit. & ex mutuo vt illic actione creditæ pecuniæ si tutor pupilli nomine mutuum pecuniā acceperit eamq̄; conuerterit in rem pupilli, l. 3. hoc titu. l. 2. infr. de cur. fur. Et ex diuerso docet minores agere actione ex stipulatu de pecunia sua credita à tutore vel curatore, l. 2. & locati ex locatione prædiorum suorum à tutore vel curatore facta, l. 4. quæ omnia administrationis nomine continentur. Regulariter pupillo per tutorem non acquiritur actio, l. vlt. hoc titu. l. solutum, §. per librā de pig. act. Sed ex his causis acquiritur utilis, vt l. 2. hoc titu. l. 2. D. eod. quia pecunia aut prædia eius fuerunt, non directa: quia suo nomine tutor credidit vel locauit, alioquin frustra locasset nomine pupilli. Credidisset autem nomine pupilli & quilibet alius non inutiliter, l. 2. supr. per quas per. no. adq. tam pupillarem quam pecuniam suam iure singulari. At quibus ex causis pupillus conuenitur ex factō tutoris, vt illic iudicio conuenitur, quia tutor litigauit vel mutuum pecuniam sumpsit nomine pupilli, l. 2. infr. de cur. fur. non directò, quia non ipse contraxit.

*XL. Si ex pluribus tutoribus vel curatoribus omnes vel vnus agere pro minore vel conueniri possunt.*

**S**Cire nos conuenit, cum inter tutores vel curatores nō est diuisa administratio, ratum haberi debere quod p vnum gestam est, l. 3. in prin. D. eod. ergo & rata est causæ pupillaris defensio, quam cessantibus alijs vnus executus est, l. 1. hoc tit. maximè si testamento aut ex inquisitione dati fuerint, l. vlti. infr. de auct. præst. denuntiari tamen ijs omnibus debet, l. 1. C. Th. de den. res. Sin autem diuisa sit administratio per prouincias à testatore vel à iudice, vel à tutoribus ipsis, nihil refert, videtur in sua quisque prouincia causam pupillarem agere debere, non in aliena. nec enim vtiliter agit tutor rerum huius prouinciæ, ex contractu pertinente ad aliam prouinciam, l. vel in partes, D. eod. & tamen si agat ex contractu huius prouinciæ, poterit ei obijci compensatio ex contractu alterius prouinciæ, l. inter, D. eod. & eadem ratione cum tutore rerum huius prouinciæ creditor alterius prouinciæ rectè ager, rectè que eidem soluet tutor huius prouinciæ, l. Titium, §. vlt. D. eod. quia diuisio facta inter tutores nō potest officere creditoribus suum persequentibus, d. l. inter, quod pugnare videtur cum l. 2. huius tit. Sed loquitur tantum de denuntiatione litis solemnī, vt docui seru. 17. cap. 7.

*XLI. Ne tutor vel curator vectigalia conducat.*

**Q**VO expeditior sit tutelæ administratio, nec oneretur ex alia causa longè grauiore, cauetur in hoc tit. ne tutores vel curatores fisci vectigal conducāt antequam paria cum suis minoribus fecerint, quod iuris l. 1. §. ex illa. D. ad l. Cor. de Fal. & l. ο̄ επιτροποι, D. loc. docent esse ex Constitutione Seueri & Antonini, & non tantum inhibere conductionem vectigalium, sed etiam quemlibet alium contractum fiscalem, & conductionē etiam

etiam prædiorum Cæsaris. Huius prohibitionis duæ rationes sunt. Vnà respicit pupillum, ne tutelæ administratio obligatio oneretur ex causa fiscali, vt l. locatio. §. debitorum. D. de publ. Altera respicit fiscum, ne priuilegio temporis in hypothecis prælato pupillo, nihil fisco qui etiam habet tacitam hypothecam in bonis omnibus debitoris, supersit ex bonis publicani, quo suum sibi seruare possit, denique ea Constitutio exclusit fraudem ne qua fisco fieret hac in re. & dolo malo versatum tutorem in celanda hypotheca priore quæ ex tutelæ causa descendit, dum accedit ad conductionem vectigalium vel alium contractum habet cum fisco, producta in hunc casum lege Cornelia censet teneri falsi, quia obrepit & imposuit fisco. Sed vt cauetur in alia Constitutione Antonini posita sub hoc titu. qui incidit tutor vel curator in crimen falsi ex hac causa, si tam fisco quam pupillo satisfaciatur, facillè veniam impetrabit à principe. Tutius est petere veniam, vt l. Diuus. §. planè, D. ad leg. Corn. de fal. quia satisfactio sola non soluit pœnam semel commissam, l. penu. D. vi bon. rap. l. qui ea mente. D. de fur. & hoc si tutela vetustior fuerit conductione vectigalis. nam si vetustior fuerit conductione, potest tutor se excusare periculo falsi, & vt Basilica interpretantur vltima verba huius legis, *ἡ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς πλάσσεως ἐγγυμίας*. & additur ratio in d. §. ex illa. quia Constitutio Seueri & Antonini voluit excludere, & amouere fraudem fisci, quæ nulla est, cum fisco prior est in hypothecis, nec admisit excusationes tutelæ, nempe qui contraxisset cum fisco vt excusaretur à tutela. loquitur enim generaliter de eo qui contrahit cum fisco, non vt hac Antonini specialiter de publicano. Et excusatur quidem à tutela vel cura procurator Cæsaris, & publicanus & conductor etiam prædiorum fisci vel Cæsaris, nisi absque vllò damno eius videatur tutelam obire posse. Sed non etiam quicumque contraxit cum fisco & obligatus est. Et quod in hac questione crimini falsi obijciunt crimē stelliona-

tus ac si tutore vel curatore redimente vectigalia stelli-  
natus sit non falsum, quātum potest longè summoueo.  
neque enim est stellionatus, nisi cum quis dissimulata  
priori obligatione rem eandem alij obligauit specialiter,  
quia deficit Constitutio quæ ad hunc casum porrexit  
legem Corneliam. & in proposito casu cum quis celauit  
fiscum generalem hypothecam tacito iure pupillo vel  
adolescenti partam in suis bonis, est Constitutio Seueri  
& Antonini, quæ ad eum porrigit legem Corneliã. Par-  
citur tamen stellioni, vt falsario si satisfaciat omnibus, l.  
1. inf. de cr. stel.

*XLII. De tutore vel curatore qui satis  
non dedit.*

**E**X hoc titul. intelligimus non habere potestatem ad-  
ministrandi tutorem vel curatorem legitimum aut  
petitum & datum simpliciter sine inquisitione, nisi satis-  
dederit rem pupilli vel adolescentis saluam fore, & quid-  
quid gessit non præstita satisfactione, vel litigando vel  
alienando, vel bonor. possessionem agnoscendo nomine  
pupilli vel alio quocunque modo, ipso iure nullum ef-  
se, l. 3. & 5. non eadem est condicio tutoris iure testamen-  
to dati, vel non iure dati, sed confirmati decreto prætoris  
vel præsidis. Hic enim non satisfacit etiam si confirmatus  
sit sine inquisitione, l. 4. vt putà cum à patre datus est  
filio emancipato. quia approbatio patris pro satisfactio-  
ne vel inquisitione est. eadem quoque condicio est peti-  
ti tutoris & dati vel confirmati ex inquisitione, quia ido-  
neus pronuntiatus est, l. 5. D. de conf. tut. & generaliter  
quicunque ex inquisitione eligitur non satisfacit, l. vlti. §.  
item rescripserunt, D. de adm. rer. ad. ciu. per. Sed si plu-  
res tutores vel curatores dati sint testamento vel ex in-  
quisitione, ex edicto prætoris qui ex eis obtulerit satis-  
factionem, causa cognita solus administrationem susci-  
pit, l. 4. vel si plures satis offerant, idoneior præfertur, l.  
18. D. de test. tut.

*XLIII. De suspectis tutoribus & curatoribus.*

**R**ectè superior hic tit. applicitus est, nam qui cum satisfidare debet non satisfidat, vel compellitur ad satisfidationem, §. pen. Insti. de satisfid. tut. vel remouetur quasi suspectus, sine infamia, si inopiæ gratia hoc facit, cum infamia si dolo malo, l. 1. & 2. supr. tit. prox. sicut is qui cessat, vel compellitur ad administrationē, vel si in eadem contumacia perseuerat, remouetur tanquam suspectus, l. 2. & 3. hoc tit. videlicet cum administrare debet, & non administrat. nam non administrare simpliciter per se nō est vitium, l. 4. §. vlti. D. cod. quid enim si honorarius sit tutor? quid si notitiæ causa datus? quid si datio ipso iure nulla? Coniuncta etiam vicinitate tituli superioris, apparet satisfidationem non exigi à tutore dato testamēto patris, & tamen posse eum suspectum postulari, si res pupilli fraudulenter administrare coarguatur, l. 4. hoc tit. & electionem igitur patris exonerare satisfidatione, non etiam crimine suspecti. Hæc verò suspecti vel suspicionis actio, vt l. 2. infr. de diu. tut. nulla alia in re locum habet quàm in causa minorum vel aliorum quibus curatores dari solent ex XII. tab. fauore earum persoarum comparata & prodita omnibus etiam extraneis & nonnunquam mulieribus, quin & eodem fauore nemine agente, vltro prætori suspectum quem habet tutorem remouere licet, & statim tutor qui suspecti postulatus est abstinere debet administratione, curatore interim dato ad administrandum, l. 7. non tutore. quia damnatione non postulatione definit esse tutor, & huic actioni locus est manente non finita tutela, aliter quam tutelæ actioni, cui locus est finita non manente tutela, l. 1. & pen.

*XLIV. De in litem dando tutore vel curatore.*

**I**N hoc titu. agitur de tutore vel curatore ad quem non omnium rerum pupillarium administratio pertinet,

sed vnus rei tantum, id est vnus litis defensio, nempè eius quàm pupillus intendit tutori ex causa tutela vetustiore, vt tutor pupillo suo. nec enim ipse in rem litem vè suam pupillo inferenti vel excipienti auctor esse potest, l. 1. D. de auct. tut. Ergo moribus receptum est, vt Vlpianus scribit lib. Reg. vt tutorem iustum habenti in eam litem specialis tutor detur quo auctore pupillus experietur, qui prætorius tutor dicitur, quia hoc solo casu à prætore tutor datur sine lege, hodie in iudicijs extraordinarijs non tutor, sed curator datur, §. vlt. Inst. de auct. præst. l. 3. 4. 5. D. de tut. iure igitur ordinario tutor, iure extraordinario curator, & vtrumque ius notat l. 3. dum ait, tutor siue curator. & sanè liberum est vel tutorem dare iure ordinario, vel curatorem extra ordinem, sicut in alijs causis, quibus tutorem habenti tutor datur, & curator dari dicitur, vt docuit. 36. Et l. 4. ad litem tutorem dat abscesse, respiciens ad ius ordinarium, eademque mens est, l. 7. infr. de excus. Et l. vlti. concedit quidem ex solemnitate iuris ad litem dandum esse tutorem, iuxta l. curatorem. D. de auct. tut. & l. cum in vna, D. de appel. si quidem agatur solemniter, legitimo & ordinario iure. hodie verò quia plerunq; agitur extra ordinem emissis solemnibus formulis, sufficere curatorem.

*XLV. De eo qui pro tutore negotia gessit.*

**I**N hoc tit. ostenditur non tantum iustum tutorem vel curatorem teneri ex administratione, sed etiam eum qui quasi tutor vel curator aliquid gessit cum non esset tutor aut esse non posset, vt miles aut mulier aut datus à muliere. & quasi tutor pro tutelæ actione, quasi gestor negotiorum gestor, l. 1. & 4. supra de test. tut. supr. qui datur. Quasi curator, vt in negotiorum gestor, qua vèsus curator tenetur, & in falsum curatorem deflecta.

*XLVI. Si mater indemnitatem promiserit.*

**H**IC titu. est de periculo administrationis quod interdum suscipit mater promittendo securitatem pupillo vel tutori eius. Et quidem si pupillo pro tutore, vel tutori pro pupillo sua spontè securitatem promiserit. intercessio est, quæ infirmatur S. C. Velleiano, l. 1. nisi specialiter decreto comprehensum sit periculo matris quæ tutorem petijt tutorem dari, l. 3. Sed si tutori pro tutore ipso indemnitate[m] promiserit, fortè dum cupit tutorem sibi permittere administrationem rerum filij sui totam aut in partem, intercessio non est: quia alij se pro alio non obligat, & idcirco ex ea re nihil iuuatur S. C. Velleiano, l. 2. hoc tit. l. si mater. supra ad Velle, l. tutor, l. quamuis. §. 1. D. cod. ac si pupillus finita tutela elegerit tutorem, indemnem tutorem damno præstabit mater. Dico elegerit. nã & cum matre ei est non quidem ex stipulatu tutoris. l. tutorem, infr. arb. tut. sed negotiorum gestorum actio, l. si mater. supr. de vsur. & hæc electio in l. 2. significatur verbo, malunt. Ex hac l. 2. interpretanda est hæc sententia Pauli, Mulier quæ pro tutoribus, lib. 2. titu. ad S. C. Velleianum.

*XLVII. Si contra matris voluntatem tutor datus sit.*

**H**IC titu. respicit ad 43. à quo propius abest & vult vt tutela etiam remoueatur qui datus est contra matris vltimam voluntatem, id est quem filio impuberi heredi instituto moriens mater tutorem dari vetuit. & hoc ignorans fortè prætor si quem dederit, vt recognita repellat. & quemadmodum matris voluntatem seruat in tutore confirmando, quem mater dedit filio heredi instituto, habita inquisitione tamen, l. 4. supra de testamen. tutor. ita & in reprobando eo quem mater reprobauit, matris sequitur voluntatem, sed, vt sentio, ex inquisitione tamen & sine infamia reprobati atque remoti. Addidit Tribonianus exceptionem, nisi & is iam fraudem in tutela admisisse conuictus fuerit. tunc enim remouetur cum infamia, vt l. vltim. supr. titu. 43. & l.

& l. 2. titul. 42. Voluntas in hoc titulo est vltima voluntas.

*XLVIII. Vt causa post pubertatem adfit tutor.*

**T**utela finitur pubertate, periculum autem administrationis non antè finitur, quàm tutor rationes reddiderit & tutelam omnem curatori restituerit, l. vlti. supra de per. tut. & sententia quoque prætoris aut præsidis si qua opus sit liberatus fuerit, l. 15. supra de adm. tut. Et non transtulit omnem qui detinet instrumenta litis suo consilio cœptæ. Ergo periculum eius litis ad eum pertinet, non ad curatorem.

*XLIX. Vbi pupilli educari debeant.*

**P**ars administrationis præcipua si negotia pupillaria spectas, est defensio causæ pupillaris: Si personam, educatio, quo nomine non tantum victus significatur & vestiarium & habitatio, l. vlt. D. de alim. leg. sed etiam instructio morum & liberalium artium, l. 2. titu. seq. educatio ingenij vt in Comœdia, Benè & pudicè doctum atq; educatum ingenium. Et educantur verò plerunque apud matrem viduam, vel si ea de re non benè conueniat inter tutores, matrem, & cognatos, apud eum quem curatorem decreuerit prætor aut præses, l. 1. qui vtique non decernet temerè curatorem eum qui pupilli successione sperat, l. 2. licèt eadem ratione ad eum redierit tutela legitima. Hoc autem distat hic tit. à 24. quod hic est de liberis orbatis patre, ille de habentibus patrem.

*L. De alimentis pupillo præstandis.*

**C**onsequens erat docere alimenta constitui pupillo vel adulto, & præstari sine mora arbitrio tutoris, vel arbitrio prætoris aut præsidis, pro modo facultatum, etiam si de statu ei bonisque paternis quæ possidet ex edito Carboniano vel suo iure controuersia fiat, l. 1. & aliquando tutius esse sine decreto magistratus ea constitui tutoris vel curatoris arbitrio. nec enim posse minores probè



probè recusare sumptus, quibus educti sunt liberaliter bona fide factos. l. 3. supr. de adm. tut. nisi eos alium quàm tutorem fecisse probent. l. 2.

*L. I. Arbitrium tutelæ.*

**S**ATIS iam de contractu ipso dixit, id est officio & administratione tutelæ. Nunc venit ad actionem quæ ex eo contractu nascitur, quam vocat arbitrium tutelæ, quod huius iudicij potestas omnis sit in arbitrio iudicantis, qui excussis tutelæ rationibus ex bona fide statuat quid tutorem pupillo præstare aut reputare & pensare oporteat. Et est huic iudicio siue arbitrio locus in tutorem. Videtur etiam dari in curatorem pupilli, l. 3. hoc tit. & est ratio cur & in eum detur, quia tutoris instar obtinet, saltem protutelæ. nam & sicut tutor, ita curator pupilli eo pubere facto deponit officium, l. 1. infr. tit. 60. l. 2. supr. tit. 36 l. tutorem. D. de tut. & cur. da. & in ea sententia videntur fuisse Iurisconsulti quidam, ut Thalelæus ait ad hanc l. 3. *ἢ ἢ γνῶμη νομικῶν λέγεται τὸ ἀνύσσει καὶ ἄτωρα τῆ τετέλεθε κατέχουσι, ἥτις νῦν αὐδαμῶς εἶρηται*, quibus accedat d. l. 3. Sed verius esse ait Vlp. l. 1. §. si curator. D. de eo qui pro tut. cessare tutelæ vel protutelæ actionem. Ceterum in hoc tit. etiam agit de vtili negotiorum gestorum qua curator tenetur, l. 7. & vlti. Et in vtranque venit id quod interest, l. 4. hoc tit. vt reddant rationes administrationis & quidquid reliquorum nomine debent qui negotia gesserunt, l. 9. quidquid dolo aut culpa eorum lata vel leui minores amiserunt vel non adquisierunt, l. 7. excepto casu l. 2. nimirum in nominibus paternis exigendis, qua in re remissior tantum negligentia & nimia cessatio, id est, lata culpa arguitur, vt & in casu l. tutor. §. comperit. D. de adm. tut. Et vtraque est bonæ fidei & priuilegiaria, & perpetua, & in vtranque vsuræ veniunt, vtrique data est tacita hypotheca, vtraq; datur heredi & in heredem, in vtraque ordo seruatur l. 6. In vtraque venit quod post  
fini.

finitum officium gestum est cum esset administrationis  
 connexum, & in vtraque inuentarij publicam fidem se-  
 quimur.

*LII. De diuidenda tutela, & pro qua parte quisq;  
 tutorum conueniatur.*

**H**IC tit. est de diuisione administrationis & actionis  
 tutelæ, & pro qua parte actio diuidatur inter tuto-  
 res. Et diuidere trahit etiam secum non diuidere, sicut fa-  
 cere non facere, id est, vbi de vno tractatur, necesse est e-  
 tiam tractari de altero. Igitur quæstio omnis hæc eo per-  
 tinet, vt sciamus, cum plures tutores sunt aut curatores,  
 (nam & tutores ad se pertrahunt curatores) pro qua par-  
 te in singulos agi possit, aut quando in vnum ex pluri-  
 bus in solidum. Diuidere, est agere pro parte in singu-  
 los, Non diuidere, est agere in solidum in vnum è multis.  
 Sic autem distinguendum. Aut diuisa est administratio  
 in partes vel in regiones siue prouincias, aut indiuisa. Si  
 diuisa à testatore vel à iudice, actio etiam tutelæ diuidi-  
 tur, vt pro ea tantum parte quisque conueniatur, quæ ei  
 attributa est, non pro parte collegarum nisi dolus eius  
 aut culpa arguatur quod collegam suspectum non fece-  
 rit, aut tardius euerfis iam facultatibus aut lusoriè fece-  
 rit, l. 2. §. 1. hoc tit. l. si duo. D. de adm. tut. Iulianus ante-  
 cessor in collectione quam fecit studiosis & operæ  
 tio quæstionis huius, Nisi aut cum oportebat contuto-  
 rem remouere vt suspectum omninò non remouit aut  
 tardius remouit. Sin autem diuisa sit tutorum conuen-  
 tione sine iudice, singuli tenentur in solidum cum hac  
 condicione, vt quem pupillus elegerit, ei cedat actioni-  
 bus suis aduersus alios, l. 2. in fin. hoc tit. quia conuentio  
 tutorum non potest in fraudem pupilli diuidere officium  
 tutelæ periculumq; commune, l. 3. hoc tit. Deniq; perin-  
 de omnia seruantur diuisione facta ex tutorum conuen-  
 tione, atq; si pro indiuiso oēs tutelam administrassent:  
 quæ nunc diligentius explicabo. Si diuisa sit administra-  
 tio tutorum conuentione vel omninò indiuisa, aut communi-

muniter omnes tutelā gesserunt pro diuiso ex conuentione vel pro indiuiso, aut nulli, aut quidam gesserunt, quidam cessauerunt. Si omnes pariter pro indiuiso sine conuentione vel pro diuiso ex conuentione, vel nulli, eligere pupillus potest cum quo experiatur in solidū cessis actionibus aduersus alios, l. 2. in prin. hoc tit. l. 6. supr. tit. prox. nisi omnes soluendo fuerint litis contestatæ tēpore. hoc enim casu is quem eligit pupillus, posita exceptione desiderare potest actionem diuidi inter omnes, exemplo epistolæ Adriani pro virilibus portionibus aut prorata eius quod quisq; gesserit, l. 1. §. nunc tractemus, D. de tut. & rat. distr. Vel si nemine electo pupillus agat cum omnibus, & condemnet omnes, æquè periculum sententiæ diuiditur inter eos pro portionibus virilibus, l. 2. infr. Si pl. vn. sen. Sed si tempore litis contestatæ omnes soluendo non fuerint, si vnus fuerit soluendo, ceteri non soluendo, ille solus conuenitur in solidum. vt l. 2. D. de quibus caus. ad eun. iud. eat. cessis actionibus aduersus collegas, l. ex plurib. D. de adm. tut. vel sine cessione datis vtilibus, d. §. nunc tractemus, l. 2. infr. titu. 38. & hoc vbi vnus conuenitur ex culpa communi. nam si ex propria culpa, l. 2. infr. de con. iud. vel si ex dolo communi, ex contumacia communi id est cessione omnium improba, quia doli nulla est societas, ei neque ceduntur dire, neque dantur vtilis, l. planè. D. de tut. & rat. distr. l. si plures, ff. de adm. tut. Ad hæc sciendum, non statim onerari idoneum propter non idoneum. prius enim exentiendus est qui dicitur non esse idoneus & fideiussor, & magistratus municipalis qui eum dedit non exacta satisfactione, l. Lucius, §. penu. D. eod. & si ab his rem pupillus seruare non possit, tum dentum ita ad contutorem idoneum, & vnus tantum casus est. quo idoneus statim in solidum conuenitur inexcusso magistratu, si ob id conuenitur quod contutorem suspectum facere aut satis exigere superfeddit, l. 2. & 3. D. de mag. con. l. 1. §. vsque adeo. D. de tut. & rat. distr. in quo (si nō sint soluendo contutores) perspicuè rectius vulgo Græci Latinicis quàm in

Flor. & in illa Iuliani collectione detracta negatiua, male in eodem exemplari Flor. traiecta in subditis illo loco, vt & ipse Iulianus legit, & Græci, Si contutor ob hoc conueniatur. &c. Quid autem si quidam tantum gesserint, alij cessauerint? Prius conueniuntur qui gesserunt si soluendo sunt tempore finitæ tutelæ, l. 6. infr. titul. prox. l. 3. hoc tit. l. 2. infr. de hered. tut. l. 1. infr. si tuto. Reip. cau. ab. Satis est fuisse soluendo eo tempore, nam si postea fiant non soluendo, hoc minoris aut curatorum non contutorum qui cessauerunt periculo cedit, l. 1. hoc titu. Si verò soluendo eo tempore non sint, neque fideiussores eorum neque magistratus, tum conueniuntur vt ili actione tutelæ qui non gesserunt, quia suo periculo cessauerunt, l. 4. §. 1. D. rem pup. sal. for. l. tres tutores, D. de admin. tut. Verum hic ordo non seruetur in eo quod dolo communi perijt, l. 2. infr. si tut. non gess. l. tutores. §. in eum. D. de adm. tut.

### LIII. De in litem iurando.

**H**IC titulus est de iureiurando in litem in arbitrio tutelæ à iudice delato adolescenti vel curatori eius, quod nihil aliud est quam æstimatio religiosa eius rei de qua agit adolescens vel pupilli adolescentisve tutor aut curater aduersus tutorem aut curatorem. Vel, pretium quod ponit rei suæ iurans quanti eam rem faciat, isque tutelæ agit, vel vt ili negotiorum gestorum ex curationis causa. Rem enim & litem & id quod interest promiscuè dicimus. Hæc verò aut à iudice æstimatur iusto pretio si dolus absit & lata culpa eius cum quo agitur, l. 2. in fin. hoc titu. vel ab actore iurato, si dolo aut lata culpa aduersarij res de qua agitur non restituatur vel non exhibeatur, & utroque genere fit vera venditio rei siue litis, priore iusto pretio, posteriore etiam iniusto & immenso coercendi aduersarij causa ob dolum eius vel latam culpam. Nec enim iudex id defert ob leuem culpam, l. videamus, in fin. D. eod. & l. 4. huius titu. nondum percepta mens hæc est, in tutorem iurari in litem si inuentarium

varium ceteraque instrumenta pupillaria exhibere nolit, quia non potest hoc non dolo malo facere, vt l. 7. §. 1. D. de adm. tut. l. si tutor. D. cod. Ergo ex dolo tutoris vel lata culpa, quæ vulgo præsumitur esse dolo, actori in tutore iusiurandum in litem deferri, in heredem autem tutoris conuentum actione tutelæ ex dolo tutoris non deferri iusiurandum in litem, nisi lis fuerit contestata cum defuncto, sed ex dolo proprio tantum vel ex lata culpa, l. 1. 2. §. hoc tit. l. 4. §. 1. D. de fid. tut. & hæc est sententia l. 4. huius tituli. Dico in heredem ex dolo defuncti non iurari in litem. Non dico heredem tutelæ non teneri ex dolo defuncti, tenetur enim in solidum etiam si nihil ad eum peruenit, l. ex depositi. D. de obl. & act. maximè ex eo dolo quo res minoris deminutæ & dilapidatæ sunt, non temere ex alio quolibet, nisi lis fuerit contestata cum defuncto, quæ est sententia l. 1. tit. sequ. à me latius explicata & correctæ fideliter ex Basil. Obs. XIII. contra negationem quam in eam simul atq; in l. 2. infra de mag. con. inuenerat communis quæ dicitur imperitorum opinio, ex leui culpa defuncti heredem tutelæ non teneri qui tenetur ex delicto, quod perinde est ac si diceres ex contractu defuncti heredem non teneri, nisi ob delictum defuncti, ac proinde delicti successorem eum tantum esse non obligationis atq; contractus, & ex d. l. 1. adhibenda est interpretatio ad §. aliquando. Insti. de perp. & temp. act. non dato exemplo ex §. planè. Inst. de act. quia ea specialis actio depositi cum sit pœnalis magis ex delicto videtur esse, nõ ex l. quæsitum, in fin. D. de prec. Nam quod ibi de interdicto de precario, idem l. 4. tit. seq. de actione tutelæ, qua tamen & in id quod ad eum non peruenit heredem teneri constat vbi dolo defuncti damnum pupilli rebus attulit, & argumentum à contrario sensu non valet.

LIIII. *De heredibus tutorum vel curatorum.*

QVod dixit suprâ titulo generali Arb. tut. tutelæ actionem dari heredi & in heredem, l. pen. id specialiter

liter exequitur in hoc titu. quod actio tutelæ quæ heredi vel in heredem datur alio iure sit quàm quæ datur tutori vel in tutorem. Nam vt iam occupauit dicere titulo superiore proximo, l. pen. ex dolo in tutorem iuratur in litē, sed non in heredem tutoris ex eodem tutoris dolo. Et actio tutelæ quæ pupilli heredi competit, non est priuilegiaria, l. ex pluribus; D. de adm. tut. l. dabimus, D. de reb. auct. iud. pos. l. i. §. ijdem principes. D. ad l. Corn. de fal. & in heredem tutoris non est famolā. l. furri. §. si quis alieno. & §. penul. D. de his qui not. infam. Heredum nomine intelliguntur etiam heredes heredum, l. 2. suprā tit. prox.

*LV. Si tutor non gesserit.*

**D**AT hunc titulum, vt resumat quod dixit titulo generali l. 6. etiam eum qui nihil gessit arbitrio tutelæ teneri, vtili scilicet non directo, & excusso prius eo qui gessit, l. 2. hoc titu. in prima parte l. 8. supr. de adm. tut. l. 3. suprā de diuid. tut. l. 2. suprā tit. prox. Si nemo gessit, quia non apparet quis prior, quis posterior sit, quia est omnium contumacia par vel culpa lata, perinde omnes tenentur ac si communiter tutelam indiuisam gessissent, l. 2. in secunda parte. Vbi autem alii gesserunt, alij non gesserunt, post eos qui gesserunt, si soluendo aut minus soluendo inuenti fuerint, conueniuntur qui non gesserunt, vel culpæ nomine quod suspectos contutores non fecerint, l. 2. tit. seq. Vel si fortè ceterorum tutorum patronus fuerit qui solus tutelam gessit, quod non ei postulauerint curatorem adiungi, aliave qua ratione prospexerint rebus pupilli, l. 1.

*LVI. De vsuris pupillaribus.*

**E**TIAM hoc titulo specialiter resumit quod attigit generali, l. 3. in tutelæ arbitrium venire vsuras centenas vel ex Constitutione Iustiniani semisses si pecuniam pupillarem tutor in suos vsus conuerterit, l. 1. & ex causis relatis in l. 7. §. quæ sint, D. de adm. tut. Ex ceteris venire secundum morem regionis, a die quo in offi-

et peccauerunt in diem condemnationis aut redditæ tutelæ, ipso iure ex Constitutione Severi. Et cæ sunt vsuræ pupillares, quas tutor debet non tantum si ex sua persona conueniatur, sed & si ex persona contutoris, quod suspectum eum non fecerit, d. l. 7. §. pen. l. 2. hoc tit. Verum otiosæ pecuniæ, id est quàm tutor non habuit cui sceneraret, vel ex qua non habuit prædia quæ compararet, in actionem tutelæ vsuræ non veniunt, l. 3. hoc tit. l. eum plures, §. vlti. D. de adm. tut. Illud notandum, vsurarum pupillarium cursum impediri duobus modis, Oblatione pecuniæ & obsignatione, & depositione, l. 1. in fin D. de vsur. l. 28. §. 1. D. de adm. tuto. Et oblatione per denuntiationem facta sæpius, & ad extremum apud acta ius dicitis à tutore protestatione facta separatim esse parem rationem cum pupillo facere, sine denuntiatione & depositione, l. 4. hoc tit.

*LVII. De fideiussoribus tutorum vel curatorum.*

**H**ic titulus ostendit de tutela vel cura non tantum agi cum tutore arbitrio tutelæ vel vtili negotiorum gestorum cum curatore, sed etiam cum fideiussoribus eorum actione ex stipulatu, qui & ipsi vsurarum pupillarium nomine tenentur, l. 10. Rempu. sal. for. Et electione adolescenti esse cum ipso tutore agere velit, an cum fideiussore eius, vel diuisis actionibus partim cum tutore, partim cum fideiussore, non in solidum cum utroque, ne bis idem consequatur, l. 1. hoc tit. l. 3. §. 1. D. de duobus reis. l. grege. §. etiam. D. de pign. quam electionem omnibus creditoribus adimit Iustiniani Nou. 4. qua de causa in Basil. non extant Constitutiones huius tituli quæ sunt de electione, & notanda distinctio l. 2. in quaestione illa, an electo tutore fideiussor liberetur. Multum enim interest simpliciter acceptus sit, an in omnem causam.

LVIII. *De contrario iudicio.*

**C**VM de iudicio tutelæ directo dictum sit quod pupillo competit, ad contrarium veniendum est quod tutori in pupillum datur finita tutela. In eo venit quod tutor impendit de suo in rem pupilli, l. 3. hoc titu. vel etiam quod pupillus ei debuit ex causa tutela vetustiore, l. 2. supra de in lit. dan. tut. & quodcunque eo iudicio tutor consequi potest, id etiam conuentus directo consequitur iure compensationis, d. l. 3. & 2. Illud norandum est ex l. 1. & 2. In contrarium iudicium nō venire vt tutori qui soluit pro contutore condemnato in solidum, pupillus cedat actiones suas aduersus condemnatum, quia post solutionem cum extincta sit tutelæ obligatio, nulla pupillo superest actio quam cedat, sed ei qui soluit in condemnatum est actio negotiorum gestorum. Ante solutionem rectè ceditur actio tutori, qui omne quod ex causa tutelæ debetur soluere paratus est pro se & pro collegis, vel in solutione ipsa si conuenerit vt soluenti tutori cederentur actiones aduersus collegas, l. 1. hoc titu. l. Modestinus, D. de solut. l. cum is qui. D. de fideius. vel sine cessione ei dantur vtilis quasi ex cessione præsumpta. l. 1. supr. de obl. & act. sicut tutore condemnato ex communi culpa, cedendæ ei sunt actiones in collegas, quod condemnatus consequitur in actione iudicati per exceptionem l. mali, vel sine cessione dantur vtilis, vt dixi tit. 52. quod vtiq; verum est etiam si absens & indefensus tutor post litem contestatam condemnatus sit, quæ sententia valet, l. vlt. infr. quom & quan. iud. & is sententiæ adqueuerit ex fide bona, id est, non appellauerit, l. 2. hoc tit. Rectè ex communi culpa. Nam si ex propria, nulla ei potest esse actio in collegas, neque item ex communi dolo, neque si suo nomine soluerit.

LIX. *De auctoritate præstanda.*

**E**XPLICATIS actionibus quæ ex administratione negotiorum nascuntur, dat titulum de auctoritate tutorum,



rum , quoniam ab administratione veteres separabant auctoritatem, vt Vlpia. lib. Regularum, dum ait, pupillarum pupillarumque tutores & negotia gerere, & auctoritatem interponere, mulierum autem tutores, ante scilicet quam earum tutelam lex Claudia sustulisset, auctoritatem duntaxat : & tamen de auctoritate non minus quam de administratione rationem reddit tutor conuentus tutelæ iudicio, l. si tutor. D. eod. receptum etiam est vt sine tutoris auctoritate pupillus tutori obligetur contrario iudicio, l. 1. D. de contr. tut. act. qui alij non obligatur sine tutoris auctoritate, nisi in quantum locupletior factus est ex Constitutione D. Pij, cum tamen alium sibi solus obliget rectè. Duæ autem sunt in hoc titulo Iustiniiani Constitutiones nouæ. Vna, vt & in criminalibus causis necessaria sit auctoritas tutoris vel curatoris, l. 4. Iure enim veteri vt cum seruis est criminale iudicium, ita & cum minoribus sine tutoris vel curatoris auctoritate, & ipsis accusantibus sufficit consilium & præsentia tutoris vel curatoris. l. 2. D. de accusat. l. 8. infr. ad l. Iul. de adult. & Paulus V. Senten. titu. XII. nec interuenire etiam eius auctoritas debet. Altera est, vt si plures sint tutores in omni re vnus auctoritas sufficiat indistinctè, præterquam si pupillus in adoptionem detur, quod iure vt ex Constitutione Antonini, adhibita auctoritate omnium tutorum, ne sit in vnus potestate finire tutelam. l. 5. hoc titul. Iure enim veteri non eadem omnium tutorum condicio est. Ex testamentarijs vel datis per inquisitionem vnus auctoritas sufficit, licet in litibus litem denuntiari omnibus opus tam indiuisa tutela quam diuisa his omnibus quibus coniunctim pars vna attributa est, l. 1. Cod. Theod. de eden. vel ed. res. l. 2. supra si ex pl. tut. om. &c. Legitimorum autem omnium vel datorum ex inquisitione auctoritas necessaria est, vt idem Vlpia. eodem lib. docet. Sed l. 5. huius titul. in hoc casu vult omnium tutorum parem esse condicionem, vt scilicet excepta arrogationis causa in nulla alia omnes auctoritatem suam accommodare debeant. In hoc inquam ca-

su eo quod in alijs differentia est, vt in satisfactionis onere quod subeunt tantum legitimi & dati sine inquisitione, & in spe actionis subsidiariæ, quæ ex Oratione D. Traiani pupillis competit in magistratus municipales, & locum habet in legitimis duntaxat tutoribus, & in his qui dati sunt sine inquisitione. Auctoritas est approbatio tutoris expressa quæ interponitur perfecto eo quod pupillus eo præsentem gessit. Nec enim præsentia & taciturnitas tutoris auctoritatem imitatur.

*LX. Quando tutores vel curatores esse desinant.*

**L**EX vltima superioris tituli cum docuisset arrogatione pupilli finiri tutelam vel curam, additur hoc titu, & pubertate eam finiri vel etate legitima, cuius definitio ex annis sumitur, non voluntate pupilli sola, quia inuitus tutela continetur.

*LXI. De actore à tutore seu curatore dando.*

**E**T non finiri absentia tutoris sola, vt tutor vel curator alius dari ob eam solam causam possit, vt l. 10. supra qui dar. tut. l. tutores, D. de tut. & cur. da. Sed dari actorem à tutore vel curatore. Dari dicitur à tutore vel curatore, quoniam in decreto prætoris aut præsidis postulante tutore & eius periculo datur plerunque litium causa, vnde actoris nomen, cum aliquo tutor profecturus & aliquandiu abfuturus est, l. qui negotia. §. pen. D. de neg. gest. l. tutor. D. quan. ex fac. tut. l. 10. infr. de app. l. 1. hoc titu. nec enim propter absentiam solam, vt dixi, dari tutor alius vel curator potest, quia ne Reip. quidem causa absens desinit esse tutor, & procuratorem etiam relinquere non potest ex sua persona cum litis dominus non sit, l. neque supr. de proc. nec ex persona pupilli, si fortè absit vel nesciat fari. §. vlt. Inst. de cur. l. decreto. D. de adm. tuto. Igitur necesse est actorem constitui actorem ad lites, adiutorem ad cætera negotia, l. solet, D. de tutel.

LXII. *De excusationibus & temporibus earum.*

**F**iniri tamen tutelam plerunq̄ue excusatione, de qua etiam cum iam sæpè dictum sit in titulis superioribus, tutorem putà iure datum, ex quo sciuit se datū suo periculo cessare si se non excusauerit, l. 6. D. de test. tut. l. 1. D. de leg. tut. l. 9. Qui da. tut. l. 19. de adm. tut. & non iure datum non indigere excusatione. l. 1. de conf. tut. tempus est tandem vt dicat & de temporibus earum, quæ duæ sunt partes tituli huius. Excusatio est allegatio vacatiōis seu immunitatis à tutela vel curatione, quam habet aliquis ex priuilegio vel ex iusta causa. Quam allegari oportet re integra, l. 2. tit. seq. & vel in partem veluti ab administratione rerum quæ in alia prouincia sunt, l. 2. & 11. vel in totum, vt ex causis iustis relatis in hoc titul. & iniustis intereà reiectis. Altera pars est de temporibus excusationum, vt tutor testamentarius vel datiuus ex decreto prætoris aut præsidis statim vt datus est necesse non habeat appellare, sed ex ordine constituto à D. Marco intra 50. dies se excuset, & excusatione non recepta, tum demum appellet, & sic inuenio veteranis quoque vocatis ad munera personalia remitti appellandi necessitatem, l. 9. infr. Man. pro. non est necess. Quæ tamen ceteris & ad alia munera non vocatis remittitur. Legitimi tutoris excusatio quæ eum prorsus liberet onere tutelæ, iure ipso nulla est. Nam nec ætas olim eum liberabat.

LXIII. *Si falsis allegationibus excusatus sit.*

**E**xcusatio recepta liberat periculo cessationis, l. 22. supra titulo proximo, nisi, vt hoc titul. ostenditur, falsis allegationibus circumuenta religione iudicantis recepta sit, veluti allegando non attigisse tutelam quam iam attigerit, l. 2. hoc titul. Decreta enim aut sententiæ elicite ex falsis instrumentis, testationibus, allegationibus facile rescinduntur, l. 5. infrà de prædijs minor.

& lib 8. titul. si ex fal. instrumen. l. qui testamento, D. de excuf.

*LXIV. Si tutor vel curator Reipublica  
causa aberit.*

**Q**Vod dixit titulo superiore. l. 2. non nisi re integra excufationibus locura esse, ab eo excipit causam nouam quæ contigerit post tutelam inchoatam, vt si tutorem Reip. causa abesse oporteat, qua ex causa ab ea tutela excufatur donec redeat, & à noua tutela pro præmio impensæ in Rempublicam operæ anni excufationem habet.

*LXV. De excufationibus veteranorum.*

**P**RO præmio nauatæ in Remp. operæ, & pro præmio igitur impletæ militiæ. Nam & milites Reipu. causa absunt, & maiorem quoque immunitatem habent stipendijs confectis quàm ceteri qui abfuerunt ex alia causa, qui post regressum anni tantum vacationem habent. Qui verò vicena stipendia in militia meruerunt, nec sunt dimissi cum infamia, in perpetuum excufantur à tutelis & curationibus & ceteris muneribus ciuilibus, præterquam ab vna tutela vel cura filiorum conueterani aut vna cura militis, à qua tamen etiam anni vacationem habent, vt l. 8. D. eod. Hi sunt veterani quibus & alia priuilegia concessa sunt in pœnis & in testamentis, & in successioneibus.

*LXVI. Qui numero liberorum se excufat.*

**S**Equitur alia specialis excufationis causa, si Romanus tres liberos habeat incolumes, vel Italus IV. vel prouincialis quinque. Nam & hic numerus excufat à ceteris muneribus ciuilibus, & liberorum nomine continetur etiam nepotes ex filio iam ante defuncto, non ex filia, non ex filio superstite, l. 2. hoc titu. l. 3. infra de his qui num. lib.

LXVII. *Qui morbo.*

**E**T alia ob morbum, si tutor post susceptam tutelam captus oculis fuerit, vel mente, vel lingua, vel auribus aut inualetudine perpetua. Nam ab initio qui his morbis affecti sunt, tantum abest, ut tutores vel curatores dari possint, ut his ipsi sit curatoribus opus. Ergo morbi nomine significatur etiam cæcitas & surditas, ut in titu. de æd. l. ed. & rectè Galenus definiuit, morbum esse causam qua impediuntur actiones totius corporis, vel actionis certæ partis, veluti oculorum, linguæ, aurium.

LXVIII. *Qui ætate.*

**E**T alia ob ætatem longævam, quæ scilicet excedit annos LXX. ut & legendum esse docuimus in l. vltim. infra qui ætat. se excus. & placet quod ait Aristoteles, τὴν μὲν νόσον εἶναι γῆρας ἐπιτηκτον, τὸ δὲ γῆρας νόσον φυσικὴν, quod ea ratione nihil referat, ut in Basil. & libris quibusdam, ætati subiungas morbum, an cōtra, id est huic tit. superiorem, aut hunc superiori.

LXIX. *Qui nomine tutelarum.*

**S**equitur species alia excusationis, ut à quarta tutela vel cura, non etiam ab alio munere civili, l. 3. in fr. de exc. mun. excusetur, non dico quamdiu tres tutelas, sed quamdiu trium tutelarum onera sustinemus. Nec enim quælibet tutela onus est. Et ad extremum expositis varijs excusationum causis absolutoq; iam isto tractatu, notatur in Constitutione huius tit. imperfectas diuersas excusationum species nihil proficere, ut l. 1. §. vlti. D. de vac. muner.

LXX. *De curatore furiosi vel prodigi.*

**H**ic titulus ostendit etiam finita tutela & cura minorum, curatores dari posse maioribus XXV. an. si mente lapsi aut furiosi sint, vel si eis quasi prodigis prætor bonis interdixerit, & sui iuris sint. Nam homini alieni iuris nunquam tutor vel curator datur. His verò personis agnati & gētiles legitimi curatores sunt ex XII. tab.

& cognati fratres ex Constitutione Anastasij, l. 5. sed hodie possunt etiã à prætore dari extranei, l. 1. l. sæpè, D. eodem. l. ult. §. sin autem testamentum, hoc tit. & dati ab eodem semper sunt adolescentibus & maioribus XXV. ann. qui negotijs suis supereffe non poterant, veluti surdis, mutis, cæcis, fatuis, debilibus, aut perpetuo captis morbo, non etiam furiosis & prodigis, nisi vt eleganter docet Vlp. lib. Reg. tit. de curatoribus, prodigis aut furiosis ingenuis testamento patris heredibus scriptis, quia lex tantum ab intestato faciebat curatores legitimos, & prodigis libertinis siue ex testamento siue ab intestato patri naturali heredes extitissent, quia & his lex XII. nō dabat curatores, quia nec vlllo iure patri heredes fieri poterant qui nec patrem aut matrem ciuilem habere videbantur, quatenus cognatio in seruitute contracta, iure ciuili nulla est.

*LXXI. De prædijs & alijs rebus minorum sine decreto non alienandis vel obligandis.*

**I**N hoc titulo proponitur Oratio Seueri & Antonini & S. C. de non alienandis vel pignerandis prædijs mancipijsve rusticis aut suburbanis pupillorum vel adolescentium sine decreto prætoris vel præsidis, quod iam tit. superiore l. 2. docuit porrigi etiam ad ceteros, quibus curatores dari solent, vt l. 8. §. 1. l. 11. D. cod. & id quoque supra didicimus l. 22. de adm. tut. edicto Constantini esse porrectum ad prædia mancipiaque urbana & mobilia quæque pretiosa earum personarum, non tantum si æs alienum vrgeat, sed & si dos minori aut donatio propter nuptias constituenda sit. Præcessit S. Consulti productio & interpretatio latior S. C. ipsum, cui hic titulus propriè dicatus est, & vt in Digestis ex edicto Constantini titulorum conditor maluit reponere, rebus, pro prædijs, ita & in hoc titulo addidit, *Et alijs rebus*, licet omnes Constitutiones sint de prædijs tantum rusticis & suburbanis, & de causa æris alieni tantum, non de alijs, secundum Orationis verba, & de seruis serua, l. cum qua.

si. §. si plures. D. de fid. lib. vt non alienentur vel obligentur ob æs alienum, quod falso non fuerit allegatum temerè neq; examinata neq; facta rei cognitione causaq; probata apud acta & pro tribunali decreto solemniter interposito. Verbo alienationis continetur veditio, permutatio, transactio, datio in solutum, cautio reddendæ rei denatæ, diuisio, & vsucapio aut longa possessio & multo magis donatio, vt ait l. 4. quod accipio de donatione propter nuptias, & munere sponfalitio, & dote, vt non valeat sine decreto, d. l. 2. 2. & de donatione simplici vt ne ex decreto quidem, l. vlt. infra si ma. fac. al. Excipitur venditio quæ fit iure pignoris contracti à patre vel auctoritate magistratus, vt l. 1. §. si communis. l. 3. D. eod. l. 1. & 2. hoc tituli, quæ decretum non exigit. Aliæ alienationes quæ fiunt sine decreto, id est, sine causæ cognitione & sententiâ pretoris pro tribunali ipso iure nullæ sunt, manetq; rei venditæ vindictio pupillo cum fructibus si sciens eam emerit emptor, l. 2. inf. si quis ig. rem min. reddito emptori pretio si probauerit pecuniam minoris lucro cessisse cum vsuris quibus pecunia emptoris minor solutus est & meliorationibus, l. 2. 4. 10. 14. 16.

LXXII. *Quando decreto opus non sit.*

**P**Roposito S. C. de non alienandis vel obligandis prædijs minorum sine decreto vel auctoritate magistratus, subiicit certos casus, quibus sine decreto earum rerum alienatio vel obligatio valet. Si, vt alienaretur, parens à quo profectæ sunt cauerit testamèto aut codicillis, quod & Oratione Seueri fuit nominatim exceptum idemque est, si conuentione parentis fundus reuendi debeat venditori, l. 1. hoc tituli. Item si alienationem permiserit princeps nominatim. nec enim sola ætatis venia alienationem permittit. Item ex edicto Constantini constat rectè vendi sine decreto res, quæ tractu temporis deteriores fieri possunt & iumenta aut pecora superuacua, & ex eodem edicto poterat mulier minor XXV. ann. res suas vendere sine decreto adhibito consensu mariti & subscriptione, quæ pars abrogata est l. 3. Cod. Theo. de contemp,

emp. Et ex Constitutione Iustiniani potest etiam tutor vel curator obligare res minoris pro cautione Iudicatum solui quam minor exigitur : nam in l. vltim. §. defensionem, supra de administ. tuto. cautio litis, est cautio iudicatum solui, non iudicio sisti, quæ personæ cautio est, nō litis.

*LXXIII. Si quis ignorans rem minoris esse sine decreto comparauerit.*

**S**I his casibus exceptis contra S. C. sine decreto facta sit venditio rerū minoris, ab emptore bonæ fidei separandas est emptor malæ fidei, id est qui sciuit prædium minoris esse ab eo qui hoc ignorauit. & duæ in hoc titulo differentiæ proponuntur. Vna, vt bonæ fidei emptor tueri se possit præscriptione statuti temporis si post perfectam ætatem domini sine controuersia eam rem statuto tempore possederit, quam tamen præscriptionem nō habet emptor malæ fidei, l. 1. & 4. hoc tit. l. 2. & 3. tit. seq. Et statutum tempus l. 1. & 3. hoc tit. & l. 2. titu. seq. quinquenniū intelligere oportet ex Constitutione Iustiniani, id est l. 3. titu. sequ. si res pupilli vel adulti obligata aut vendita sit. Breuiore tempore confirmatur venditio quæ iure antiquo valuit. Sin autem donata sit, quia nec ex decreto valet donatio simplex, statutum tempus est longum tempus, id est decem annorum præsentem domino. XX. absente. ea enim est in iure perpetualongis & diuturni temporis definitio. Et inde, l. 4. huius tit. quæ de longo tempore loquitur, etiam de re donata loquitur, non de re vendita. Altera differentia pertinet ad fructus rei venditæ, quos emptor bonæ fidei lucratur etiam si non impleuerit tempus præscriptionis, non emptor malæ fidei, l. 2. hoc tit. l. bonæ fidei, D. de adq. rer. dom.

*LXXIV. Si maior factus alienationem factam sine decreto ratam habuerit.*



**S**I silentio domini maioris effecti secundum definitionem & distinctionem l. 2. huius tituli confirmaretur alienatio facta contra S. C. & multò magis speciali ratihabitione, ut l. 6. supr. arb. tut. Ratihabitio est silentium expressum siue promissum expressim, Silentium, ratihabitio tacita. Silentium, inquam, quinquennij in rebus minorum sine decreto alienatis vel obligatis, & silentium longi temporis in rebus donatis, quod numeratur à die quo dominus rerum maior effectus est, & heredi quoque eius, si minor sit, tempus silentij quod reliquum est tantum cedit ab eo die quo & ipse maior effectus est, quæ est sententia l. 3. in fin. comprobata l. interdunt. D. de minor. & l. 5. supr. de temp. in int. rest. Hoc autem distat hic tit. à tit. 45. libr. 2. quod hic est de causis quæ ipso iure nullæ sunt, ille de causis quæ ipso iure valent, sed nisi ratæ habeantur, rescindi possunt per restitutionem in integrum.

*LXXV. De Magistratibus conueniendis.*

**M**erito hic titulus vltimum locum occupat. nam vltimum auxilium quo minoribus succurritur qui alia ratione seruari indemnes non possunt est actio utilis vel in factum ex S. C. siue Oratione Traiani quæ in hoc tituli proponitur in magistratus municipales siue Duumuiros qui tutores vel curatores dederunt aut nominauerunt nec ab eis satisfactionem exegerunt, Rem minoris saluam fore, aut minus idoneam exegerunt. Itaque ad tutores tantum vel curatores hæc actio pertinet, qui satisfacere debent, quales sunt legitimi & dati sine inquisitione, non ad testamentarios vel datos ex inquisitione, l. vltim. supra de auct. præst. Et subsidiaria actio dicitur, quia priusquam eatur ad Duumuiros executi oportet bona tutoris vel curatoris, & reuocari actione Pauliana, si quæ alienauerit in fraudem minoris, executi etiam bona fideiussoris eius, & collegas qui suspensum cum non fecerunt, l. 1. 4. 5. & si ab his indemnitati minoris non satisfiat, tum iterum ad Duumuiros diuisa a-

ctione

actione si ambo soluendo sint, l. 3. vel ad heredes eorum si non ex dolo vel lata culpa eorum conueniantur, præterquam si lucrum captauerint sibi vel alij ex dāno minoris, vt exposui in titu. 53. Et si fortè magistratus ipsi in dando tutore suæ indēuitati satisfatione prospexerint, nec sit soluendo tutor aut fideiussor qui de indemnitate pupilli cauit, liberantur cedendo actiones suas aduersus fideiussores qui eis de indemnitate sua cauerunt vel etiā minori sine cessione dantur vtiles, l. 1. quia dū indemnitati suæ cauit magistratus, per consequentias & indemnitati pupilli cauit. Et hæc in prouincijs. nam in vrbe si prætor tutorem dederit, non quidem in prætorem, sicut nec in prouincijs in præsidem, sed in scribam V. C. qui satis exegerit, actioni subsidiariæ locus est.

## CODICIS IVSTINIANI LIBER VI.

*TIT. I. De seruis fugitiuis, & libertis mancipijsq̄, ciuitatum, artificibus, & ad diuersa opera deputatis, & ad rem priuatam vel dominicam pertinentibus.*



**L**IBRO superiore contractu dotis exposito, & his omnibus quæ circa eum contractum vertuntur, ac deinde exposita obligatione tutelæ vel curæ quæ quasi ex contractu descendit, hoc libro proponitur alia obligatio quæ etiam ex contractu descendere videtur, nempe successio & adquisitio hereditatis bonorum ve defuncti. nam & is qui adiit hereditatem vel immiscet se bonis defuncti, contrahere videtur, quatenus æs alienum defuncti contrahit, & creditoribus hereditarijs, legatarijs, fideicommissarijs obligatur perinde atque si

cis ne

eis negotium aliquod gereret, l. 3. §. vlt. l. 4. D. Quibus ex causis in poss. ac similiter qui hereditatem recipit ex S. C. Trebelliano, l. non enim, D. ad Trebel. & qui bonorū possessionem agnoscit, l. pen. in fin. D. de separ. Alia autem est hereditas siue successio libertinorum, alia ingenuorum: & in hoc libro primum agitur de successione libertinorum, in qua certum est leges & edicta patronis multa & varia iura detulisse. Hæc enim vna est pars iuris patronatus, vt in libertorum bonis succedant patroni, sicut in bonis clientum iure applicationis. Sunt & aliæ partes iuris patronatus, quas conditor huius libri omnes explanare & exequi parat, vt ius patronatus quam sit amplum aperiat studiosis, & in eo potissimum consistat quod est de successione libertorum, ac primum quidem ostendit vim iuris patronatus consistere in operis, quas liberti patronis debent, quo erga patronos officio cum decedant fugitiui, inde apparet primum titulum huius libri qui est non tantum de seruis, sed præcipuè de libertis fugitiuis respicere ad tertium de operis libertorum, in quo & l. vltim. est de libertis fugitiuis. In hoc autem tit. de eisdē est l. 5. sed illa de libertis priuatorum hæc de libertis ciuitatum quorū artificio & operis Respub. vtebatur. & grauior pœna sollicitantis seruum aut libertum ciuitatis quàm priuati hominis. De seruis publicis pop. Rom. est l. vlt. De his qui ad rem dominicam rei priuatæ, id est ad dominum principis, siue fiscalem pertinent, l. pen. Ceteræ de priuatorum seruis, qui sunt in fuga, & fasceptoribus vel occultatoribus eorum.

## II. De furtis & seruo corrupto.

**T**itulus est generalis, qui non sine causa sequitur vicinitatem tituli de seruis fugitiuis, nam & fuga seruorum species furti esse intelligitur, l. 1. supr. cod. l. ancilla. D. de fur. l. 6. sup. de his qui ad eccl. conf. quantum ad vsucapionem vel longi temporis præscript. attinet, cui etiam in reb. mobilibus aliquando locus est, l. rescript. D. de

de diu. temp. præf. l. si liberam, supr. quod cum eo. l. i. infra Si adu cred. præf. Et qui fugitivum celat, fur est. l. i. D. de fug. l. qui seruo. §. vltim. D. de fur Imò, vt Sabinus scripsit, & qui collectu togæ ne fugitivus à domino videretur obstat. fortè & qui sciens fugitiuo viam monstrat. Item vix vnquam fugit seruus quin secum furto auferat rem aliquam pecuniamve domini, d. l. qui seruo. §. vlti. l. vltim. D. de fug. l. 12. infra ad leg. Fab. Itaque vitia hæc duo coniuncta & proxima sunt & propria seruorum probra, fuga & furtum. Martialis, A pedibus didicere manus peccare proteruæ: Non miror furem qui fugitivus erat. & inde in venditionibus seruorum cautiones illæ. Fugitivum non esse. Furem non esse. & eleganter D. Hieronymus in epistolam ad Titum, cum audiente viro apprimè graui iudicaretur iudex quidam, quod fur non esset, refert illum dixisse, Laudas optimum seruum, si nec fugitivus est, quod scilicet liberum hominem florere oporteat laudibus longè maioribus quàm quibus serui collaudantur, & longissimè abesse virijs seruilibus. & videtur id Hieronymus sumpsisse ex Apollonio Philosophrati, apud quem Iarchas rex Indorum, dari perquã ineptè laudem magistratibus eandem quam venalitiarij dant venalibus suis, quod fures non sint. Et quod attinet ad secundam partem huius tituli. quantam commotionem habeat cum titulo primo eiusdem tituli. l. 5. demonstrat, quæ de sollicitatore loquitur serui fugitivi, is est corruptor, in quem est actio mista ex edicto De seruo corrupto, vel, vt noui edicte cœperunt, ne quis seruum duntaxat aut seruam deint. gratam intelligeret de seruo deteriore factò, quãticia res erit in duplũ, quæ Grecis *δὲλ. πικρίας δίκην*, & ex d. l. 5. grauior actio sollicitato seruo Reipubl. deputato publicis operibus. Et sunt in hoc tituli. duæ tantum Constitutiones ea de re, l. 4. & l. 20. Ceteræ sunt de furtis, & actione facti nec manifesti, quæ priuatis datur ex XII. tabula in duplum, fisco in quadruplum, l. 16. D. de iur. fisco. Et manifesti, quæ priuatis datur ex prætoris edicto Proponitur

ponitur etiam in l. 18. specialis actio furti ex edicto prætoris in eum qui ex miserrima naufragorum fortuna vel ex incendio quo fortè conflagrabant ædes alienæ aliquid cepit, amouit, abstulit, corruptit, qua tenetur etiam nec manifestus intra annum in quadruplum, post annum in simplum, non ei tantum cuius interest sed etiã fisco, in tantum scilicet fisco in quantum ei cuius interest, l. 3. §. vltim. D. de inc. ruin. & naufr. præter criminalem executionem & pœnam corporalem in eum statutam XII. tab. l. 1. §. 1. l. qui ædes. D. eod. Criminalis executio si legitima & ordinaria sit, non excludit ciuilem in duplũ vel quadruplum. Extraordinaria excludit. Et quod hodie non sunt in vsu actiones furti in duplum vel quadruplum, id ex eo manat, quod sint hodie omnia iudicia extraordinaria, & nunc plerunq̃ue, vt ait l. vltim. D. de furt. furti agatur criminaliter & extraordinem, quam viam qui eligit vlciſcendi furis, renuntiaſſe videtur ciuili & ordinariæ actioni in duplum vel quadruplum, & simplio ei fatiſſit, l. interdum, §. qui furem, D. de fur. nec tamen si malit agere in duplum vel quadruplum iure prohibetur, d. l. vlt. quia iudicia ordinaria ceſſant potius quã extincta sunt.

### III. De operis libertorum.

¶ Am à primo titulo primum de operis libertorum dicere proposuit priusquam alia exponeret quæ in libertos habemus iure patronatus, quia & initio quoque edicti prætor operarum iudicium dedit. l. 2. D. eod. Operæ sunt diurnum officium quod libertus præſenti patrono iurat vel promittit libertatis causa, id est, sine quo libertas data non eſſet, l. in libero. D. de sol. Iurat autem vel promittit manumiffus statim in ipſo tempore manumiffionis, vel post tempus. Non debentur iure ciuili nisi promiffæ vel iuratæ ciuili actione de operis, l. 1. infr. ad leg. Vis. naturali iure debentur, l. si non fortem. §. libertus. D. de cond. ind. Et iuratæ debentur ex iureiurando speciali iure. namq̃; alias vt ex pacto vel pollicitatio

ne, ita ex iureiurando iure civili non nascitur obligatio. Cum verò dicimus operas esse diurnum officium, vt l. 1. & 3. D. cod. operarum editionem esse officij præstationē, l. cum patronus, D. cod. hoc dicimus, operas quas patronus à liberto postulat, & libertus patrono iurat vel promittit officiales esse operas. Iurat enim vel promittit quas operas sibi indixerit patronus daturum se officij causa non semper adiicit, Quas indixerit patronus, sed intelligitur, quia ex commodo patroni edendæ sunt. nec debentur igitur antequam petantur neque verò promissio officij vel iusiurandum alij quàm patrono factum ullam obligationem parit. Porro indicit patronus liberto operas fabriles si sit faber, pictorias si pictor, medicas si medicus, mimicas si mimus, aut petit vt sibi scribat quosdam libros si antiquarius sit, vel insularium facit vt custodiat ædes, vel postulat vt se sequatur, vt secum moretur aliquandiu, secum peregre proficiscatur vel negotium suum exerceat. hæ sunt officiales operæ quæ postulanti patrono debentur libertatis causa: quarum longè alia condicio quàm fabrilium vel aliarum cuiuscunque artificij quas quis extraneo vel patrono vt extraneo non libertatis causa stipulanti promittit, quæ non in officij sed quasi in pecuniæ præstatione consistunt. Interdunt verò officiales varijs ex causis quæ in hoc tit. proponuntur.

#### *IV. De bonis libertorum, & iure patronatus.*

**I**Vri iudicioque operarum officialium quas patronis liberti debent, addit in hoc titul. ius succedendi in bonis libertorum, quod per eminētiam ius patronatus vocat, vt l. 11. supra titul. prox. l. 14. D. de tut. & cur. da. Id verò quàm variam fuerit atq; multiplex Institutiones docent tit. de succ. lib. & titu. & bono. poss. & Vlpia. lib. Reg. tit. 29. nempe aliud fuit ex XII. tab. aliud ex edicto prætoris, aliud ex lege Iulia & Papia, & hodie longè aliud ex Constitutione Græca Iustiniani, l. 4. huius titul. cuius  
tit

fit mentio in Institutionibus multis locis, & extat integra 49. βασιλικῶν titul. 1. Id verò ea potissimum agit, vt quantum potest recidat & imminuat ius patronatus, & quemadmodum titu. superiore vt ostendat quibus modis tollatur operarum obligatio, ita hoc titulo quibus modis ius patronatus intereat aut cesset, vt si quis seruū emerit eiusdem serui nummis & manumiserit, l. 1. si patrono conuiente libertus iunxerit se ancillis vel colonis fiscalibus, l. 2. Si patronus ius suum remiserit, & liberto dederit liberam testamenti factionem, ex l. 3. eiusdem Iustiniani. quod olim solius legis erat aut principis, & alijs plerisque modis, quæ idem l. 4. studiosè collegit cupiens abolere seruatorum & libertinorum conditionem, quod assequi non potuit nisi gradatim. nam vt paulatim ius ciuile crescit, ita non nisi paulatim decrefcere potest. Et acciso primum in hoc titul. quantum potuit iure patronatus, accisa portione debita verecundiæ patronali & ex femisse redacta in trientem, & iure succedendi libertinis dato liberis & cognatis patronorum finito ad quintum gradum, & cetera penè in successionebus exactis libertinis & ingenuis, quod integra Constitutio Græca declarat, deinde libertinos omnes ciues Romanos facit sublata Latinorum & Deditiorum conditione, vt iam in successione libertinorum non sint separandi ciues Romani à Latinis quorum nulla erat successio, l. in testato. D. de suis & leg. her. l. 1. Cod. Theo. de pet. here. §. vlt. Instit. de succ. cog. Et eandem Nou. 78. nullos in Rep. voluit esse libertinos. eos qui manumitterentur omnes ingenuos esse pronuntians saluo iure patronatus, cui nō poterat sine iniuria derogare.

*V. Si in fraudem patroni à libertis alienatio facta est.*

**A**dditur de bonis libertorum in hoc titul. vt si quid ex eis bonis. dolo malo libertus ad fraudem patroni alienauerit, id post mortem liberti pro parte sibi debita patronus rescissa alienatione reuocare possit, nisi eam

fecerit ratam, per formulam Fabianam vel Caluisianã. hæc intestato liberto competit, illa testato. & hanc solã inter has actiones Græci differentiam agnoscunt in l. quod in diem, §. idem scribit, D. de pet. here. & l. 2. D. si à par. quis man. fu. adijciunt vtraque esse in factum. Et de alienatione titulus loquitur, non de manumissione. nam manumissio ex lege Aelia Sentia ipso iure nulla est.

### VI. De obsequijs patronis præstandis.

**N**ON est semper eadem ratio parentum & patronorum. nam quæ datur patronis actio Fabiana vel Caluisiana titulo superiore, non datur etiam parentibus manumissoribus, l. 2. D. Si à par. man. fu. & quæ patronis debentur officia, id est, operæ officiales, non debentur etiã parentibus, l. penult. D. de obf. par. & pat. pr. At obsequia de quibus in hoc tit. agitur iure naturali æquè debentur patronis & parentibus. Officia siue operæ separantur ab obsequijs. & quod de officio est in l. 2. ne id præstet patrono liberta quæ voluntate patroni iure alij nupsit, licet de operis sit non de obsequijs, tamen argumentum titulus præbet, vt existimem eam esse trahendam ad obsequia, & quod tam in obsequio quam in officio solius mariti conueniat esse mulierem. Aliquando officia appellantur obsequia, vt l. 6. suprã tit. 3. Imò verè dici potest officia esse obsequia operarum, obsequia autem officia pietatis, honoris, reuerentiæ, officia grati animi & obnixi, quæ liberi parentibus, liberti patronis debent etiam tacitis, nec petentibus, cum tamen officia non debeantur nisi petentibus & indicentibus ac præterea operarum actio est, non obsequiorum, sed ob violata obsequia ingrati est actio, de qua tit. seq. Item operæ non debentur patroni heredibus extraneis, l. liberti, supr. tit. 3. obsequia debentur, atque etiam priuignis, l. pen. hoc tit. l. pen. tit. sequ. Nou. 78. qua in re etiam patroni à patribus distant. nam patribus solis debentur obsequia, non ceteris liberis aut heredibus patrum.



## VII. De libertis &amp; eorum liberis.

**I**N hoc titulo proponitur actio ingrati, actio impietatis libertos qui contra obsequia debita patronis vel minimum deliquerunt, per quam probatis causis ingratitudinis rescissa manumissione retrahuntur ad seruitutem. quæ obtinuit etiam in Atheniensium & Massiliensium Rep. eademque actio datur patribus contra liberos emancipatos rescissa emancipatione, & contra donatarios rescissa donatione, sed contra hos vel illos non nisi ex magnis certisque causis, l. 1. infr. de ingr. lib. l. vlt. inf. de reuoc. don. in libertinos etiam ex leui offensa, l. 2. hoc tit. ob violata non ob deferra obsequia. Coercentur magis libertini, qui plerunque redeunt ad nequitiam seruilis ingenij, l. pen. hoc tit. Plautus in Perfa:

*Ita pars libertinorum est, nisi patrono qui aduersatus est.*

*Nec satis liber sibi videtur, nec satis frugi, nec satis honestus.*

*Ni id efficit, ni ei maledixit, ni grato ingratus repertus est.*

Actio est extraordinaria, l. 1. hoc tituli. quia legibus non est prodita actio ingrati, aut si qua prodita est, veluti lege Aelia Sentia, in desuetudinem abiit. De libertorum liberis quæ est altera pars huius tituli. hoc habemus in l. 2. vt liberrina redacta in seruitutē, ex ea postea nati liberi serui nascantur, & in l. vlt. vt filij libertinorum ex causa ingratitudinis, tametsi ingenui sint, in seruitutem redigi possunt, quia patrono paterno ingenuitatem acceptam ferre debent, vt No. 22. & l. 2. supr. de in ius voc. & ita eis quoque morientibus sine legitimis heredibus, ab intestato patronus paternus succedit, ex l. 4. supr. tit. 4.

## VIII. De iure aureorum annulorum, &amp; de natalibus restituendis.

**R**ESTÈ dici potest hunc titulum esse subiectum VI. & VII. quod libertini natalibus restituti, obsequijs soluti sint & iudicio ingrati, quia per omnia & in omnibus ingenui sunt, l. 6. infr. de suis & legi her. non etiam qui ius aureorum annulorum impetrauerint, quod plerumque dabatur libertinis ditioribus, vt Arnobius ait lib. 4. pecuniam donare annulos aureos & loca priora inspectaculis. Habentibus igitur in bonis millia quadringenta, qui census erat equestris. Suetonius in Iulio. Ius annulorum cum millibus quadringentis.

*IX. Qui admitti ad bonorum possessionem possunt, & intra quod tempus.*

**H**Atenus dixit de successiõibus libertinorum & ceteris partibus iuris patronatus, & nunc dicturus de successiõibus ingenuorum, quod eæ vel iure prætorio obueniant vel iure ciuili, incipit à iure prætorio, id est, à bonorum possessionibus. Prætor bon. possessionem dat, lex hereditatem. Vtroq; nomine significatur successio in vniuersum ius defuncti. Et bonorum possessionis propriè ius persequendi pecuniam siue rem quæ cuiusque cum is moritur fuerit, id est, formula, auctoritas, titulus quo nanciscimur actiones hereditarias, vt ait l. facta. §. si in danda, & §. sequ. D. ad Treb. & petitionem hereditatis & interdictum Quorum bonorum, & tanquam heredes omnia iura quæ heredibus competunt. & additur in definitione bonorum possessionis, ius retinendi. Nam & petitori & possessori bonorum possessio datur, l. 3. §. parui. & §. sequ. D. de Carb. ed. Et additur, patrimonij siue rei, vt in lege Falcidia, suam pecuniam suasq; res. quoniam latior est rei quàm pecuniæ vel patrimonij appellatio. Duæ autem sunt partes huius tit. Vna, qui admitti ad bon. possessionem possunt, & ex testamento admittuntur scripti vel præteriti, ab intestato proximiores, & filiusfam. ad delatam sibi bonor. possessionem etiam ignorante patre, qui admissio iure veteri inutilis est ratum non habente patre, iure nouo proficit filio. Pupil-  
lus

ius quoque ad bonorum possessionem sibi delatam admittitur cum tutoris auctoritate vel iudicis qui ignarus ætatis eius non sit. Et tutor nomine pupilli, qui tamen nomine pupilli adire hereditatem non potest, quæ vna est differentia inter ius ciuile, & ius prætorium. & alia quæ antea subnotata est, vt rati habitio patris sufficiat in bonorum possessione, in hereditate iustum exigatur. Infantis quoque nomine tutor & pater & quilibet admitti ad bonorum possessionem potest, & post eam agnitã infante mortuo, transmissioni locus est. Altera pars tit. est de temporibus petendæ bon. possessionis vel admittendæ, qua notum est largiõra dari liberis & parentibus, quàm cæteris, & vtilia esse, & idèõ ignorantibus factum nõ cedere. Continua enim ignorantibus cedunt, l. genero. §. 1. D. de his qui no. infam. & hac in re etiam ius ciuile distat à prætorio. Nam ius ad eundem hereditatis perpetuum est, nisi testator aditioni præstiterit diem. vt in cretionibus, vel iudex vrgentibus creditoribus vel filijs exheredatis.

*X. Quando non petentium partes petentibus ad crescunt.*

**E**X pluribus eiusdem iuris & gradus, quibus eiusdem generis bonorum possessio defertur, si qui intra id tempus quod dedit tit. superiore non petant, vel admittant bonorum possessionem, in hoc tit. docet portionem eorum ad crescere his solis qui bon. possessionem petierunt vel admiserunt, vt si defuncto intestato plures sint liberi non habentes ius legitimum veluti emancipati, vno ex eis non petente bon. possessionem, Vnde liberi, cæteris qui petierunt tacito iure ad crescit illius portio, exemplo iuris ciuilis. Et omittere in Constitutione huius tit. est non petere intra id tempus.

*XI. De bonorum possessione secundum tabulas.*

**D**Ocuit qui admitti possent ad bon. possessionem, & intra quæ tempora, & non petentium partes quibus accederent, quo præmissio, bono. possessionis species aggredditur. Et cum alia ex testamento competat, alia ab intestato, ab ea quæ ex testamento competit, initium facit, ea verò aut est contra voluntatem testatoris, aut secundum voluntatem, l. 6. §. 1. ff. de bonor. possess. & prius quidem in edicto prætoris proponitur ea quæ est contra voluntatem, id est, bono. possessio contra tabulas, l. 2. in princ. D. de bono. poss. secun. tab. quare dicitur etiam in libris nostris primum edictum de bono. possessione, vel prima pars edicti, & hic ordo seruatur in titulis Digestorum, in titulis huius libri interrumpitur. Prior enim est titulus de bono. poss. sec. tab. Hæc datur heredibus scriptis tabulis testamenti supremis & obsignatis non minus quàm septem testium signis, & quæ factæ irritæ semel per capitis deminutionem non perseverauerint irritæ esse vsque ad mortem testatoris, quem etiam testamenti tempore habuisse testamēti factionem omnimodò exigit prætor, & hæc si concurrant, non admodum spectat an iniustum sit testamentum vel nullum, vel ruptum iure civili, vel irritum, vel falsum, sed si postea tale id fuisse appareat, & alium potiozem heredem esse, bon. possessio sec. tabu. quam dedit, sine re constituitur. Nam ut cui data est actio non semper rem obtinet, ita nec is cui data est bonor. possessio. Vtrumque est ius persequendi. & bonor. possessio nonnunquam actio appellatur. ¶ Iure autem directo bon. possessio non datur secundum voluntatem defuncti, nisi extent tabulæ. Secundum nuncupationem non datur. & testamenta non scripta solū ius civile tuetur, l. 2. hoc tit. §. vlt. Inst. de test. ord. At placet etiam ut detur utilis bon. possessio secundum nuncupationem, vel contra, ut d. l. 2. l. vlt. infr. de cod. l. 2. tit. 13. l. si ita scriptum, §. vlt. D. eod.

*XII. De bonorum possessione contra tabulas,  
quam prætor liberis pollicetur.*

**B**onorum possessio contra tabulas parentis virilis sexus & per virilem sexum cognatione iuncti datur præteritis liberis naturalibus suis & emancipatis, nec in adoptionem datis, & postumis natis, qui sui futuri erant, & adoptiuis non emancipatis, rescindendarum earum tabularum causa, l. i. D. de leg. pr. l. vt liberis, infr. de collatio. Et liberi præteriti dicuntur qui silentio prætermitti sunt à patre atque neglecti in testamento, id est neque heredes instituti, neque vt oportet exheredati, vt apud Festum præteriti Senatores sunt qui sunt neglecti à Censoribus, quod erat ignominiosum, & ipsa quoque præteritio patris ignominiosa est, l. quidam, infr. de fideicom. non minus quàm exhereditatio, quam emendat que res in officiosi testamenti, hanc bon. possessio contra tabulas, quæ liberis emancipatis, quia non habent ius legitimum necessaria est, suis non necessaria, & non inutilis tamen. Quia enim si signatum sit testamentum, in quo filius suus præteritus est, non minus quàm VII. testium ciuium Romanorum signis, prætor petenti heredi scripto dare potest bono. possessionem secundum tabulas, idè vt ei occurrat filius suus præteritus, non erit inutile eum admittere bon. possessionem contra tabulas. Hanc enim agnoscendo heredem scriptum præueniet & impedit ne admittatur ad bon. possessionem secundum tab. l. 2. hoc tit. l. quod vulgo. D. eod. Est & alia differentia inter suos & emancipatos, quod petita bono. possessione contra tabul. sui nullis præstant legata, l. is qui. D. de leg. præf. l. pen. §. legata. D. eod. tit. emancipati præstent exceptis edicto personis, & rescindant primas non secundas tabulas, sui vtraque.

*XIII. De bonorum possessione contra tabulas  
liberti, quæ patronis vel liberis eorum datur.*

**S**vbiicit titulum de bon. possessione contra tabulas liberti, non tam vt tractet de successione libertinorum,

de qua satis priore loco dixit, & maximè titul. 4. in Constitutione Græca, quàm vt vel ex diuersitate titulorum tacitus ostendat differentiam esse inter bonor. possessionem contra tabul. patris, & bonor. possessionem contra tabul. liberti, hæc datur contra heredem scriptum, sicut querela inofficiosi testamenti, & ex his tantum duabus causis in heredem scriptum est petitio hereditatis, l. per seruum. D. de petit. hered. illa datur contra lignum, contra testamentum. Hæc in partem legibus datam verecundia patronali, partiendæ hereditatis liberti cum extraneo herede testamentario: aut eo omittente in affem, l. sed cum patrono. D. de bon. possess. l. si libertus præterito. D. de bon. lib. illa in affem. Constitut. huius tit. docet hanc dari etiam ei qui ex fideicommissario debitam libertatem soluit, vt l. 3. §. 1. D. de suis & leg. her. l. qui accus. D. de bon. lib. & non dari ei qui semel post mortem liberti eligit donum, munus, operas impositas de functo, vt l. si cut. D. de iure patron. l. vltim. Cod. Theod. de codic. l. 2. hoc titu. quam ex d. l. vltim. & l. vltim. infr. de Cod. hodie constat esse Theodosij, non Anastasij. Ait, *vel liberis*. quoniam & liberi patronorum patroni sunt, l. eum patronum. D. de iur. patron.

#### XIIII. Vnde liberi.

**T**Itulus sic explanandus est, Pars edicti vnde liberi ab intestato vocatur ad successionem parentum. Nam expositis bonorū possessionibus quæ ex causa testamenti competunt, ab hoc tit. incipit proponere eas quæ competunt ab intestato, & quemadmodum ex testamento primo capite edicti liberis præteritis suis vel emancipatis prætor pollicetur bonor. possessionem contra tabul. ita ab intestato eisdem primo capite pollicetur bonorum possessionem Vnde liberi, l. 1. §. rectè. D. si tabu. test. nul. ext. & quod ait l. 2. ex testamento vel ab intestato existente filio vel nepote suo herede neminem alium ab intestato heredem esse posse, id est, priorem potioremq; causam sui heredis esse, secundū ius ciuile est. Nam iure prætorie

torio idem est existente filio vel nepote non suo. & similiter quod ait l. 2. infr. de vsuc. pro hered. vel existentibus suis heredibus, etiam si abstinerint se, nihil alium ex defuncti bonis pro herede vsucapere posse, quod scilicet qui abstinerunt se nomen & ius suorum hereditatem retineant. nec possint iure legitimo venire agnati illis existentibus, licet iure prætorio venire possint, quoniam eos qui abstinerunt se prætor pro heredibus non habet, id quoque est secundum ius civile. Nam iure prætorio etiam suis heredibus existentibus, pro possessore vsucapio procedit. Est autem emancipatis liberis maximè necessaria bon. possessio Vnde liberi, suis non est necessaria, l. 7. D. de inoff. test. quia ipso iure heredes existunt.

*XV. Vnde legitimi & vnde cognati.*

**S**ecunda pars edicti vocat legitimos, id est, agnatos vel cognatos, qui legibus, S. C. aut Constitutionibus ad hereditatem vocantur, legum tuendarum causa, non ad modum necessaria. Tertia, vocat cognatos, & necessaria est, l. 2. & ult. hoc tit. De secunda est l. 4. huius tit. Ceteræ de tertia.

*XVI. De successorio edicto.*

**Q**uarta pars edicti quod successorium edictum dicitur, dat successorem inter liberos, & inter cognatos, id est, in iure liberorum & in iure cognatorum, ut scilicet liberi vel cognati qui primum gradum obtinent, si omittant vel repudient successorem, eam transmittant ad insequentem gradum. Successio est transmissio ad insequentem gradum. Græcè ἐπὶ ἀναξίως. In iure autem suorum, vel in iure legitimorum, non est successio, non est locus huic edicto nisi in iure legitimorum ex l. 4. sup. de bon. lib. & est cur hac in re separentur sui à legitimis. Nam sui heredes existunt, nec desinunt esse abstentione, non possunt igitur non obstare sequentibus gradibus. Legitimi non existunt, sed fiunt aditione. Si igitur non adierint, non malè dicitur eos non obstare sequentibus, licet sub-

subtili iure extent, eò quod proximiores fuerint delatæ hereditatis tempore. & hoc quidem genere successionis de quo est hic titulus, gradus cognationis gradui succedit eodem iure, putà, secundus gradus liberorum vel cognatorum, & hodie etiam agnatorum primo. Aliud est genus successionis, quo gradus intestati successionis gradui succedit diuerso iure, vt secundus gradus Vnde legitimi primo Vnde liberi, & tertius Vnde cognati secundo. Quod fit non tantùm in diuersis personis, putà non petentibus liberis, succedunt legitimi, non petentibus legitimis cognati, vt iure civili suis repudiantibus vocantur consanguinei, l. 6. inf. de leg. her. sed etiam in vna eademq; persona, putà omiſſa ab aliquo vel repudiata bonorum possessione Vnde liberi, idem postea occupare potest bonorum possessionem Vnde legitimi, vel hac omiſſa, Vnde cognati, l. 2. in princ. D. vnde leg. l. 1. §. sed videndum. D. de suc. ed. Denique hoc genere idem sibi ipsi succedere potest, illo non item, l. vlt. D. eod. & de hoc genere successionis non est hic titulus. sed in Digestis tit. Quis ordo in bonor. poss. ser. Gradus igitur bifariam accipiuntur, pro gradibus cognationis, & pro gradibus intestati successionis, vt l. 1. D. eod. l. 1. D. tabulæ testament. nullæ extab. qui & partes edicti, & capita, & ordines dicuntur.

### XVII. De Carboniano edicto.

Post edictum successorium, proponit aliud quod Carbonianum dicitur, quod tamen in ordinatione edicti perpetui non sequebatur edictum successorium, sed edictum de bon. possessione contra tabulas promissa liberis præteritis, l. 4. D. eod. Nam & Carbonianum edictum potissimum respicit ad bon. possessionem contra tab. & liberos ætate paruos præteritos testamēto patris, quibus fit controuersia bonorum paternorum alio hereditatem suam vocante simul atq; status, id est, qui negantur esse ex liberis defuncti, & ex eo edicto causa cognita interim eis vsque ad pubertatem bon. possessio con-



tra tabulas datur, fauore puerilis ætatis dilata plerunquæ controuersia status & bonorum in tempus pubertatis, ne de statu simul ac de bonis periclitentur antequam suæ tutelæ facti sint, vt quasi iusta præsumptione præsumpta pro eis possideant bona, & alantur ex eis sine metu repetitionis, & exercent actiones hereditarias, & eis conferatur si fortè frater emancipatus concurrat. Decretalis est & extraordinaria bonorum possessio, non edictalis & ordinaria. Nam ex edicto ipso Carboniano non defertur, sed edicto id tantum comprehensum est, vt impuberi ex decreto bonorum possessio detur, interquiescente omni aduersus eum lite status & hereditatis paternæ, donec in suam tutelam venerit. Videtur Cn. Carbo auctor edicti fuisse, quem legimus apud Valerium V. & VI. Pompeij pueritiæ & bonorum patris eius, de quibus controuersiam patiebatur acerrimum defensorum & protectorem fuisse, interposito, vt opinor, decreto, cum præturam gereret, quo lis omnis differretur, in tempus pubertatis, & inde cum decretum Carbonianum dicatur l. 2. D. de inf. ven. & cus. part. puto id quod in ea causa fuit interpositum valde probatum & translatum in edictum & in ius commune fuisse. Edictum pertinet, vt dixi, ad bonorum possessionem contra tabulas, vel potius subsequitur ei que subseruit, sed porrigitur etiam ad vnde liberi & nonnunquam ad secundum tabulas, & vt actio de peculio, & hæc bonorum possessio comparata ad exemplum Carboniani decreti, hodie est τῶν πρός, non propria quædam bon. possessio, nisi quatenus pupillaris pubertate finita nec perpetuum ius tribuens. Edictum quoque loquitur tantum de controuersia, an puer sit inter liberos defuncti, quæ quæstio est de statu familiæ, sed porrigitur facillimè etiam ad statum capitis, vt l. 1. hoc tit. l. 1. §. sed & si quis. D. eodem. Nam vt ait, magis consulendum est his quibus maius periculum intenditur. & maius periculum est capitis quam familiæ, & ita Herodes πρὶ πολιτείας, οἷς κινῶ

δυνῶ

δυνος οίκου ὀνόματι γίνεται, τῶν αἰετῶν ἀναγκάσιον ὄσι  
 μάλισμα μέλει. Derogari huic edicto per edictum de  
 custodiendo partu, si qua eo migrasset, ostēdit l. 2. huius  
 tit. & l. 2. D. de inf. ven.

*XVIII. Vnde vir & vxor.*

**P**ost edictum successorium quo datur successio inter  
 eos qui ex parte Vnde liberi vel Vnde cognati, vel et-  
 iam secundū Iustinianum ex parte Vnde legitimi vocan-  
 tur, & post edictum Carbonianum, quod etiam his om-  
 nibus edicti partibus aptari constat, meritō subijcitur ea  
 pars edicti qua post cognatos, prætor virum & vxorem  
 vocat ad coniugis intestati hereditatē, quia ad hanc par-  
 tem neq; successorium neq; Carbonianum edictum ap-  
 tari potest. Nam & plures in eo ordine personæ nō sunt,  
 quān Vir & vxor, & ex eo nemo pupillus est. Et huic  
 parti igitur locus est si deficient omnes superiores, & si  
 iustum sit matrimonium, & si vxor in manu viri nō fue-  
 rit. Nam quæ est in manu viri cum filijs communibus  
 marito ab intestato succedit ex leg. xii. tab. tanquam filia  
 & suus heres patri vel ex prima parte Vnde liberis bono.  
 possessio defertur. & rectē Theod. & Valent. l. vii. C. Th.  
 de leg. her. filio nostro iura matrimonij præponimus.

*XIX. De repudianda bonorum pos-  
 sessione.*

**H**IC titulus respicit ad edictum successorium quo re-  
 pudiandæ vel petendæ bonor. possessioni præstituta  
 sunt certa tempora, videlicet vt primis intra ea tempo-  
 ra repudiantibus vel non petentibus sequentes ex edicto  
 succedant. Nam qui semel repudiat in iure & solemni-  
 ter, omnē ius suū perdit, ita vt recipere id nullo mo-  
 modo possit, l. i. §. qui semel. D. de succ. ed. l. i. §. planē si  
 tempora, D. si tab. tes. null. ex tab. l. i. hoc titu. & sequen-  
 tes statim vocantur. & notandum quod ait l. 2. filios fami-  
 delatam bonorum possessionem, cuius emolumentum  
 patri pleno iure adquiri potest si filius eam agnouerit  
 iussu aut voluntate patris, patrem repudiare non posse  
 in

In fraudē filij sine consensu eius, ne scilicet ei fiat præiudiciū & iniuria, & mox fortè patrif. factō nō sit integra & incolumis acquisitio bon. possessionis, quod obtinet etiam in hereditate, legato, fideicommissō delato filio fa. l. renitente, inf. de iur. del. l. ex repudiatione. inf. de fideicō. & longè alia ratio liberi hominis & serui. Nam seruo delata dominus repudiare potest etiam inuito seruo, l. legatum, D. de leg. r. §. per seruum. D. de succ. edi. quia seruus pro nullo habetur, l. i. D. de iur. delib. & ita est accipienda l. 2. huius tit. & verò semp̄r in interpretatione legum ille casus assumendus est, qui est difficilior, quiq; plus dubitationis habet, l. quod Labeo, D. de Carbon. edict.

*XX. De Collationibus.*

**H**IC titulus terminat & claudit tractatum de bon. possessionibus, & propriè respicit ad bon. possessionem contra tabul. quæ datur potissimum liberis emancipatis præteritis etiam existentibus suis heredibus, si modo vt edicto prætoris comprehensum est emancipati parati sint suis heredibus, id est fratribus qui in potestate manserunt heredibus institutis vel etiam præteritis, bona propria, quæ moriente communi patre habuerunt in medium conferre ipsa, id est, diuisione vel cautione collationis, vt l. 1. §. iubet. D. cod. vel cautione defensionis, vt l. 2. hoc titu. vel remissione & vt Græci loquuntur παρὰ τὸ σὺ τὸν ἀδελφ. vt l. 5. hoc titu. l. cum post. §. penult. D. de adm. tut. nam vt eleganter Vlp. ait lib. Reg. æquissimum putauit prætor neque emancipatos bonis paternis carere per hoc quia non sunt in potestate, neque præcipua bona propria habere cum partem sint ablaturi suis heredibus. Ratio igitur vna iniungendæ collationis hæc est, quia suos emancipati iniuria quodammodo & incommodo adficiunt, dum eis bonorum paternorum partē de trahunt beneficio prætoris qui in omnia bona vocabantur soli iure ciuili. & altera, penè eadē, quia emancipati qui in bona patris cōcurrere volunt cum fratribus qui in potestate manserunt, ius suorū heredum habere volūt.

Suorum autem heredum quæ sunt, patris sunt. itaque ea quæ sua sunt tanquam sui heredes in commune redigere debent, ut qui se adæquant cum suis, nihil etiam ut sui sibi proprium aut præcipuum esse ducant excepto peculio castrensi aut quasi castrensi: quia & id in potestate manentes præcipuum haberent, l. cum duobus, §. idem Pap. D. pro soc. & aptatur etiam hic titulus ad bonorum possessionem Vndeliberi, & ad querelam inofficiosi testamenti, l. 4. & 9. l. ut liberis, hoc titulus. & aliquatenus etiam ad causam publicatorum bonorum, l. 8. infr. de bon. proscr. & generaliter collatio fit inter suos & emancipatos ab intestato. & est commissio igitur siue bonorum priorum cum paternis quæ fit inter fratres ab intestato ut ea omnia inter se partiantur ex æquo. Ex testamento verò emancipati qui successionem obtinent iure institutionis vel legati aut fideicommissi collatione non funguntur, l. 1. hoc tit. l. 23. D. si quis omiff. cau. test. l. vltim. supra communi vtr. iud. nisi hoc ipsum testator iusserit, quia ex testamento liberi non veniunt ut liberi sed ut extranei, l. 1. §. Pomponius, D. de Carbon. edict. l. 10. hoc titulus. & æqualitas illa atque communio quam collatio constituit eis tantum apta & conueniens est qui succedunt in bona demortui iure liberorum, qui que simul veniunt iure fraternitatis, quòd ipsum per se nomen nihil aliud est quam æqualitas & communio. Verùm ex Nou. 18. etiam ex testamento locus est collationi quod præsumatur per obliuionem patrem omiffisse, collationis præceptum, & omiffa per obliuionem plerumque haberi in iure soleant pro expressis, l. vlt. D. de li. leg. l. Seix. D. de instr. leg. l. quingenta. D. de prob. §. sed fœmini. Inst. de exhib. lib. Conferunt autem emancipatis suis iure veteri tam aduentitia, quam profectitia quæ quæsiuerunt ante mortem patris & habuerunt tempore mortis eius, deducto ære alieno, ut l. 6. hoc titulus. l. 1. §. qui ab hostibus. & §. si emancipato. D. eod. quoquo modo emancipati sint. Iure nouo profectitia tantum. Sui quoque qui proprium aliquid habent veluti dotem profectitiam

aut aduentitiam iure veteri vel donationem propter nuptias, vel quę alia bona aduentitia, non etiam iure nouo, l. 2. infr. de bon. mat. quia & hæc & illa dos filio filięve familias proprium patrimonium est non quasi patrimonium. Emancipatis autem sui non conferunt dotem aduentitiam, l. 4. hoc tit. ne duplici incommodo adficiantur, concursu emancipati, & collatione dotis aduentitię. dotem profectitiam conferunt, quia hanc equius est suę origini restitui & confundi cum bonis paternis, cum & morte filię soluto matrimonio redeat in bona paterna, aduentitia autem apud maritum remaneat. Cur verò sui suis conferant, emancipati emancipatis non conferant, l. 9. hoc tit. l. 1. §. ult. l. 2. §. si tres. l. 3. §. quotiens, D. eo. si quęras, respondebo suos eos tantum fungi collatione qui proprium aliquid habent & in eo quod proprium habent pro emancipatis siue patribus facta haberi & quasi emancipatos id inter se conferre. Cetera autem bona emancipati inuicem non conferunt, quia alter alteri oneri vel in omnimodo non est, cum iura eorum sint omnimodò paria, excepta dote & donatione propter nuptias profectā à parente eo, in cuius bona veniunt, ne meliore conditione sint quā sui qui & ea inter se conferunt. Est & eorum collatio inter eos liberos qui parenti defuncto veluti matri aut auo vel proauo materno, nec inter suos sunt nec inter emancipatos, l. 17. & inter cognatos transfuersi ordinis, sed patruos tantum, amitas, auunculos, materteras & filios fratrum sororumq; pariter succedentes defuncto parenti, ita vt patruus & ceteri in medium conferant dotem vel donationem propter nuptias pro se datā vel promissam, filij autem fratrum vel sororum dotem pro suo patre vel matre datam vel donationem propter nuptias patruis & ceteris, l. 19. & dotem pro seipsis datā non patruis, sed inuicem, vt l. 1. si sit nepos. D. de coll. do. l. 1. §. ult. D. de con. cum em. lib.

### XXI. De testamento militis.

POSTEAquam egit de bonorum possessionibus, quarū beneficio iure prætorio velut heredes in bona de mor-

tuorum succedimus, transit ad hereditates quæ iure cī uili deferuntur, & seruat ordinem legis 12. tab. quæ prius de iudicijs testantium & sic deinde de successione ab intestato loquitur, quem ordinem etiam in suis edictis sequuntur prætores & proconsules. Cum autem testantiū alij testentur iure singulari ut milites, alij iure communi ciuium Romanorum, ante omnia uult se expedire iure singulari dato titulo de testamento militis. Et nuda quælibet uoluntas militis de diuisione bonorum suorū, uel rei familiaris decretum à milite quoquo modo factum contemplatione mortis, iustum & legitimum testamentum est, ex Constitutionibus principum quæ ueniam dant imperitiæ & simplicitati eorum, l. impuberi. D. de adm. tut. si quid fortè in testamento faciendo minus peritè minusue legitimè fecerint. & alijs in bonis aliove tempore eos patiuntur esse testatos, alijs bonis alioque tempore intestatos. & silentio permittunt ut possint exheredare filios suos, & ut legata quæ reliquere in testamento suo solida præstentur sine diminutione Falcidig. & ut directo in secundum casum extraneo heredi scripto uel filio puberi substituant non inutiliter, & pleraq; alia quæ pagani non habent. Milites sunt qui in numeros relati stipendia merent, & in expeditione occupati sunt.

### XXII. *Qui testamenta facere possunt uel non.*

**E**xplicato iure singulari quod in testamentis militum locum habet, mox transit ad ordinem iusque commune, id est ad regulas iuris secundum quas pagani testantur. & quia prior est quæstio semper de personis quæ de solemnitate iuris, l. quidam. D. de iur. cod. l. 4. D. qui test. fac. poss. idè hoc titulo in primis declarat qui testamenti factionem habeant. Pendet uerò hæc res ex XII. tab. in quibus ita scriptum est, PATERFAMILIAS UTI LEGASSIT SUPER PECVNIAE TUTELAE VE SVAE, ITA IUS ESTO. Non dat testamenti factionem filiosfamil. non de pecunia aliena, sed de sua, quo nomine continetur etiam communis, ut  
super

super ea quisque pro parte sua testari possit, l. 1. hoc titul. Et de tutela quod additur hoc est vt l. heris tantum suis impuberibus testamento, non alienis tutorem instituere paterfam. possit. De Spadonibus quod est in l. 5. vel ad Eunomianos hæreticos respicit. l. 17. C. Theo. de her. vel ad cubicularios principis, l. 2. infr. de præ. Sac. cub. l. 22. infr. de priuileg. cor. qui in pal. mil. Cetera in hoc titulo facillima sunt.

*XXIII. De testamentis, & quemadmodum testamenta ordinantur.*

**D**E testamentis, id est de varijs generibus testamentorum, deque eis aperiendis & apud acta publicandis, ab ipso testatore vt si quando intercidant sit vnde fides eorum peti possit. *Et quemadmodum testamenta ordinantur*, id est de sol. mniratibus & regulis iuris quas in testamentis seruari opus est. quæ dæ inspectiones ita inuicem coniunctæ sunt atque cõnexæ vt simul explicari possint & debeant. Et est quidem aliud genus testamenti, quod mysticum dicitur, cuius solemnia explicat l. 21. Aliud quod fit per nuncupationem, d. l. 21. §. per nuncupationem, quorum in vtroque septem Classici testes exiguntur. Est & aliud quod fit precibus principi oblatis, ex l. 19. aliud municipalibus gestis, d. l. 19. & Nouel. Valentiniani de testamen. Alia genera testamentorum antiqua obsoleuerunt, & nominatim id quoque quod per æs & libram fiebat aboletur l. 15.

*XXIV. De heredibus instituendis, & quæ persona heredes institui non possunt.*

**Q**uia heredis institutio caput & fundamentum est totius testamenti, idè prælato generali titulo de testamentis de partibus eorum dicturas ab heredis institutione initium facit, à qua etiam plerunque testatores ipsi incipere solent. Certè ex heredis institutione vel substitutione testamentum cognoscimus, nõ codillos defunctũ facere voluisse, l. 14. sup. titu. prox. l. illud. §. 1. D. de

iu. cod. nec enim alio genere quam testamento heres institui vel substitui potest. Idcirco ait, *De heredibus instituendis*, quia omnino heredes instituendi sunt si quis testamentum facere velit. & vel sola heredum institutio testamentum est. Sequitur, *Et quæ personæ heredes instituere non possunt*, putà incertas personas institui non posse vel incerta corpora veluti collegia, nisi id eis specialiter concessum sit, l. 8. Collegio Iudæorum non est concessum, l. 1. suprà de Iudæis. Collegio Christianorum est concessum, l. 1. supr. de sacr. eccl. sed & ciuitatibus omnibus ex l. 12. Olim non vtique omnibus, quia ciuitates incerta sunt corpora, non populis omnibus, non populo Romano sine auctoritate Senatus hereditatem delatam alieno testamento adire fuit permissum. Peregrini quoque & aduenæ heredes institui non possunt. nam & testatorem & testes & heredes ciues Romanos esse oportet, l. Diuus, D. de iur. fisc. l. 1. hoc titu. l. 36. C. Theod. de hæret. ne serui alieni vel communes si cum domino eorum testamenti factio non sit, l. 10. nec proprii sine libertate iusta, id est, quæ Ciuem Roman. faciat, nec instituti vt filij vel vt fratres, vel vt liberti ab eo qui non aliter institutus eos erat quam si filios aut fratres aut libertos suos esse credidisset, ad hereditatem venire possunt. l. 5. supr. tit. prox. l. 3. & 4. & 7. hoc titu. l. 1. §. vlti. D. de Carb. edict. l. auferat, in princ. D. de iur. fisc. & seruanda differentia l. 4. & 7. vt portionem adoptaticij fratris tanquam indigni non auferat fiscus, suppositiij auferat. in hoc esse indignitatem, non in illo.

*XXV. De institutionibus & substitutionibus, seu  
restitutionibus sub condicione  
ne factis.*

**H**IC titulus est de condicionibus quæ iniiciuntur institutionibus & substitutionibus precarijs quæ restitutiones dicuntur, quia Græci ἀποκαταστάσεις etiam substitutiones precarias vocant. De directis substitutionibus est,



est l. vlt. sed non de condicionibus eis appositis, quia & si substitutio omnis directa videatur esse condicionalis quod concipiatur in casum, tamen vi ipsa non est condicionalis nisi alia quam iuris ex ipso testamento ei sit inferta condicio, veluti si navis ex Asia venerit, l. qui liberis. D. de vulg. sub. & facile tamen fero poni ultimo loco huius ritu. eam legem propter vicinitatem tituli seq. qui est de substitutionibus directis. Nulla verò in hoc tit. proponitur substitutio directa condicionalis, & vt in l. 6. illo loco, Substitutioni vel restitutioni, & l. 7. illo, ἀποκχ-τάσασιν ἢ ὑποκχτάσασιν, & in l. vltim. infr. com. de leg. Substitutione, vel restitutione, item, Quæ restitui alijs disposita sunt, vel substitutione posita, ita in hac rubrica articulum, *See*, non ampliandi, sed explicandi causa additum opinor. Institutio est scriptura prima testamenti quæ primo heredi hereditatem defert vel statim à morte testatoris si sit pura, vel ex condicionis casu. Restitutio vel substitutio precaria est hereditas per fideicommissum ab herede relicta. Condicio est futuri euentus casus incertus. vel huic titulo accommodatius, lex adiecta institutioni aut fideicommissò quæ effectum eius differt in futurum & incertum euentum. Vel, lex certa qua testator probabili consilio ductus alium ad testamētum suum inuitat, & alia potestatiua quæ est in potestate & arbitrio heredis instituti, alia in casu & euentu futuro fortuitoque, quæ casualis dicitur, alia mista, cuius euentus pendet partim ex voluntate heredis instituti partim ex casu, l. vnica, §. sin autem aliquid. infr. de cad. tol. l. vltim. infr. de nec. here. inter. quæ genera condicionum differentia quædam notatur in l. 4. & in alijs legibus de plerisque alijs horum generum condicionibus tractatur, quæ vel remittuntur, vt condicio diuortij, vel non

remittuntur, & de earum interpretatione.

& de tempore quo implendæ sunt.

X XVI. De impub rum & alijs substitutionibus.

**D**ixit titulo superiore de substitutionibus precarijs & conditionibus earum, hoc titulo dicturus est de directis, quæ post institutiones sequentem partem locumve in testamentis occupant, de quibus etiam anteverit dicere, l. vbi titul superioris, vt hoc veluti modo hunc et connecteret, cui similem adnotabo tit. 59. Et vt primum constituamus quid sint, directe sunt institutio- nes heredum quos vel nobis ipsis facimus in priorũ locum, vel quibusdam liberis nostris non habentibus testa- menti factiõnem. His verbis notamus duos tantũ sub- stitutionam casus, vt l. precibus, hoc titul. qui & euentus dicuntur, l. item hoc iure. D. eod. & cause, l. cum ex filio. §. filio D. eod. Primo casu, si primo gradu institutus he- res est: nolit aut non possit, alium in locum partemve eius nobis heredem substituiimus. & hæc est substitutio vulgaris, quæ communi iure fieri ab omnibus & omnibus potest. Secundo casu, si liberi nostri moriantur antequam habent testamenti factiõnem, puta impuberes aut mente capti, heredem eidimus, quæ sub- stitutum vocamus, quod post heredem quem nobis in- stituimus, prima parte testamenti eum subiiciamus & substituamus liberis quos in potestate habemus, ita vt duo testamta sint, vnum quod facimus nobis, alterũ quod facimus liberis nostris impuberibus, quod dicitur pupillare testamentum, pupillaris substitutio, pupilla- res tabule, secundæ tabule appellatio eam secundarum tabularum pupillaritarum substitutioni conuenit & secundi heredis quàm secundarum tabularum latior ap- pellatio est. nam & substitutus vulgariter, & coheres ad- iectus primo loco heredi instituto, secundus heres est. Vulgaris substitutio primarum & principalium tabu- larum locum obtinet & coheredis adiectio multò ma- gis. Porro ad exemplum pupillaris etiam liberis mente captis, quos in potestate habemus in similem casum, Si

mentis.

mente capti decesserint, substituere possumus ex Constitutionibus Iustiniani. namq; olim moribus hoc tantum datum erat parentibus, vt liberis impuberibus testamentum facerent in hunc casum, Si impuberes decederent, non mente lapsis in illum, nisi ex speciali beneficio principis, l. ex facto. D. cod. Hodie idem possunt etiam sine venia principis, ex l. humanitatis, hoc titu. liberis autem mutis aut surdis nec hodie sine venia principis. Si igitur casus substitutionum spectas, duæ tantum sunt species substitutionum. & verò casus potissimum spectari oportet, quia causæ hæ sunt substitutionum. Si personas quibus fiunt, aliæ fiunt liberis impuberibus, aliæ mente captis ipso iure, aliæ mutis aut surdis beneficio principali siue instituti sint, siue exheredati, in secundum casum, aliæ extraneis vel liberis cuiuscunque heredibus institutis in primum casum. Et rursus vel fiunt expresso alterutro casu, quæ simplices substitutiones dicuntur, vel utroque expresso quæ duplices & vulgari pupillares, vel nullo generaliter & compendio orationis, veluti, Heredes meos inuicem substituo, vel, illum illi substituo, vt l. precibus, vel Sempronius Plotij heres esto, cum est Plotius primo gradu à testatore heres institutus, l. vlt. supr. de her. inst. vel cum est Plotius testatoris filius impubes, cuius testator potestatem habuit.

*XXVII. De necessarijs heredibus instituendis vel substituendis.*

**C**VM antè dixisset de heredibus instituendis vel substituendis, nunc heredum qui instituuntur vel substituuntur diuisionem & qualitatem exequi parat. nec enim omnium heredum eadem est qualitas, non idem omnium ius in omne ius mortui. Alij sunt necessarij, alij voluntarij, & rursus necessarij alij sunt sui, alij necessarij tantum non sui. De necessarijs tantum est hic titulus. De suis **XXVIIII.** & **XXXI.** De voluntarijs **XXX.** Et necessarij quidem sic dicuntur, quod domuis à quibus heredes instituti aut substituti sunt vel liberis

dominorum impuberibus ignorantes & inuiti heredes existunt, adeò vt & pœna coerceantur si eam hereditatē spernant, l. 4. hoc tit. l. pen. infr. de iur. delib. & beneficium abstinendi non habeant, quod tamen prætor dat suis qui tametsi necessarij sint, non tamen adeò necessarij sunt, vt à prætore illa necessitate absolui non possint data abstinendi licentia, illi omninò necessarij sunt vt nec abstinendi beneficium habere possint, l. necessarijs, D. de adqui. her. Causa autem instituendi necessarij heredis est pudor & existimatio defuncti, quia ab eo plurimum qui soluendo non est necessarius heres instituitur vt heredis potius nomine quàm sua bona distrahantur à creditoribus, quod erat infame, adeò vt nec sit honestum heri dē dicere hereditatem non esse soluendo, l. sed & si alio. D. ad Treb. & rectè dicat l. seruus. C. Theo. de inoff. test. necessarium heredem infamiam magis quam patrimonium consequi. & hæc ratio efficit vt valeat libertas data vnico seruo in fraudem creditorum creditoribus nō obligato specialiter, l. 1. hoc tit. sed & alia pleraque singularia admittit, l. etsi sine §. sed q̄ Pap. D. de minor. l. fratres, suprā de inoff. test. l. qui potuerūt, D. de m̄. test. Alia autem est heredum necessariorum iuris veteris, alia iuris noui definitio. Vetus definitio hæc est. Necessarij heredes sunt serui proprij qui in eadem causa permanserunt eodem gradu & testamento cum libertate heredes instituti vel substituti in primum aut secundum casum. Demas illa verba, Eodem gradu & testamento cum libertate, & erit definitio iuris noui.

### XXVIII. De liberis prateritis vel exhereditis.

**H**IC titulus est de liberis. ergo de suis heredibus. hi sunt liberi qui in potestate morientis & gradu proximiores sunt delatæ hereditatis tēpore, vel de his quos prætor inter suos heredes vocat, hi sunt liberi emancipati quos prætor adæquat suis. denique hic titulus est tam de liberis qui sunt in potestate quàm de emancipatis.

Sui

Sui & necessarij heredes sunt iure ciuili. Emancipati voluntarij heredes sunt, quia alieni & extranei heredes cū in familia morientes non sint, nec illi sui dicuntur nisi ad discretionem alienorum, quales sunt emancipati & omnes heredes volūtarij atque etiam necessarij tantum: nec enim sui sunt. Et præteriti dicuntur qui neque instituti neque rite exheredati sunt, etiam si legata eis aut fideicommissa relicta sint. Vel, qui institutionis aut substitutionis gradu, aut in omnibus gradibus silentio omisi sunt. Vel, quorum testator in instituendis aut substituendis heredibus mentionem nullam fecit. Exheredati autem sunt quos parentes à successione sua certo iudicio summouerunt. quod fit variè. alij enim inter ceteros exheredantur, si respicias ad ius vetus, alij nominatim, alij præteritione atque silentio solo, alij ab vno gradu, alij ab omnibus & in omnem casum.

*XXIX. De postumis heredibus instituendis  
vel exheredandis.*

**H**IC quoque titulus est de suis heredibus. nam est de postumis, id est de his qui sunt in vtero quique nati nobis sui heredes futuri sunt, heredibus instituendis vel exheredandis, id est non prætermittendis. Superior titulus est de iam natis, hic de nascituris, de quibus etiam cū fuerit finis superioris tituli, ex eo quam benè hic titulus mox illi coaptatus sit intelligi potest. Separati autem dantur tituli de liberis & de postumis, quia sunt & inter liberos superstites & postumos separationes siue differentie plures. Extant hodie quatuor, quintam sustulit finis superioris tituli.

*XXX. De iure deliberandi & de aduenda vel  
adquenda hereditate.*

**H**IC titulus est de voluntarijs heredibus. nec enim iure ciuili alijs quàm voluntarijs heredibus competit ius deliberandi, id est potestas & arbitrium consultandi, vtrum expediat adire hereditatem necne, quia in iuri

non ad eunt suo periculo, cum sint voluntarij. Iure prætorio competit etiam suis, quia se abstinere possunt. Necessarijs neque civili neque prætorio iure competit. Et ad deliberandum quidem vel à testatore datur dies, hoc est cretio, vel à iudice, hoc est, propriè deliberatio, cui dā dæ, ne omninò esset in arbitrio principis vel iudicis præscripta est præscriptio certam l. ult. §. sed quia, infra. At si neque à testatore, neque à principe aut iudice datum sit tempus ad deliberandum fortè nullis postulantibus creditoribus aut liberis exheredatis, ius ut opinor ad eundem hæreditatis est perpetuum, l. i. infr. de suis & leg. lib. & ita Græci notant ad l. 4. infr. qui adm. τὸ πολιτικῶν δικαίου ἔργον οὐκ ἀποκλείεται. quibus crediderim magis quàm argumentis Latinorum malè ductis vel ex l. 8. huius tit. vel ex alijs locis. Quod autem sequitur in hoc tit. *Et de ad eunda*, etiam ostendit hunc titulum esse de voluntarijs heredibus, quibus solis aditio necessaria est, suis aditio aut bon. possessio non est necessaria, l. 7. D. de inoff. testa. l. 13. hoc tit. Et aditio quidem alias accipitur pro cretione, quæ dicitur intra tempus à testatore constitutum, id est, pro aditione solemnī, aliàs pro aditione simplici siue nuda constitutione amplectēdæ hæreditatis, qua hodie utimur detractis cretioneis solemnibus, detracta infinitate superstitum, detractis formulis detracta corporis hereditarij apprehensione, detracta percussione digitorum. Effectus tamen cretioneis manet, & effectū solo inspecto dicitur aditionem hereditatis esse actum legitimum. Nam & purè fit & semel & per heredem ipsum non per procuratorem nisi Cæsaris, non per tutorem nisi pupillus infans sit, sed per patrem rectè volente filiosam, vel etiam eo non volente si infans sit. Quod additur in hoc tit. *Vel adquirenda*, causam aliam præbet, ne suos heredes ab hoc titulo omninò summo ueamus. Nam acquirendi verbum generale est, quod complectitur & cretioneis & aditionem, & immisionem, & pro herede gestionem, & existentiam, & animi destinationem solam. His enim omnibus modis hereditas

**A**ctas adquiretur; & suis heredibus aut necessarijs existentia, quæ a Græcis ἀνάφορος dicitur, & immiffione propriè. Recte igitur dixeris, quod fit hic tit. de omni genere adquirendæ hereditatis, & quod prætor etiam suis heredibus det tempus ad deliberandum, hunc titulum potissimum esse de voluntarijs heredibus, sed nonnihil etiã ad suos pertinere, de quibus est l. 3. §. 13. & initium 19. quorũ præcipuum ius in transmissione delatæ hereditatis, aliquatenus communicatum tamén voluntarijs heredibus. Constitutionibus tribus. l. 18. & 19. hoc titu. & l. infra de his qui ant. ap. tab. Imò adquirendi verbum propriè respicere ad suos rectè dixeris, vt titulus qui sequitur, *De repudianda vel abstinenta*, conuenienter apponatur huic, *De a leunda vel adquirenda*, Et serua, hereditatem adiri vel acquiri triplici via, recta si adeas incunctanter, tardiore si habita deliberatione hoc facias, vtraq; lubrica, & tutiores tertia quam aperit Iustinianus in l. vlt. si factò uenturio bonorum defuncti ex fide bona.

### XXXI. De repudianda vel abstinenta hereditate.

**H**IC titulus opponitur superiori de adeunda vel adquirenda hereditate, ita vt verbo *Adeunda* ex aduerso respondeat verbum *Repudianda*, & verbo *Adquirenda* verbum *Abstinenta*, quæ collatio ostendit in superiore titulo verbum *Adquirenda* propriè pertinere ad suos heredes qui per immiffionem hereditatem acquirunt, sicut in hoc titul. verbum *Abstinenta* constat propriè ad suos pertinere, & sic l. vlti. supr. titu. pro x. S. respuendam, inquit, vel abstinentã hereditatem esse crediderit. Duæ autem in hoc tit. regulæ potissimum constituuntur. Eum qui adquisiuit hereditatem etiam si damnosa sit, repudiare eam non posse suo iure, beneficio restitutionis posse si minor sit XXV. an. Et eum qui repudiavit, rursus ad ea bona quæ repudiavit redire suo iure per suam personam nullo modo posse, propter alium posse, & iure quoque

quoque restitutiones in integrum propter ætatem si res sit integra. Maiorem ætate neque suo iure neque per restitutionem quod repudiavit acquirere posse, si sit extraneus heres. Namq; suus heres etiam maior XXV. ann. si abstinuerit se, postea ipso iure non petita restitutione bonis quibus se abstinuit se permiscere potest si res sit integra, l. si quis suus, D. de iur. delib. quod Iustinianus limitat in l. vlti. huius titu. & est hac quoque in re differentia inter suum & extraneum heredem.

*XXXII. Quemadmodum testamenta aperiuntur, inspiciantur & describantur.*

**A**UT tabulæ testamenti aperiuntur & publicè insinuantur apud acta viuo testatore, vt maior eis fides accedat, l. 2. 18. 23. supra de testamen. aut post mortem testatoris, vt innotescant heredibus & legatarijs aut fideicommissarijs & seruis manumissis & fisco cui hereditarium vicesima debebatur, & alijs quorum interest. Et ex lege Julia & Papia non erat extraneis heredibus ius ad eundæ hereditatis ante apertas tabulas, ante insinuationem testamenti, vt l. cum antiquioribus, l. vltim. §. si autem dubius, & §. in computatione, supra de iur. delib. nisi forte quis heres esset scriptus ex assè, l. multum. D. de cond. & demõ. l. 1. §. vltim. D. de iur. & fac. ign. & dies quoque legatorum vel fideicommissorum non cedebat ante apertas tabulas, hodie ex Constitutione Iustiniani, quæ reducit ius antiquum quod obtinuit ante legē Juliam, et Papiam, heres siue scriptus sit ex assè, siue ex parte, statim à morte testatoris hereditatem adire potest etiam clusis tabulis testamenti, & dies quoque legatorum cedunt à morte testatoris ante apertas tabulas, l. vnica, §. cum igitur. & §. in nouissimo. infra de cad. tol. Necessarij heredes tantum, vel sui & necessarij, semper heredes extiterunt & existunt à morte testatoris etiam clusis tabulis testamenti, l. 3. supra de iur. delib. l. ex parte. D. de adq. her. quod & liberis non suis licet extranei heredes sint



sint Theodosius dedit vt à morte parentis heredes extitisse intelligantur in hoc vt hereditatem transmittant ad liberos etiam cluis tabulis testamenti & ante aditã hereditatem, l. vnica, infr. de his qui ant. ap. tab. Hic titul. ait, *testamenta*, sed pertinet etiã ad omne id quod ad causam testamenti pertinet, vt putã & ad codicillos, & ad substitutionem pupillarem, & ad libellum qui pertineat ad vltimam voluntatem defuncti & ad epistolam fideicommissariam & ad omnem omninò scripturam testamenti etiam imperfectam. Et rectè l. 3. huius tituli. *Eius quod ad causam nouissimi iudicij pertinet*, quæ fuerunt verba prætoris tam in interdicto de tabulis exhibendis quo tenetur qui negat penes se esse id quod ad causam testamenti pertinet, quàm in extraordinarij auxilij pollicitatione, quæ aduersus eum spectat qui nō negat penes se esse id quod ad causam testamenti pertinet, ille vt damnetur in id quod interest, hic vt omnimodo exhibere compellatur, l. 2. §. vltim. D. eod. l. 1. §. 1. D. de tabulis exhib. Aperire autem hoc loco non tantum est tabulas testamenti patefacere naturaliter, vt in S. C. Silianiano, sed etiam ciuilitè, id est secundum leges & mores ciuitatis in qua fit apertura testamenti, l. 2. hoc tit. solemnè quodam ordine qui plerunque explicatur præsentè magistratu in foro aut silica, differto foro, & seruatis his quæ licet addiscere ex l. 4. 6. 7. D. eod. & Paulo 4. sent. tit. de vicesima. Semper excipitur ea pars testamenti quam testator vetauit aperiri, vel quam vetasse intelligitur, vt substitutio pupillaris, l. 3. hoc tit. l. pupillares. D. eod. §. fin autem. Instit. de pupil. substi. & pars quæ ad alterius ignominiam pertinet, veluti exhereditatio aut præteritio, & descriptio quoque diei aut consulis, ne quis præferat aut postferat diem, d. l. 3. in qua & illud notandum, vt iuratus purget se de

calumnia qui quod ad causam testamenti pertinet. desiderat inspicere & describere.

XXXIII. De edicto diuisi Adriani tollendo, & quem  
admodum scriptus heres in possessio-  
nem mittatur.

**P**ost aperturam & recitationem testamenti ritè perso-  
ctam, solet heres scriptus mitti in possessionem rerū  
hereditariarum quas mortis tempore testator possedit.  
Nam in possessionem earum quas alius iusta ex causa  
possedit non ante mittitur quam egerit petitione heredi-  
tatis aut rei vindicatione, l. 3. hoc tit. & 3. sentent. Pauli  
titu. 5. in fine, & fit ea missio ex beneficio edicti D. Adri-  
ani, l. 26. Co. Th. quor. ap. non rec. quo qui uti vult necesse  
non habet petere bonorum possessionem secundum ta-  
bulas, vel hanc si malit petere, beneficium edicti non ha-  
bet, l. vlt. C. Th. de testamē. & Valentiniani No. 1. eod. tit.  
etiamsi falsum vel irritum, ruptum, inofficiosum, nul-  
lum testamentum dicatur, locus huic beneficio est salua-  
eorum disceptatione, l. 2. hoc tit. nec ab eo provocatio  
est, l. qui quis, infr. quor. ap. non rec. l. vlti. D. de app. rec.  
& ibi postulat vbi sunt res hereditariæ, l. 1. sup. vbi de  
her. ag. Pluribus autem postulantibus se mitti in posses-  
sionem, inter quos controuersia est, is præfertur qui po-  
tiora iura habere videtur, l. 3. quæ de re summatim cog-  
noscit iudex Quia hæc res celeritatem desiderat. Curè  
institutus substituto præfertur, l. 1. siue substitutus sit di-  
rectò siue per fideicommissum ante restitutam heredita-  
tem, l. filiam, D. ad Treb. Hodie non fit missio ex edicto  
D. Adriani, sed ex Cōstitutione Iustiniani: Nam & quæ  
erat ex edicto a iura, hodie est perpetua nec ante perimi-  
tur quàm sit perempta quæstio principalis de hereditate  
quam constat non perimi nisi vsucapone vel præscri-  
ptione XXX. ann. & quod erat in edicto de apertendis  
tabulis testamenti statim post mortem testatoris, l. vlti.  
D. de app. rec. nec qua fieret mora vicissimæ hereditati-  
um, ut Paulus ait in Sent. titu. de vicissima, hodie vicissi-  
ma sublata locum non habet. Necesse tamen est per ius-  
quam

quam missio fiat testamentum aperiri & proferri iure pfectum. Nec distinguimus heres scriptus sit ex parte aq ex asse, l. 3. & d. l. filiam. Nam & si scriptus ex asse possit adire ante apertas tabulas, non tamen potest mitti in possessionem.

XXXIV. *Si quis aliquem testari prohibuerit vel coegerit.*

**F**isci aut vicesimæ hereditatum fisco debitæ ab extraneis heredibus mentio habita superiore titulo nos vocat ad alias species quibus fisco aditus patet ad hereditates & bona defunctorum, & vt illius tituli origo proficiscitur ex Constitutione siue edicto D. Adriani, sic iustius ex alia Constitutione eiusdem principis, l. i. D. eod. quæ vult, vt qui dum captat hereditatem legitimam prohibuit volentem facere testamentum ne faceret, vel qui cum esset priorē testamento scriptus heres prohibuit volentem mutare testamentum ne mutaret dum id agit fortè ne testamentarius introducatur, vel ne testes conueniant, vel qui coegit aliquem facere testamentum, & se heredem scribere, ei velut indigno fisco hereditatem auferat, itemque alij si alium coegerit scribi, quia & si proxius criminis alius non sit defuncti voluntatem non habet, argumen. l. cum quidam. D. de his quæ vt indigni auf. nec enim intelligitur voluisse qui coactus voluit. Nam testamentum plenam & liberam voluntatem, liberum stylum exigit. Et nota dolum malum aut vim prohiberi, non blanditias, l. vltim. hoc titu. l. vlt. D. eod. & huius criminis non aliam esse pœnam quàm confiscationem hereditatis, & competere etiam eo nomine de dolo actionem his quorum interest, l. 4. hoc titu. l. Lucius. §. Sempronia. D. de leg. 2. Nouel. 115. adiuncta Iuliani interpretatione, quod & ad l. vnicam infr. de sent. quæ p eo quod int. probat Theodosii interpretatio. & ira civilis disceptatio possit accipi in l. i. huius titu. vt dicat eum qui testari coegit tam civiliter teneri de dolo vel in factu.

his quorum interest, quàm criminaliter accusari posse, causa ad fiscum delata.

**XXXV. De his quibus vt indignis hereditas aufertur,  
& ad S. C. Silanianum.**

**I**N titulo superiore proposita est causa vna ex qua heredi vt indigno fiscus hereditatem aufert, ea est crimen prohibiti aut extortiti testamenti. In hoc titu. proponuntur plures alie, ac primum in l. 1. 7. 10. crimen inultæ mortis defuncti, quod & crimen ingrati heredis potius dicere, ex l. Ga. us, in fin. D. de S. C. Silan. & crimen aliud heredis qui per calumniam falsum t. testamentum dixit, in quo ex parte heres scriptus est, l. 2. & 8. & aliud heredis facientis contra non ineptam voluntatem defuncti, qui notatur l. 5. Sed & l. 4. ostenditur ei quoque heredi vt indigno hereditatem auferri quem testator in codicillis declarauit suam non mereri voluntatem. Item S. C. Silaniano, cum paterfam. à familia per vim necatus esse dicitur, heres prohibetur adire vel aperire tabulas, antequam de seruis qui sub eodem tecto lo. o. ue. erant quæstio habita, & de noxijs vltimum supplicium sumptum sit, vt l. 11. §. si seruus, D. ad l. Fal. alioquin ei vt indigno aufertur hereditas, & ad id pertinet l. 3. 6. 9. penult. & vltim. Indignus est qui capere potest, & verò etiam capit, sed quod cepit retinere non potest, vel quod testator eum aut lex indignum hereditate iudicauerit esse, vel quod nõ illicitum quidem, sed quodammodo pudendum sit apud eum remanere quod cepit. Indignus est capax iure, incapax effectu. Incapax verò est incapax iure & effectu. Ad incapacem qui se defert, pertinet beneficium edicti D. Trajani, non ad indignum.

**XXXVI. De Codicillis.**

**P**ostquam dixit satis de testamentis & de heredibus instituendis & substituendis qui potissimum testata sustinent ne ruant, si hereditatem acquirere & amplecti

plecti velint, transit ad codicillos, qui & ipsi ad causam testamenti pertinent, si testamentum sequantur vt aliquid suppleant aut emendent, veletiam si præcedant, nec testamento infirmentur, l. 1. §. ad causam. D. quemad. testam. aper. l. 1. §. hoc interdictum, D. de tab. exhib. l. 3. §. si quis Codicillos. D. de S. C. Silan. & pro parte testamenti habentur, l. pen. D. quemadmo. testam. aper. l. quidam. D. de iure codicil. & ex eo vires capiunt, siue confirmati siue non confirmati sint, l. 3. §. vlt. D. eod. l. 1. hoc titu. & si fortè ab intestato conficiantur, vicem testamenti exhibent, l. ab intestato. D. eod. Nam & ab intestato nullo facto testamēto rectè conficiuntur, imò & facto testamento, vt l. 6. D. si quis omis. caus. testa. vt si codicillos plenè definire velis, ita definire debeas: Codicilli sunt intestatorum vel testatorum voluntates quædam nullis subnixæ solemnibus iuris. Ad codicillos pertinentes ad testamentum qui & testamentum sequantur respiciunt qui eos definiunt esse emendationem aut supplementum testamenti. Nam qui post factum testamentum aliquid ei detrudere vel addere aut emendare volunt, nō alia ratione possunt quàm per codicillos. testamentum enim testamento emendari aut suppleri non potest, mutari potest. Codicillus codicillo non tantum mutari, vt l. 3. hoc tit. sed etiam suppleri & emendari potest. Est & hæc summa differentia inter testamentum & codicillos, quod non vt testamento, ita codicillis verbis directis hereditas dari vel confirmari vel adimi potest, cuius verior ratio hæc, ne ius codicillorum & testamentorum confundatur. Nam si codicillis qui nullam iuris solemnitatem exigunt, idem liceret quod testamento, periret vsus & ius omne testamentorum tantis vigilijs excogitatum & inuentum. Quæ proponitur in l. 7. non est necessaria, vt l. heres. D. de vsurp. & vsucapa. nec quæ in l. quod manus. D. de iur. cod. Nam duo instrumenta nihil vetat robur aliud ex alio capere.

XXXVII. De legatis.

Post

**P**ost testamenta & codicillos dat legata, quod hæc & testamento relinquuntur & codicillis testamēto confirmatis. Et est legatum quod verbis directis ab herede instituto testator coheredi vel alij relinquit. Verbis, inquam directis, id est, imperatiuis, vnde legati nomen deducere Vlpianus videtur, quod legis modo, id est, imperatiuè relinquatur (fideicommissum verbis precarijs & quibuscunque relinquitur.) Et erant olim verba directa Latina & certa solemnique hodie etiam Græca recipiuntur & vernacula & quæcunque verba Latina etiam illegitima, inusitata, mixobarbara, quibus ferè & omnia testamenta hodie videmus esse conscripta, vnde litium seges. Et, vt idem Vlpianus scribit, legato dominium adquiritur ad XII. tab. l. quotiens. §. vlt. D. de pecul. l. 7. l. 23 hoc tit. l. 3. infr. quand. dies leg. ced. l. 1. in fin. D. de pub. in rem act. l. 3. §. si rem, de leg. 3. fideicommissio possessio, nō dominium, l. qui vsus fructum. D. si vsus fr. pet. Sunt autem in hoc titul. multa quæ in Digestis in varios titulos dispersita sunt. Nam & hic agitur de annuis legatis, l. 22. & de alimentis legatis, l. 1. & de adimendis legatis, l. 3. ff. 17. quæ non adimuntur codicillis non confirmatis nec nuda voluntate ipso iure. qua in re etiam distant à fideicommissis. Et de legatis quæ vt indignis auferuntur, l. 5. §. pen. nec tamen fiscantur, tres casus. Hic etiam pleraq; communia proponuntur inter legata & fideicommissa, atque etiam hereditates in duabus quæstionibus iuris in l. 23. aliter definitis quàm fuerunt definitæ à veteribus Iurisconsultis. Nam Primo ex 12. vncijs, Secundo ex 6. vncijs heredibus institutis, Primo dabant bessem, Secundo trientem, seruata iusta proportione, quam ne feruet Iustinianus mouetur coniectura voluntatis defuncti, & ita illi Primo ex 12. Secundo ex 4. vncijs heredibus institutis, Primo dabant dodrantem, Secundo quadrantem, Iustinianus duos semisses facit. & consequenter Primo ex 12. Secundo ex 6. Tertio ex 2. vncijs heredibus, Primo illi darent altero tanto plus quàm Secundo, & Secundo duplo plus quàm Tertio, ex mente Iustiniani

¶i Primus & Secūdas haberent quincunces, & Tertio conferrent vncias. Primo autem herede instituto ex 6. deinde Secundo ex 12. vncijs, quia nulla occurrit præsumptio vlli deminutæ portionis, qua sola mouetur Iustinianus, sequimur ius vetus, & proportionem iustam, vt Primus habeat trientem, Secundus bessem. Et in secunda quæstione dicta l. 23. Titio herede instituto, deinde Titio & Sempronio coniunctim, veteres Titio darent dodrantem, Sempronio quadrantem, Iustinianus duos semisses facit. Quod idem & in legatis locum obtinet.

XXXVIII. De Verborum & rerum  
significatione.

**H**ic titulus etiam propriè pertinet ad legata & fideicommissa, & in cod. l. 4. ad hereditates quoque & libertates & tutelas, & aliquatenus ad contractus: & vt videas quàm aptè connectatur superiori, serua initio l. 23. de verborum significatione, vt ait, quæstionem proponi, quam in hoc tit. sequuntur aliæ, de instructi significatione, si quis fundum aut domum instructam legauerit, l. 1. & 2. de cautionis, l. 3. si fortè testator heredem aut legatarium cautioneauerit, vt l. Billista. D. ad Trebel. l. huiusmodi, in princ. D. de lega. 1. & quid hic incertus sermo significet, Primo aut Secundo fundū Cornelianum do lego, vel dari volo, l. 4. quid familiæ verbū, si quis familiæ legauerit, vel si fundum legatum extra familiam alienari vetuerit, quomodo etiã familiæ fundum legare videtur in hunc casum, Si cum extero legatarius alienauerit, l. vlti. Et vt scias etiam quàm benè in hoc tit. addatur. *Et rerum*, memineris Platonem dicere, τὰς λόγους ὡς αἰεὶ εἰσι μὲν ἄνευ καὶ τῶν αὐτῶν καὶ συγγενῶν εἶναι. & alio loco, οὗς ἄρ' εἰδὴ τὰ ὀνόματα, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα.

XXXIX. *Si omiffa fit caufate-  
ftamenti.*

**I**N hoc titu. proponitur edictum prætoris, quod pertinet ad tuenda legata & fideicommissa, herede in eorum necem omittente testamentum & ab intestato possidente hereditatem, & ad tuendas quoq; libertates tam directas quàm fideicommissarias, & perfecta edicti sententia hæc est, si testamento iure perfecto heres institutus sit is qui & ab intestato defuncto lege heres esse potest, & omittat causam testamēti in fraude in legatariorum & fideicommissariorum, & manumissorum, ut interdant legata & fideicommissa & libertates quæ non aliter iure debentur aut competunt, quàm si adita vel aliàs acquisita sit hereditas ex testamento, aut petita bonorum possessio, & malit ab intestato hereditatem pro herede possidere, vel etiam si cum non esset ex his qui ab intestato defuncto succedere possunt, si omisso testamento hereditatem malit possidere pro possessore quasi prædo, ut l. i. §. non quærimus. D. eod. Denique si heres ipse qui institutus est testatorem intestatum faciat dolo malo, destituto testamento, ut veluti ab intestato pro herede aut bonorum possessore vel pro possessore hereditatem possideat sine onere legatorum & fideicommissorum & libertatum, ex hoc edicto causa cognita in eum dantur utiles actiones legatorum nomine aut fideicommissorum aut libertatum, quæ per fideicommissum relictae sunt, & directæ competunt, perinde atque si ex testamento heres extitisset, salva Falcidia ex legatis & fideicommissis, quæ in libertatibus nulla est. Omittere causam testamenti, id est, testamentum, est repudiare hereditatem testamento delatam, vel abstinere se, & propriè tempus adquirendæ hereditatis præterlabi sinere, cessare, insuper habere iudicium defuncti, l. 2. Dixi, causa cognita, nam bona fide & iusta ex causa si quis omiserit hereditatem, in eum prætor daturus non est utiles actiones. Et ex verbis quidem edicti is tantum legatorum fideicom-



commissorum petitione tenetur qui quam omisit ex testamento, possidet ab intestato. Ceterum ex sententia & exemplo edicti Constitutiones etiam tenentur cum voluit qui omisit licet non possideat si id egit dolo malo cum substituto vel legitimo herede, ut in eum hereditas transfret, l. 1. hoc tit. l. 1. infr. de fid. lib. & substitutus vel legitimus heres licet non omiserit ipse testamentum, secundum ordinem prescriptum l. 2. 4. 10. D. cod. Producitur etiam sententia edicti ad alias plerasque species.

*XL. De indicta viduitate & lege Iulia*

*Miscella tollenda.*

**D**atur titulus specialis de legato aut fideicommissio relicto viro aut mulieri sub condicione viduitatis aut coelibatus, propter ius nouum quod ea de re Iustinianus sanxit atque constituit. Condicio viduitatis est honesta. Viduitas enim genus pudicitiae est. At reip. inutilis, quam maxime interest augeri ciuium numero, l. cum ita legatum, l. hoc modo. D. de condi. & dem. ideoque remittenda esse videtur tanquam utilitati publicae contraria, l. 2. §. tractari. D. ad S. C. Tertul. ut etiam ea non impleta capiendi legati ius sit. & viro remittitur etiam lege Iulia & Papia, si modo is cave cui legatum relictum est intra annum nubat vel vxorem ducat & iuret se liberorum procreandorum causa nubere vel ducere vxorem. Appellatur vero ea lex Miscella in hoc titu. & No. 2. & à Græcis XLVIII. β. σιλικῶν ad l. ult. D. de statulib. quia pertinet tam ad mares quam ad foeminas, quibus viduitas iniungitur, l. 3. hoc tit. l. heres. §. ult. D. de cond. & demon. & quia certo eodemque capite pleraque alia continet miscellanea viro & vxori communia, de quibus Ulpian. lib. Reg. Si extraneo legauero sub condicione, si vxor mea vidua permanferit, condicio non remittitur, quia nec vlli viduitatem iniungit, l. 1. hoc titu. l. mulieri. D. de condic. & demonst. Si vxori ipsi vel alij mulieri si vidua permanferit, remittitur, ut l. 2. supra de inst. & subst. ex lege Iulia Miscella & S. Consultis circa eam factis ( sic legentur

dum p'uratiuo numero in l.3.) veluti Perniciano & Caluitiano, quæ memorat Vlp. eod. libro, si modò intra annum nubat, vt dixi, & iuret se liberorum quærendorum causa nubere. Post annum si nubat, ex eadem lege quasi condicione defecta non admittitur ad legatum, nec si nò dum nupserit aliter quàm si præstiterit cautionem Mutianam. At noua Constitutio Iustiniani in hoc titul. siue mari, siue fœ:ninæ imposita sit condicio viduitatis sublata lege Iulia penitus remittit condicionem viduitatis, vt legato statim præstito nec sit necesse præstare cautionem Mutianam etiam si tardius nubat vel vxorem ducat, nec iurare se maritum aut vxorem habiturum liberũ quærendorum causa. quod tamen Nou. 22. ita recantat, vt omninò nolit remitti condicionem viduitatis, sed intra annum mulierẽ aut virum omninò vacare, nisi Deo se deuoueat, quo genere spes nuptiarum & liberorum tollitur, vt l.52. suprà de epif. & cle. & Nou. 123. nec aliter quàm spe nuptiarum sublata legatum capere, nec post annum quoq; aliter quàm præstita cautione Mutiana, Quod legati nomine ceperit condicione viduitatis non impleta heredi cum sua causa restitui. Et hæc quidem Nou. Iustiniani ad secundas tantum nuptias coercendas spectat. nam si puellæ nò dum nuptias expertæ legatum relict im sit sub condicione si non nupserit, proculdubi condicio remittitur. & ita Ioannes rectè.

*XLI. De ijs quæ pœna nomine in testamento vel codicillis relinquuntur.*

Constitutio quoque huius tituli noua est de legatis, fideicommissis, libertatibus, hereditatibus datis, ademptis, vel translatis pœnæ causa. Et pœnæ causa legatum relinquitur, quod non gratia legatarij sed in odium & pœnam heredis relinquitur, vt putà hoc modo, Heres ne Gaio filiam tuam despondeas, Si desponderis, X. millia Sempronio dato. Et adimitur & transfertur hoc modo, Gaio fundum do lego, Gaius ne filiam tuam

Sem-

Sempronio despondeas. Quod Gaius legauit, Si Gaius filiam suam Sempronio desponderit, id Mæuiodo lego. Et ad eundem modum fideicommissum quoque & hereditas & libertas datur vel adimitur vel transfertur. & iure veteri neque datio neque ademptio vel translatio valet, l. 12. D. de condi. & demon. quia est contra naturam legari, fideicommissi, hereditatis, libertatis, quæ non alterius coercendi, sed honoris ergo ut amicis relinquerentur, inuenta sunt: ut ab inuentione similiter negamus non posse nos stipulari alteri, l. 38. §. alteri. D. de verb. oblig. & pactioem quoque contra naturam contractus non valere, l. cum precario. D. de prec. §. 1. Inst. de societ. Ex Constitutione huius tit. valent ea omnia quæ testamento vel codicillis pœnæ causa relinquuntur, ut suprema voluntas testatoris potior sit ratione iuris, nisi si quid testator fieri iusserit impossibile aut quod pro impossibili habeatur velut illicitum aut inhonestum, & non facientem onerauerit legato aut fideicommissio aut manumissione serui aut adiectione coheredis. nam & impossibilis, inhonesta vel illicita condicio siue iussio, & quod si ea non impletur, datur alij vel transfertur, pro non scripto est, idque omne perinde remanet apud eum à quo datum vel translatum est, ac si datum ademptum vel translatum non esset. Theophilus dabit exempla.

*XLII. De fideicommissis.*

**H**IC titulus vicinus & proximus est titulo de legatis, adeò ut & in hoc & in illo & his quoque titulis qui hunc & illum sequuntur pleraque sint nominatim per scripta communiter de legatis & fideicommissis, ut in hoc l. 6. 8. 13. 24. Et separati tamen sunt tituli, quia & multæ inter ea separationes. fideicommissa relinquuntur etiam codicillis testamento non confirmatis, & epistola & libello fideicommissario & nutu, l. 22. non legata. & tacitum fideicommissum legas passim, nusquam tacitum legarum. Et etiam si nullo teste adhibito relictum sit fideicommissum si id confiteatur heres

relictum esse vel si delata condicione iurisiurandi non v-  
tatur, præstandum est, l. vlt. hoc tit. Item legata à solis he-  
redibus institutis relinquuntur, fideicommissa & à lega-  
tario & fideicommissario & donatario mortis causa & à  
patre vel tutore heredis vel legatarij, & à legitimo here-  
de non à filio præterito vel exheredato licèt per bon. pos-  
sessionem contra tabulas vel querelam inofficiosi testa-  
menti ad hereditatē patris perueniat, quia suo iure per-  
uenit ad eam non ex iudicio patris, l. pen. hoc titu. l. cum  
quidam. supr. de lega. quod & in legatis locum obtinet.  
Sed in fideicommissis maior erat dubitatio, quia pronio-  
res sumus in admittendis fideicommissis quæ & huma-  
niora dicuntur in l. 2. tit. seq. quàm legatis. Illa differentia  
est summè notanda quæ colligitur ex l. 16. vt in fideicō-  
missis, etiam si verba perspicua sint, quæstio voluntatis  
admittatur. & inde l. quisquis, D. de leg. 3. verborum &  
voluntatis argumenta coniunguntur. In legatis si verba  
perspicua sint, non admittitur voluntatis quæstio, l. ille  
aut ille. §. 1. D. eod. l. si alij. D. de vsufr. leg. nec licet nodū  
in scirpo quærere. denique in legatis rigor & subtilitas  
iuris obseruatur, in fideicommissis latitudo voluntatis,  
& posterior voluntas, l. 19. hoc tit. l. 4. supr. de verb. sign.  
l. per fideicommissum. D. de condi. & demonstr. & tamen  
non quæuis posterior voluntas temerè directam scriptu-  
ram infirmit. Est autem hic titulus non tantum de fidei-  
commissis specialibus, sed etiam de vniuersalibus, vt l. 3.  
5. 12. 14. 15. 16. 30. & l. vltim. nam & quod de vniuersalibus  
facilè trahitur ad specialia, vt quod est in l. 30. de fideicō-  
missio hereditatis, & ad fideicommissum speciale vel le-  
gatum pertinere constat ex l. generaliter, §. vltim. de inst.  
& subst.

*XLIII. Communia de legatis & fideicommissis, &  
de in rem missione tollenda.*

**I**N superioribus titulis multa exposita sunt quæ sem-  
per fuerunt & sunt etiam hodie communia legatis &  
fidei-

fideicommissis. In hoc titulo proponuntur quæ cum ante communia non fuissent Iustinianus communia fecit, Scilicet communes actiones tres legatorum omnium & fideicommissorum, actionem ex testamento vel codicillis quæ est in personam heredis vel eius à quo fideicommissum aut legatum relictum est, actionem in rem ad vindicandam rem quæ relicta est si modo testatoris fuerit, & actionem hypothecariam in ceteras res hereditarias pro quantitate legati aut fideicommissi, nō etiam in res heredis vel eius à quo legatum aut fideicommissum relictum est, veluti ex tacita hypotheca, sublata solemnī in rem missione quæ herede non existēte soluendo fideicommissorum nomine fiebat aduersus extraneos possessores rerum hereditariarum, vt Nouell. 39. quia sufficiunt tres illæ actiones. Communia quoque verba legatorum & fideicommissorum, vt non iam verba directa legatum & precaria fideicommissum faciant, sed sola voluntas defuncti, & sit legatum quod defunctus voluit esse legatum, licet verbis precarijs relictū sit, & fideicommissum quod defunctus voluit esse fideicommissum, licet relictum sit verbis directis. Imò & communia fecit iura legatorum & fideicommissorum, ita vt iura fideicommissorum quæ erant humaniora comunicentur legatis, putà vt non testamento tantum aut codicillis testamento confirmatis sed etiam ab intestato legata relinquuntur, & ab herede heredis vel legatarij & legatario & à fideicommissario & à donatario causa mortis & à debitore defuncti & à patre vel domino heredis instituti & ab eo cui statuliber dare iussus est, vt fideicommissa, & vt nutu relinqui possint & epistola vel libello, nec iam in eis rigor iuris ciuilis, sed sola voluntas defuncti dominetur, & vt dies eorum non cedat ex apertis tabulis vt & post legem Papiam fideicommissorum dies non cedebat ex apertis tabulis, sed à morte testatoris. Cōtra quoque quod amplius iuris fuit in legatis vt comunicetur fideicommissis, putà vt iisdem actionibus petantur quibus legata, & vt iuris ordinarij sint domi-

numque transferat in accipientem vt legata. & hæc quidem continentur prima & secunda Constitutione huus titu. Tertia quoque noua est de optione legata, & rebus à defuncto relicto non alienandis aut pignerandis aut manumittendis.

*XLIV. De falsa causa adiecta legato  
vel fideicommissio.*

**L**egatis vel fideicommissis quæ relinquuntur aut causa inferitur, aut modus, aut condicio. De causa est hic titulus, & in eo causabifariam accipitur, pro ratione legandi collata in præteritum, & pro demonstratione, id est nota & designatione certæ quantitatis legatæ, certive corporis, & neque hanc neq; illam si falsa sit ostendit perimere legatum aut fideicommissum. De falsa demonstratione est l. 2. 3. 5. lex 2. de hac, Decem quæ Titio debeo, l. 3. de hac, Decem quæ in dotem accepi, l. 5. de hac, Quæ instrumento illo dotali conscripta sunt: vt X. debeantur etiam si neque X. Titio debita fuerint, neq; in dotē data, vel etiam si instrumentum illud non fuerit dotale in quo doti decem data comprehensum est. De falsa ratione legandi l. 1. & 4. A Titio exigi veto, quia mihi quod debuit omne persoluit. Et demonstratio rei vel quantitati factis demonstratæ adiecta, & ratio legandi, superuacua est. igitur nihil hæc vel illa nocet.]

*XLV. De his quæ sub modo legata vel fideicommissa relinquuntur.*

**D**E modo est hic titulus, quem variè in libris veteribus inuenio conscribi, *De legatis seu fideicommissis quæ sub modo relinquuntur*, *De his quibus sub modo legata vel fideicommissa relinquuntur*, *De his quæ sub modo legati vel fideicommissi relinquuntur*, & vt proposui magisque probaui. Modus est finis propter quem legatur, vel causa legandi collata in futurum: quæ etiam si falsa sit, id est,

Impossibilis nihil nocet: sin autem possibilis sit, etiam p-  
tinus agentem de legato admittit, cautione oblata, l. eas  
causas. D. de cond. & dem. l. 19. D. de leg. 3. l. cum in testa-  
mento, D. de fideicommiss. lib. nec igitur per omnia pro  
condicione obseruatur, si ita concipiatur, Illi tot aureos  
do lego vt monumentum faciat, sed si ita, Illi tot aureos  
do lego si monumentum faciat, per omnia pro condicio-  
ne obseruatur, d. l. eas. & l. i. hoc tit. & ex hac scriptura fi-  
deicommissi petitio non est, videlicet cum ita legauit, si  
dederit Gaio decem, siue modum siue condicionem fa-  
cere voluerit, ex illa fideicommissi petitio est, siue modū  
siue condicionem facere voluerit, ex l. 2.

*XLVI. De condicionibus insertis tam legatis,  
quam fideicommissis & liber-  
tatibus.*

**D**E Condicione est hic titulus, & in eo additur, *Et li-  
bertatibus*, propter l. vlti. quæ est de statulibertate, &  
fauorabiliter constituit vt si casus fortuitus impedimen-  
to fuerit ne condicio libertatis impleretur, puta si here-  
di dederit X. aut rem aut seruum peculiarem, statim cō-  
petat libertas, & condicio post libertatem impleatur.  
quod non ita procedit in legatis & fideicommissis Con-  
dicio est casus collatus in futurum qui euenire vel non  
euenire vel aliter euenire potest. vel. causa apposita le-  
gato qua existente debetur legatum, deficiente perimi-  
tur, suspensa suspenditur. Et vt falsa causa vel falsus  
modus, ita falsa condicio, id est impossibilis non peri-  
mit legatum, l. cum tale, & falsam condicionem. D. de  
condit. & demonstr. Possibilis quoque etiam si non ex-  
istat aliquando non perimit legatum si sit ex his quæ re-  
mittuntur, id est, pro nullis aut pro impossibilibus ha-  
bentur, vt condicio turpis, condicio iurisiurandi, vidui-  
tatis, diuortij. alioquin deficiente condicione perimi-  
tur legatum, si per legatarium fiat quo minus implea-  
tur. nam si per eum in cuius persona implenda est con-  
dicio

*Condicionis in  
fauorabilior  
libertatibus.*

*Legatis.*

dicio & modus, pro impleto habetur, & pœnitentiæ locus non est, l. vlt. hoc titu. l. 5. D. Quand. dies leg. ced. l. 3. §. Stichus, D. de statul. l. pater, §. vlti ad Treb. quia condicio quæ femel extitit vel extitisse intelligitur nō resumitur, l. quidam, D. de fid. lib. Pro impleta etiam habetur si is in cuius persona implenda fuit viuo testatore decesserit, q̄ est adnotandum ad speciem l. 3. & 4. huius titu. Valdè autem nouam esse Constitutionem l. pen. ostēdunt l. 13. D. de man. test. & l. pen. in prin. D. de cond. & dem.

*XLVII. De vsuris & fructibus legatorum  
vel fideicommissorum.*

**H**IC titulus ostendit legata & fideicommissa his quibus relicta sunt sine mora & frustratione esse præstanda. alioquin ex mora deberi pecuniariam relictarum vsuras, ceterarum rerum fructus, & periculum earum pertinere ad eum à quo relictae sunt siue perierint, siue deteriores factæ sint, l. 3. hoc titu. l. 39. §. fructus, de lega. 1. Et moram fieri ex die litis contestatæ, l. 1. 2. 4. hoc titu. l. quæsitum, §. vltim. D. de leg. 1. neque enim quælibet interpellatio in mora constituit debitorem, sed repetendi debiti instantia siue repetitio quæ fit per iudicem lite contestata. nam & si vix adeatur iudex mora non præcedente, l. 3. D. de vsur. tamen certius ducitur & coarguitur ratio moræ ex tempore litis contestatæ. nec tamen inficior quin & si ratio moræ coargui possit ex mota controuersia instanti atque continua, antequam ad iudicem eatur & lis apud eum contestetur, ex eo tempore sit habenda ratio vsurarum & fructuum. nam vt in S. C. Adria. quod est scriptum de lite contest. trahitur ad motam controuersiam, l. sed etsi lege. §. si ante litē. D. de pet. her. ita Constit. huius tit. quæ loquuntur de lite contestata trahi concedo ad controuersiam motam, & ita constituo, ex lite contestata vel controuersia mota legatarijs aut fideicommissarijs moram fieri cum hac exceptione, nisi controuertendi aut litigandi iustam causam habuerint, l. si quis solutioni. D. de vsur. vt putà si iuste dubitabatur



ur lex Falcidia locum esset habitura necne, & an solidum legatum quod peteretur præstari deberet, l. 3. D. de vsur. l. qui solidum, in prin. D. de leg. 2. quo casu damnatus heres si paruerit sententiæ, id est, si legatum exsoluerit, immunis est à dependendis fructibus & vsuris, d. l. 3. vel si post sententiam & tempora iudicati moram fecerit, à die litis contestatæ in diem sententiæ vsuras & fructus præstat, d. l. 3. At si morandæ solutionis causa obten- dat Falcidiam, prætor fideicommissarius sequetur ordi- nem l. 2. & satisfacti fideicommissario iubebit præstari solidum legatum, aut eo nequeunte satisfacere, dabit arbi- trum ad ineundam rationem legis Falcidiæ, & diem in- tra quem ineatur partibus præsentibus, & secundum eam de fideicommissio pronuntiabit, vel herede non venien- te ad diem, damnabit eum ut solidum legatum præstet cum onere vsurarum & fructuum à die litis contestatæ in diem quo præstiterit, d. l. 3. Quod ad vsuras attinet, ac- tio legatorum vel in personam quæ stricta est, vel in rem quæ arbitraria, similis est actioni bonæ fidei, quo- niam vsuras recipit ex mora, l. 34. D. de vsur. vel ex re ip- sa, si actor fuerit minor XXV. annis. l. 3. sup. in quib. caus. in int. restit. Quod ad fructus dissimilis, quia bonæ fidei etiam ante moram recipit fructus, l. videamus. §. pen. D. de vsur.

*XLVIII. De incertis personis.*

**T**itulus est de incertis personis, id est, de legatis, fidei- commissis, hereditatibus, libertatibus, tutelis datis incertis personis. & incertas personas vocat quas testa- tor ignorauit, id est, nesciuit quæ & quales futuri essent, ut si heredem instituit eum qui primum ad funus suum veniret, vel qui prior Consul designaretur, eive legauit. Incertis personis adnumerat etiam postulum: quia in- certum est qualis futurus sit, & an futurus sit. & his ad- jungit incerta corpora, veluti ciuitates & collegia. Sed perijt Constitutio huius tituli, quæ multum continebat literarum. Iure veteri incertis personis vel corporibus  
reli.

relicta non valebant nisi relinquerentur sub demonstratione certa, veluti ex cognatis meis qui nunc sunt, ut est in Institutionibus Iustiniani & Regulis Ulpiani, & rectè; Qui nunc sunt, nam postumo alieno legari non potuit. Verum enim quod conditionis implendæ causa datur, & incertis personis dari oportet, l. 4. D. de reb. dub. quia neq; legati neq; fideicommissi iure capitur, l. 8. D. si quis om. cau. test. l. mortis causa. D. de don. cau. mort. Et quâuis non sint in petitione quæ incertis personis relinquuntur, sunt tamen in retentione. §. incertis autem, Inst. de legat. Ex Constitutione huius tit. sunt etiam in petitione, & postumo suo vel alieno legatū, aut fideicommissum, aut hereditas dari & obtineri potest iure civili sine auxilio prætoris & quibuscunque collegijs corporibusq; licitis. Res procedit gradatim. nam & cum postumo suo olim fuit testamenti factio iure civili, & alieno quoque fideicommissum relinqui potuit, l. 5. §. ultim. D. de reb. dub. l. 2. in princ. D. de iure codicil. non legatum & hereditas etiam dari iure prætorio. Et libertas ex l. 14. inf. de fid. lib. item ex S. C. & Constitutionibus incertis corporibus plerisque. Solam tutelam excipit Constitutio huius tituli. qua de causa remansit in Digestis l. tutor incertus. D. de test. tut. nec debuisset remanere quod de incerto herede in l. 9. §. heres. D. de her. instit. & l. sciendum. D. de verb. sign. nam & incertæ personæ cuilibet, & incerto corpori modo licitum sit, ex hac Constitutione Iustiniani hereditas dari potest.

#### X L I X. *Ad S. C. Trebellianum.*

**H**ic titulus propriè pertinet ad fideicommissarias hereditates, de quibus actū est tit. 43. De his facta sunt duo S. C. Prius fuit Trebellianum, quo nondum in fideicommissis fuit admittenda Falcidia. Posterius Pegasianum quo fuit admittenda. Et Trebellianum fuit tantum de transferendis actionibus omnibus in fideicommissarium, quas

quas habet heres, vel quibus obstrictus est. Sed auctoritate Iustiniani Pegasiano hodie transfuso in Trebellianum, & de Falcidia deducenda ex fideicommissio hereditatis est Senatusconsultum Trebellianum si sponte adierit heres. & onera creditorum diuiduntur inter heredem & fideicommissarium pro quadrante & dodrante, l. i. vel si quadrantem non retineat heres, omnia transferuntur in fideicommissarium. Onera autem legatorum semper ad fideicommissarium pertinent, quia ex quadrante legata non delibantur, sed quadrans delibatur ex legatis, l. i. §. vlt. D. eod. & hoc si dodrans vel as restituatur ex fideicommissio. nam si minor pars hereditatis puta semis, etiam legatorum onera inter heredem ex asse & fideicommissarium semissarium pro rata diuiduntur, l. 2. hoc tit. l. i. §. penu. D. eod. l. i. §. qui minorem. l. etiam. §. i. D. vt leg. nom. cau. Est etiam hoc ex Pegasiano translatum in Trebellianum vt heres coactus adire hereditatem amittat Falcidiam, l. 4. Nec omittendum, etiam ab intestato Trebelliano S. C. & legi Falcidiæ locum esse l. 3. & 5. hoc tit. l. vlt. infra. quan. dies leg. ced. l. filiusfamilias. D. ad leg. Falcid. nec quod in l. 6. de beneficio singulari dato filijs vt in Falcidiam non imputent fructus medio tempore perceptos, & vt filijs suis non præstent cautionem fideicommissi nomine, nisi duobus casibus quibus & non satisfactio fideiussorum, sed nuda satisfactio præstatur. Nec omittendæ etiam quæ duæ quæstiones definiuntur in l. penult. & in secunda adnotandum tertio casu non transferri ipso iure actiones in fideicommissarium secundum sine restitutione primi, vt l. i. §. de illo & sequen. D. eod. primo & secundo casu transferri sine restitutione. Et in l. vlt. cernas licet parturientē Iustinianum de non detrahenda Falcidia vetante testatore, quod biennio post edidit Cpnstitutione emissa ad eundē præfectum prætorio.

*L. Ad legem Falcidiam.*

**P**ost S. C. Trebellianum datur lex Falcidia, quæ tamen in Digestis præponitur S. C. Trebelliano sanè rectius quia vetustior est lex Falcidia S. C. Trebelliano atque etiam Pegasiano. Lata enim est Augusti temporibus. imò & Augustum eam sanxisse Suda scribit, ut Papiam Poppæam Corn. Tacitus. Trebellianum autem factum est Neronis, Pegasianum Vespasiani temporibus. Duo autem legis Falcidiæ capita proponit Paulus l. i. D. cod. & in propositione primi *ὑὸς ἰούριαι*, verba illa, *vsque ad dodrantem*, quia finis dodrantis finitur secundo non primo capite, & in fine primi illa quoque *ὑὸς ἰούριαι*, *ut hac lege sequenti licebit*, inque eadem primo capite legendum, *ἀρχαίων, is suam pecuniam, suasq; res*. Nam quæcunq; lex testari permittit, de sua pecunia nominatim permittit, ut XII. tab. l. testandi, sup. de testam. l. cum pater. §. mando. D. de leg. 2. *Et quibusque*, id est, quibuscunque siue maribus siue fœminis. Et in secundo quod præcipuum est caput legis, scribendum, *detur legetur*, non *detur legatum*, & infra, *datum legatum erit*, non *legatumve*. Et in eo quod ait *iure publico*, id est, quod eius per leges licebit, ut l. quoties cod. tit. Aliud caput legis Falcidiæ proponitur in l. sed vsusfructus. D. cod. Et aliud in l. successores, hoc tit. Aliud verò quod fingunt quidam, Si quis aliter, &c. non admitto, hoc est, secundi capitis iterationem non admitto.

### LI. De caducis tollendis.

**V**T lex Falcidia de modo legatorum lata est Augusti temporibus, ita lex Papia Poppæa de caducis hereditatibus & legatis. Et lex Falcidia à Iustiniano non quidem sublata, sed valdè recisa est No. de hered. & Fal. Lex autem Papia ab eodem Oratione missa ad Senatū quam posuit sub hoc tit. valdè etiam recisa est. Caduca, ex Vlpiani lib. Reg. titul. eod. ita definitio, quæ iure relicta capaci aliqua ex causa post mortem testatoris ab eo cadunt in fiscum. Dico, capaci. Nam quæ incapaci relinquuntur non sunt caduca, sed pro non scriptis habentur. Di

en, post mortem testatoris, quia hæc sunt quæ directo nomine caduca dicuntur. alia quæ deficiunt viuo testatore, vt si viuo testatore legatarius moriatur, aut condicio legati deficiat, ex lege Papia sunt in causa caduci, id est eodem iure quo caduca, fisco scilicet ob noxia. Dico, aliqua ex causa, causam pro casu accipiens. Sunt autem caducorum casus quinque. Primus, si post mortem testatoris, ex parte heres scriptus aut legatarius ante apertas tabulas vita decesserit. Quod est, antequàm cesserit dies legati, aut dies venerit ad eundem hereditatis. Nãq; is dies ex lege Papia Poppæa incipit ab apertis tabu. l. 44. §. 1. D. de bo. lib. & rectè ait Vlpia ex parte heres scriptus. Nã ex parte scriptus etiã clusis tab. testam. adire hæreditatē potest, quatenus lex Papia ius tantū ad crescendi auferat coheredibus vel legatarijs. Secundus, si post mortem testatoris ex parte heres scriptus vel legatarius ante apertas tabulas peregrinus factus fuerit aut seruus pœnæ, si seruus fisci vel alterius legatum non deficit, sed post apertas tabulas eum domino acquiritur. Tertius, si legatum vel hereditas relicta fuerit cœlibi, & is intra diē C. id est intra diem cretionis à morte testatoris legi Papiæ non paruerit, id est nuptias non fecerit. Quartus, si Latino legatum aut hereditas relicta fuerit, & is intra diē C. id est intra diem cretionis à morte testatoris ius Quiritium consecutus non fuerit, qui duo posteriores casus & ab eodem Vlpiano repetuntur tit. 22. Quintus, si post mortem testatoris condicio legati deficiat exemplo eorum quæ sunt in causa caduci, vel si pendente condicione legatarius moriatur aut seruus fiat pœnæ, non etiam si peregrinus fiat per deportationem, vt l. interdict. D. de condi. & dem. Sextum non admitto, si repudauerit legatum, quia ea tantum fiunt caduca, quæ quis cœpit capere non posse. At quod repudiauit sanè capere potuisset, si voluisset. Idem si tempore exclusus sit vel mortuus post apertas tabulas ante agnitionem legati, l. 4. D. de bonor. poss. Ex his causis hereditates & legata caduca fiunt, quarum delatoribus, quos Suetonius vo-

cat delatores Papiæ legis, idem scribit Neronem quartas tantum pro præmio dedisse bonorum denunciatorum. Quod dixi, caduca ab eo cui relicta sunt cadere in fiscum, rationem nominis declarat simul & causam caducorum introducendorum. Introducenda enim sunt Augusti tempore ærarij augendi & replendi gratia quod bella ciuilia suscepta inter Pompeium & Cæsarem, & inter Pompeium, Lepidum & Brutum exhausserant. Et hanc legis Papiæ caducarix causam Iustinianus ipse proponit initio Orationis suæ, & l. 2. supr. de vet. iur. enucl. & Cor. Tacitus III. Annaliũm. Relatum, inquit, de moderanda Papiæ Poppæa quam senior Augustus post Iulias rogationes incitandorum cœlibum pœnis, & augendi ærarij sanxerat. & eadem ratione augendi in opis ærarij propter onera imperij repertam vicissimam hereditatum Plinius auctor est in Panegyrico. At eodem loco vel libro aliam legis Papiæ rationem Corn. Tacitus adducit, quæ proprie pertinet ad tertium casum, vt bellis ciuilibus amisso incredibili ciuium numero, qui supererant liberis procreandis & ampliando ciuibus imperio operam darent, lege Papiæ propositas esse pœnas his qui cœlibes essent, ne hereditates aut legata caperent nisi intra dies C. à morte testatoris veras facerent nuptias, non simulatas, vt i. 30. D. de ritu nupt. & nisi delatæ hereditates essent soluendo impares, quia lex comoda cœlibum minuere voluit non incommoda, l. 72. D. de hered. institu. aut hereditates propinquorum, vt Hermias scribit i. cap. 9. quo loco Epiphanius interpres perperam relegationem omisit: propositas item orbis, ne plus dimidia caperent, eodem Hermia auctore, & D. Ambrosio. Nec omittendum quod Dio notat LVI. tempore latæ legis Papiæ tantam fuisse penuriam ciuium, vt Consules ipsi Papius & Poppæus cœlibes, & orbi essent, non inuentis maritis aut patribus idoneis qui eis anteponebantur. Nam in honoribus adipiscendis, vt idem ait LIII. patres orbis, mariti cœlibibus anteponebantur. Ad eundem tertium casum atq; etiam ad quartam

rum pertinet quod idem Vlpia. scribit tit. de Latinis, Latinos naue fabricata ius Quiritium adipisci ex edicto D. Claudij, quo ex loco ita legendum est apud Suetonium in Claudio. Naues mercaturæ causa fabricantibus magna commoda constituit pro condicione cuiusque, ciuibus vacationem legis Papiæ Poppææ, id est vt cœlibatus vel orbitatis pœnas nō timerent, Latinis ius Quiritium, vt hereditates & legata caperent, & fœminis ius quatuor liberorum. Vt verò vicesima hereditatum liberis aut parentibus remittitur heredibus institutis, auctore eodem Plinio, & l. vltim. supr. de codic. iisdem electo iure testamenti remittitur transire ad ius codicillorum, ita quæ legata aut portiones hereditatis post testamentum aut mortem testatoris deficiunt, lex Papia noluit recidere in fiscum, sed remanere apud liberos vel parentes heredes institutos vsque ad tertium gradum antiquo iure, vt in §. 1. huius Orationis, & apud Vlpian. tit. 1. 17. 18. & l. 29. §. vltim. D. de lega. 2. l. 5. D. de vulg. substitu. At Iustinianus quod lex Papia solis liberis & parentibus dedit, dat omnibus heredibus institutis, restituito iure antiquo, & derogata hac in parte lege Papia: cui cum dedissent causam bella ciuilia, consequens erat firmissima pace Reipublicæ reddita, eaque restaurata in amplitudinem dignitatemque pristinam, vt ea tandem lex quoque recideretur, cessarentque commoda fiscalia vt vicesimæ, ita caducorum ex suprascriptis causis quæ fisci tenuitas rerumque necessitas extorserat. & ita eleganter Lucius Valerius apud Liuium XXXIII. Quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales & temporibus ipsis mutabiles esse video, quæ in pace latæ sunt, plerumque bellum abrogat, quæ in bello pax. Denique Iustinianus consummauit, quod alij retro principes inchoauerant. Nam & alij ante Iustinianum multa emendarant capita legis Papiæ. Seuerus caput quo præscripta erat ætas habendi liberis, vt Terullianus scribit in Apologetico, legibus Iulij & Papij patremfamil. cogentibus liberos suscipere & ma-

trimonium contrahere, vt ait, non etiam filium fa. l. 27. D. de rit. nupt. & ætas quæ fuerit Vlp. explicat titu. XVI. & Hermias supradictò loco. Constantius verò profus sustulit pœnas cœlibatus & orbitatis, l. i. inf. de inf. pœn. cœl. motus rationibus relatis ab Euf. bio l. i. de vira Constantini. Et ad Septimium Seuerum igitur & Constantinum optimum maximumque refero, quod Iustinianus ait anteriores principes multa capita legis Papiæ emendasse, non ad leges quas adducit Accursius quæ ipsius Iustiniani sunt non anteriorum principum. Idem addit, & pleraque capita legis Papiæ per insuetudinem interisse. Et Iurisconsultis displicuisse caducorum ius adeò vt interpretationibus suis quoad eius fieri potest semper caduca coerceant, & cõtra fiscum respondeant si vel minima subsit dubitandi materia, quod fieri non ineleganter significat, l. non putò D. de iur. fisc. & ita in causis odiosis plerunque versari solent, itaque fuisse versatos in causa caducorum, indicant l. interdict. D. de cond. & dem. l. quæret, de verb. sign. l. vlt. de his quæ vt in. d. l. Di. §. vlti. de iure codicil. l. 2. de aur. & argen. leg. Ipsos quoque testatores ait suadentibus scilicet Iurisperitis ne fierent caduca substitutiones introduxisse, maximè reciprocas (quia certè substitutiones antiquiores sunt caducis) vt l. 5. D. de vulg. substi. l. i. titu. seq. à bonis suis fisci remouendi causa, nec abs re, in l. miles §. vlt. de legat. 2. ait, ad coheredes substitutos, quod hi aduersus fiscum duplici iure nitantur, iure ad crescendi antiquo & iure substitutionis. Lex enim Papia ius ad crescendi tollebat non ius substitutionis, ideoque remedio substitutionis introducebatur ius ad crescendi, & excludabantur caduca. Denique quod egerunt aliqua ex parte priores principes vt caduca minuerent, quod & Iurisconsulti & testatores imbuti à Iurisconsultis, etiam sollicitius egerunt ne fierent caduca, vt paulatim solent iura senescere, id tandem Iustinianus confecit hac parte legis Papiæ caducariæ penitus abrogata, & retento tantum illo capite legis Papiæ quo vt Vlpianus ait titu. de



dominijs, ereptoria, id est quæ vt indignis auferuntur, plerunque in fiscum cadunt, & retenta lege Iulia caducaria quæ vltimum locum fisco dedit, vel populo quasi parenti omnium in bona vacantia, §. cum autem, & §. pen. infr. & ita Iustinianus, vt de Marco scribit Capitolinus, vt de Antonino l. Paula. §. 1. de legat. 3. vt de quolibet bono principe Plinius, in causis compendij fisco suo non pepercit aut fuit. Bonus princeps post omnes est, vt eleganter ait Cassiodorus in formula Comitum Priuatar. Sustulit autem primum Iustinianus materiam caducorum, constituens vt quilibet heres statim à tempore mortis testatoris adire hereditatem possit, & vt dies quoque legatorum ab eo tempore cedat, nec expectetur apertura tabularum aut aditio hereditatis, nec desideretur scientia legatarij, l. vlt. infr. quand. dies lega. ced. Lex Papia exigebat aperturam tabularum, & hoc S. C. circa eam facta concedebant, nec tamen exigebat aditionem hereditatis, vt Paulus significat lll. Sen. titu. de legat. puto nec scientiam. Legatorum, inquam, quæ purè vel in diem certum relicta sunt, exceptis quibusdam, de quibus in §. libertatibus. Eorum enim quæ sub condicione vel in diem incertum relicta sunt, ita semper obinuit vt dies cederet cum condicio existeret, vel dies incertus, qui condicionem ideo faciat quod possit non cedere. Nec enim omnis dies incertus condicionem facit, sed & quædam legata sub incerto die relicta pro puris habentur. Et ita sublata materia, causa & fundamento caducorum in §. cum igitur, ne deinceps caderent in fiscum quæ relicto testamento vel codicillis aliqua ex causa expirarēt & deficerent in §. & cum triplici. ea quæ deficiunt ex temporibus deficiunt trifariam dispertitur. Vel enim deficiunt statim initio faciendi testamenti, vel post testamentum factum viuo testatore, vel post mortem testatoris. Ea quoque nominibus ita distinguit sicutus veteres leges, vt quæ deficiunt ab initio, pro non scriptis esse dicat, quæ post testamentum viuo testatore in causa esse caduci, quæ post mortem testatoris directio & proprio no-

mine esse caduca. Etiam eadem distinguit & separat ex iure quod propriè in quoque genere seruatur. Idem verò ius est hodie quod fuit ante, quod fuit semper, vt quæ pro non scriptis habentur, non recidunt in fiscum. Nec enim ad ea pertinent leges Papiæ caducariæ, & eleganter Plinius I I. Epistol. In codicillis qui pro non scriptis habentur delatori locum non esse, sed pertinent ad substitutum, §. in primo, l. i. D. eodem. vel ad coniunctum, id est coheredem vel collegatarium, vel si nullus sit substitutus aut coniunctus, apud heredem scriptum remanent vel heredem legitimum, vt l. 55. §. vltim. D. de lega. 2. vel à legatario retinentur à quo relicta sunt, vt l. penultim. §. Scæuola, D. eodem. & quidem sine onere, quia cū principale relictum pro non scripto sit, consequens est, & onus ei iniunctum pro non scripto esse tanquam nemini iniunctum. & duo tantum sunt casus quibus apud eos residet cum onere quæ pro non scriptis habentur, quos notat Accursius, vnus est ex S. Consulto Liboniano, alter receptus est fauore libertatis. Ne adiungas tertium ex l. ciuitatibus, §. i. de legat. i. quia non Scij portionem dicit esse pro non scripta, sed Scium qui repudiavit pro non scripto habendum, id est Titium, solum scriptum videri ex assè. Sed de his satis. Quæ sunt in causa caduci, id est quæ post factum testamentum viuo testatore deficiunt morte naturali heredis aut legatarij, vel defectu conditionis, ea hodie in ea causa non sunt, sed pertinent ad substitutum, vel coniuncto ad crescunt, vel remanent apud heredem vel legatarium, vel alii à quo relicta sunt. Non dico ea transmitti ad heredem eius cui relicta sunt, quia viuo testatore neq; dies legatorum cedere, neque transmissioni locus esse potest, & hoc tantum distant quæ sunt pro non scriptis, ab his quæ sunt in causa caduci, quod illa apud eos à quibus relicta sunt, resideant sine onere, hæc cum suis oneribus. Nam & ex lege Papiæ in fiscum redigebantur cum suis oneribus, & onera dicimus onus præstandi legati aut fideicommissi, onus præstandæ libertatis, onus modi, onus cōditionis

nis dandi vel faciendi, si modo factum per alium imple  
 ri possit, §. pro secundo, §. ne autem. Nam condicio ca-  
 sualis, vt rectè Accursius, non est onus. De his quæ pro-  
 prio nomine dicuntur esse caduca, iam supra dixi hodie  
 nulla talia ex l. Papia esse caduca, quia nihil eorum quæ  
 r. Inquuntur his modis quos lex Papia introduxit, de-  
 ficere potest, cum apertura tabularum nulla habeatur  
 ratio. Nam & ex parte heres scriptus ante apertas tabu-  
 las adire hereditatem potest, & legatorum quæ purè  
 vel in diem certū relicta sunt, dies cedit ante apertas ta-  
 bulas, sed obseruanda est differentia quæ est hac in re in-  
 ter hereditates & legata. Nam legatorū quæ pura sunt,  
 diem dicimus cedere statim à morte testatoris, & ideo  
 post mortem testatoris moriente legatario, nec agnito  
 nec repudiato legato legati petitionem in heredem ei⁹  
 transmitti, repudiatum legatum ad substitutum perti-  
 nere, vel cōiuncto ad crescere, vel remanere penes eum  
 à quo relictum est. Hereditatis autem diem nō dicimus  
 cedere à morte testatoris, sed adiri hereditatē posse sta-  
 tim à morte nondum apertis tabulis, & aditam trans-  
 mitti in heredem, non aditam vel non agnitam non  
 transmitti sed ad substitutum pertinere vel cōiunctū,  
 vel ad legitimum aut honorariū heredem vel fiscum:  
 Vetus regula est, hereditatem non aditam nō transmit-  
 ti, à qua tamen excipiendus est casus l. si infanti, & l. cū  
 antiquioribus, supra de iur. deli. & casus tit. scq. & casus  
 l. ventre, D. de adq. her. & l. si quis in graui, §. penul. De S.  
 C. Silan. Et hæc de priori parte huius Constitutionis di-  
 cta sufficiant. Posterior est de cōiunctis & disiunctis he-  
 redibus vel legatariis, quæ non sine causâ prioris vicini-  
 tatem sequitur. Nam cessante iure caduci & fisco exclu-  
 so, cōsequens est cōiunctum vel disiunctū coheredem  
 vel collegatarium admitti iure ad crescendi in portio-  
 nem socii non tantum quæ repudiatur, sed & quæ post  
 testamentū vel post mortem testatoris deficit aliqua ex  
 causa. Quamobrem & Paulus ipse scribens ad leg. Papiā  
 de cōiunctis tractat l. re cōiuncti, de legat. 3. l. triplici.

de verb. sign. Lex Papia tollebat ius antiquum, id est ius adcrefcendi, ius coniunctionis simplex, exceptis certis casibus fisco prælato. Coniuncti autem dicuntur hoc loco re & verbis coniuncti, disiuncti re tantum coniuncti, hi quoque sunt coniuncti, sed oppositi illis frequētius disiuncti & separati dicuntur, quia, ut ait, ab ipso testatoris sermone apertissimè discreti sunt. De verbis non etiā re cōiunctis hoc loco nō agitur, quia & hæc cōiunctio nullius momenti est, nisi quando pro duplici accipitur ex mente defuncti. Qui enim verbis per se cōiuncti sunt, semper habent partes, d. l. re cōiuncti, id est omni iure & antiquo & nouo, & omni genere legatorū siue per vindicationem siue per damnationem legatū sit, & omni tempore, id est non concursu tantum, sed etiam statim ab initio. Illi qui re & verbis, aut re tantum coniuncti sūt, non semper habent partes ab initio, sed concursu tantū, aut ne concursu quidem. Namque inter eos qui re & verbis coniuncti sunt, & eos qui re tantum, hæc est differentia, quod si re tantum coniunctis legatum sit per vindicationem, concursu partes faciunt, idemque si per præceptionem, l. i. supr. de legat. Si per damnationem singulis solidum debetur, nec concursu partes faciunt. Idemque si sinendi modo, vel si per fideicommissum. Quod tamen hæc constitutio abrogat, dum ita constituit ut quoquo genere eadem res disiunctim duobus aut pluribus relicta sit, singulis partes debeantur, nisi perspicue appareat testatorem singulis solidum dari voluisse quæ exceptio ex hac Constitutione à Triboniano inserta est, l. si pluribus, l. filiusfam. §. vlt. ff. de leg. i. l. i. §. vlt. de leg. 2. l. 20. de leg. 3. l. duos, de usufr. leg. Quod si legatarij re & verbis coniuncti sint per vindicationem iure antiquo quo utimur non nisi concursu partes faciunt, l. coniunctim, de legat. 3. si per damnationem, ab initio partes habent, l. planè, §. si coniunctim, de lega. i. sicut hi qui verbis tantum coniuncti sunt, & pars non concurrentis apud heredem remanet. Ac præterea vera est l. cōiunctim, secundum ius antiquum, & quæ vera l. planè, §.

si con-

si coniunctim. secundum legem Papiam, ex qua pars non concurrentis coniuncti caduca fit, siue per vindicationem, siue per damnationem legatum fit. & tamen ex eadem lege disiuncti per vindicationem pars si deficiat, caduca non fit, sed adcrefcit socio. & ratio differentiae haec, quia singulis qui disiuncti sunt solidum ab initio palam legatur, & ius adcrefcendi nihil aliud est quam retentio solidi concurrente socio. Coniunctis autem singulis tacite non palam solidum legatur. Ideoque non concurrente collegatario, solidi quod palam eis relictum non est, retentionem non habebant, id est, ius adcrefcendi non habebant, sed portio non concurrentis caduca fiebat, & haec ratio etiam efficit hodie restituto iure antiquo, ut coniuncto legatario, non adcrefcat inuito, id est ut inuitus non retineat quod ei palam relictum non est, disiuncto adcrefcat inuito, id est ut inuitus retineat totum quod ei palam relictum est, nec scindat legatum.

Et hic notandae sunt tres differentiae quae sunt inter heredes & legatarios. Pars coheredis quae repudiatur vel quae deficit ex ea causa, ex qua lege Papia fiebat caduca, vel in causa caduci, iure civili, id est ex XII. tabul. iure antiquo & ipso iure, tacito iure coheredi vel coheredibus, qui portiones suas agnouerunt pro portionibus hereditarijs adcrefcit, vel heredibus eorum, siue coniuncti coheredes fuerint, siue disiuncti. Pars quoque collegatarij collegatario adcrefcit si disiuncti fuerint, ex hac constitutione, sublata hac in re veteri differentia legatorum per damnationem & per vindicationem. itemque si coniuncti fuerint per vindicationem, l. si duobus, §. vltim. l. legatum, §. l. l. planè, §. si duobus, de lega. l. si seruo sub. de statulib. at non etiam si coniuncti fuerint per damnationem, l. 7. de legat. 2. l. si duobus, in princ. l. huiusmodi. §. si Titio, l. planè, §. si coniunctim, de legat. 1. quam differentiam legatorum non inuenio esse sublata. Item coheredi coniuncto vel disiuncto adcrefcit inuito & ignoranti. Coniuncto collegatario non adcrefcit inuito. Disiuncto adcrefcit inuito. Item coheredi coniuncto

vel disiuncto adcrefcit cum suo onere, & coniuncto col-  
 legatario fimiliter, ac difiuncto fine onere. Vt autem co-  
 heredibus adcrefcit proportione hereditaria, l. liber, §.  
 cum quis, l. fi ita quis heredes, D. de her. infi. ita collega-  
 tarijs proportione legati, l. Mæuius, de leg. 2. & ita in hac  
 Conftitutione, pro virili, exaudire oportet pro virili,  
 proque ratione legati cuiusque. Et fi quidam heredes  
 fint cōiuncti, quidam difiuncti, vt in hac fpecie, Primus  
 heres efto, Secundus heres efto, Tertius & Quartus he-  
 redes funto. d. ficiēte Primo vel Secūdo adcrefcit omni-  
 bus, deficiente Tertio foli Quarto, deficiente Quarto fo-  
 li Tertio, videlicet vt pofuimus cum omnes fine parti-  
 bus infiituti vel fubfuituti funt, vt l. heredes, D. de her. infi.  
 fi. Nam fi quidam ex partibus difiunctim, quidam fine  
 partibus coniunctim, hoc modo, Primus ex quadrante  
 heres efto, Secūdos ex triēte heres efto, Tertius & Quar-  
 tus heredes funto, Tertio deficiente omnibus adcrefcit,  
 quia Tertio Quactus cōiunctus eft nudis verbis, q̄ con-  
 iunctio nullius momenti eft, nō in re parteve certa, l. itē  
 quod, §. 1. D. cod. Coniuncti quod adcrefcit quali fuum  
 occupant, & merito igitur ab eo ceteros repellunt, dif-  
 iuncti quali alienum. igitur quod eft alienum, foli tibi  
 vindicare non poffunt, §. hæc ita, & quod dicitur, difiun-  
 ctus folidum quali fuum fuo iure retinere, in §. fin au-  
 tem ad deficientis. ita verum eft, fi folus fuperfit nullo  
 concurrente socio, nō fi alios habet socios in totum vel  
 in partem, & ide puto effe conftituendum fi quidā colle-  
 gatarij permiffi funt, alij difiuncti, alij coniuncti per vin-  
 dicationem, καὶ οὐκ ἄρδωαίικρ πέρχ λεγθρ, μό-  
 λις ἢ ταῦτα εμαυτόρ β θίασμα παρὰ τῶ τ πα-  
 ρατιλαρ μέθοδορ.

LII. De ijs qua ante apertas tabulas heredita-  
 rem tranfmittunt.

Nunc

**N**Vnc non aliam ob causam hunc titulum dat Iustinianus, quam quod Constitutionis in ea positę mentionem fecerit titulo superiore §. in nouissimo, qui alioquin cum fortē non dedisset, propterea quod de apertis tabulis loquitur, quas aperiri hodie non est necesse, vt adiri possit hereditas, vel vt dies legatorum cedat, & derogatio est legis Papię, quam Iustinianus penitus abrogauit in his quę deficiunt ante mortem testatoris vel ante apertas tabulas. nec tamen inutilis Cōstitutio est, cum ex ea quę ita concipitur definitio, liberos à parentibus sibi testamento relictam hereditatem ante apertas tabulas transmittere ad liberos suos, hodie ita concipiatur, liberos à parentibus sibi testamento relictam hereditatem etiam si eam non adierint vel adquisierint, transmittere in liberos suos, quod procedit indistinctē siue liberi quos parentes heredes scribunt sui parentibus siue extranei heredes sint, vt Constitutio ait, Siue sciuerint sibi delatam hereditatem, siue ignorauerint, & siue ex parte scripti fuerint siue ex asse, cum tamen ex lege Papię extranei ex parte scripti non transmittant hereditatem ante aperturam tabularum, atque etiam, vt ait, si inuicem substituti non sint, vt perinde excludatur lex Papię atque si inuicem substituti fuissent, vt §. i. supra ait. proximo. Et præterea Constitutio ait idem obtinere in legatis quę liberis parentes relinquunt, quę tamen lege Papię caduca fierent mortuis legatarijs ante apertas tabulas. Beneficium igitur concessum suis vt ex parte scripti transmittant non aditam hereditatem, l. 3. sup. de iur. deliber. Hęc Constitutio porrigit ad liberos non suos. Et notandum huic Constitutioni non esse locum in liberis heredibus extraneis ab intestato venientibus, l. 2. inf. de S. C. Oph. sed ex testamento duntaxat,

*LIII. Quando dies legati vel fideicommissi cedat.*

**H**VNC etiam titulum non aliam ob causam dat, quam vt ex veteribus Constitutionibus confirmet, quod.

quod dixit tit. l. 1. §. in nouissimo, & seq. de cessione diei legatorum & fideicommissorum. & de annuis legatis relictis priuato homini, quod ait l. 1. initio cuiusque anni ea peti posse, intelligo & ab heredibus legatarij peti posse, quia post mortem testatoris initio cuiusque anni eorum legatorum dies cedit. & cœpti cuiusque anni legatum si initio eius vixerit legatarius, transmittitur in heredem. & hoc est quod ait l. 4. D. de annu. legat. vel q̄ idem est, in annos singulos plura esse legata, primi anni purum, sequentium annorum condicionalia, idem l. 5. & l. in singulos, eod. tit. l. 1. §. si in annos, ad l. Falcid. l. 10. 11. 12. quando dies leg. ced. l. 45. supra de episc. & cler. nec obstat l. si in annos, D. de condit. & dem. in cuius specie non dixit testator, in annos singulos, sed summam certam legauit in annos X. completos sc̄ licet, secus, si vsufr. Ex alijs legibus huius tit. intelligimus legati aut fideicommissi petitionem in heredem ita demum trāsmitti, si dies eius cesserit, qui utique cedit à morte testatoris, si purum aut in diem certum relictum sit, à die impletæ conditionis si condicionalè fuerit vel in diem incertum qui & aliquo casu non cedere possit, nec exigi scientiam nec agnitionem legatarij nec traditionem rei legatæ nec aditionem hereditatis. Et condicionalè non esse legatum ita relictum, cum ad legitimum statū peruenerit, mora enim suspendi, non condicione. & longā est differentia inter conditionem & moram, l. 1. de lega. 2. l. heres, de cond. & dem. l. pen. hoc titu. l. quod purè, D. eod. & statum vocat, quod Græci ἀκμῆν, id est iustam ætatem, vt l. cum pater, §. curatoris, de lega. 2. & qui virilis vigor dicitur, l. 1. de minorib. ad differentiam vigoris pubentis, l. 4. supr. qui test. fac. poss. Igitur post mortem testatoris mortuo legatario ante annum XXV. legati petitio in heredem transmittitur. nec obstant l. si Titio, D. eod. & pleræq; aliæ similes, in quibus, vt Io. docuit rectè, ab initio legato iniicitur condicio hoc modo, Titio cum erit annorum tot, do lego. In hac verò initio purè legauit, hoc modo, Illi X. do lego, deinde solutioni diem



ediecit hoc modo, Quod legatum accipere debeat cum ad legitimum statum peruenerit.

*LIIII. Ut in possessionem legatorum vel fideicommissorum seruandorum causa mittatur, & quando satisfdari debeat.*

**N**ihil aliud restat ex tractatu de legatis & fideicommissis, nisi porro vt dicamus de satisfdatione legatorum aut fideicommissorum seruandorum causa, quam heres legatarijs aut fideicommissarijs postulantibus qui legatum aut fid. sperant præstare debet. Postulant etiam legatarij à prætore vel præside sedente pro tribunali tantquam actionem vt scilicet heredem iubeat cauere de legato aut fid. datis fideiussoribus. Formula cautionis hæc est. Quod mihi ex testamento vel codicillis L. Titij dari fieri oportet, id quibus diebus L. Titius dari fieri voluit, iisdem dari fieri ve: aut quanti ea res est, tantam pecuniam rectè præstari, dolumque malum huic rei promissionique abesse abfuturumque esse, hæc spondesne? Stipulatur legatarius, promittit heres à quo legatum relictum est, adpromittit fideiussor quem dat heres. Herede autem non obtemperante iussu prætoris, legatarius mittitur in possessionem omnium rerum quæ in causa hereditaria sunt dolove malo heredis esse desierunt, aut in possessionem certæ rei hæreditariæ, vt l. 2. infr. qui potio. in pign. quo genere pignus prætorium constituitur, vt eas res legatarius teneat pignoris iure, l. 3. & 5. non proprietatis, nec tam possessionis quam custodiæ perpetuæ causa. Fit etiam missio vno casu ex Constitutione Antonini in res heredis proprias, si post sex menses quam adiuuit prætorem legatarius is neque satisfdedit neque legatario satisfecit, l. 6. Et in id quod est in Rubrica, *Quando satisfdari debeat*, notandum est post mortem testatoris & aditam hereditatem postulanti legatario satisfdari debere etiam si nondum dies legati cecidit, modo constet legatum

gatum esse relictum, licet de iure eius non constet, quæ de re prætor cognoscit summam non subtiliter, l. 1. hoc quamputo significari, l. 3. § 1. D. eod. l. hæc stipulatio. §. vltim. D. vt leg. no. cau. atque etiam si modò non sit remissa à testatore, quoniam Constitutio Marci & Commodi, id est, l. 2. cuius fit sæpè mentio in Pandectis, eam quocumque indicio voluntatis remitti permisit, alioquin valeret regula, l. nemo. D. de leg. 1. quæ & hodiè valet in cautione quæ etiam ex edicto prætoris vel ex S. C. de usufructu interponitur, l. pen. hoc tit. l. 1. supr. de usufr. l. 8. D. de usufr. ear. rer. &c. quia deficit Constitutio quæ hoc testatori permisit. Et hic est finis huius tractatus de successione quæ iure civili competit ex testamento, de quibus his quæ testamento vel codicillis relinquuntur.

*LV. De suis & legitimis liberis & ex filia nepotibus ab intestato venientibus.*

**A** hoc titulo incipit tractatus de hereditate intestatorum quæ iure civili defertur, & primo quidem loco suis & legitimis liberis, siue naturales sint siue adoptiui, l. 5. siue nati tempore morientis siue postumi, l. 4. siue ex parente ingenuo siue ex libertino, l. 7. Et hi quidè sui liberi ipso iure heredes existunt etiam ignorantes & inuiti, l. 3. §. pen. D. de suis & leg. her. & præferuntur matri defuncti, d. l. penult. imò & filij qui nec sui nec legitimi sunt, sed tanquàm legitimi ex S. C. Orficiano ad hereditatem matris vocantur, ex d. l. pen. præferuntur auix, id est matri defunctæ matris, quia liberis quam parentibus debetur hereditas. Item sui liberi etiam si ignorantes se heredes extitisse naturæ concesserint, hereditatem parentum transmittunt ad heredes quoscumque, l. 8. hoc titu. l. 3. l. cum antiquioribus, supr. de iure delib. Rectè autem in hoc titu. *de suis & legitimis liberis.* nam & si quicumque legitimi sunt, non sint sui, omnes tamen qui sunt sui & legitimi sunt, l. de bonis. §. 1. D. de Carbon. edict. l. 2. D. vnge legitimi, l. 1. §. sed videamus. D. de succ. edic. l. 1. C. §. 1. D. de grad. & adfin. l. filius. D. de suis & leg. hered. l. vlti.

ulti. supra de codicil. & contra qui non sunt sui liberi, nec legitimi sunt, l. scripto. D. unde liberi, veluti filij emancipati, vel naturales tantum, vel spurij. Notandum inter suos iure civili, id est ex XII. vocari ad intestati successionem nepotes ex filio vel filijs iam mortuis pariter cum filijs defuncti superstites, licet legitimi tantum sint non sui, in stirpes, id est in portionem patris sui, non in capita, eadem successionis ratione seruata si non existentibus filijs plures sint nepotes ex diuersis filijs varij numeri, l. 2. & 3. quam & prætor sequitur, l. si in adoptio nem. §. vlt. D. de bonor. possi. cont. tabu. l. si nepotes. D. de coll. ho. Imò & ex Constitutione Valentiniani & Theodosij nepotes ex filia inter suos in locum & portionem matris cum deminutione trientis, & inter legitimos cum deminutione quadrantis, l. 4. C. Theod. de leg. her. & Iustiniani, l. vltim. & Nouel. 8. & 118. sine deminutione, licet neque sui sint, neque legitimi sint. Illud etiam notandum est, l. i. huius tit. quæ non est de liberis, sed de agnatis ex transuerso, id. eo statim positam fuisse initio huius tractatus, vt intelligeremus in successibus intestatorum quid iuri civili & iuri prætorio interesset, quod collata & coniuncta l. 2. supra Qui admitti. apparbit statim. Ius prætorium per se solum esse temporarium, Ius civile perpetuum.

LVI. *Ad S. C. Tertullianum.*

POst liberos mater vocatur ad hereditatem defuncti intestati, tanquam legitima heres, non ex XII. tabul. quia cognata non agnata est, nisi in manum viri conuenerit, sed ex S. C. Tertulliano: & retrò ad hereditatem matris intestatæ filij vocantur tanquam legitimi heredes, non ex lege XII. sed S. C. Orphitiano. Antiquius est Tertullianum Orphyriano. & ideo de S. C. Tertulliano titulus præcedit, & ex hoc quidem mater cuiuscunque ætatis filio succedit, cum tamen ipse matri ex S. C. Orphitiano si infans sit per se non succedat, sed per tutorem vel patrem, l. i. hoc tit. l. si infanti, supra de iur. delib.

delib. l. seruo inuito §. si pupillo. D. ad Trebel. Item ex S. C. Orphitiano filius excludit parentes & fratres consanguineos matris, l. penultim. suprà titu. prox. l. 1. & 4. titu. seq. Ex S. C. Tertulliano pater excludit matrem, aut iure civili si in emancipatione manumissor fuerit, aut iure prætorio si non fuerit manumissor, l. 2. hoc titu. l. 10. D. de suis & legitimis heredibus. Item fratres consanguinei, siue soli sint siue permisti sororibus consanguineis excludunt matrem, non vterini aut naturales, l. Lucius, D. de vulg. subst. Sorores autē consanguinæ si solæ sint pariter admittuntur cum matre ita vt ferant partem dimidiam & mater alteram dimidiam. At ex l. vltim. huius titu. cum qua coniungenda est l. vltim. supr. de iur. de lib. non est differentia inter fratres consanguineos & vterinos, & cum fratribus quodque mater vocatur in virilem, & ex ea in l. mater, hoc tit. Tribonianus scripsit, sororibus & fratribus, cum in Cod. Theodos. tantum esset scriptum, Sororibus, vt Anianus legit, & lex ipsa indicat, vel fratribus tantum pro sororibus. quia ante hanc l. vltim. fratres omninò matrem excludebant. Sed postea Iustiniano placuit, vt & cum sororibus mater veniret tantum in virilem, No. 22. & nouissime concurrentibus fratribus & sororibus & patre & matre longè aliter quàm definiat, d. l. vlti. ad Tertyl. & l. vlti. infr. Com. de success. vt omnes succederent pro virilibus portionibus, & viriles retinerent plenas sine deductione vsusfructus. Nouel. 84. & 118. & hoc si vidua permanisset mater. In ea quæ iterum nupsit, post annum luctus, sublata l. mater. hoc titu & l. 3. §. vltim. suprà de secund. nupt. vt variauerit Iustinianus, docui Nouel. 2. De ea quæ iterum nupsit intra annum, est d. antaxat in hoc titu. l. 4. Duo sunt casus quibus cessat S. C. Tertullianum, vnus l. 3. alter l. pen.

*LVII. Ad S. C. Orphitianum.*

**P**ost S. C. Tertullianum sequitur Orphitianum, ex quo filij pari iure vocantur ad hereditatem matris in ætate

testatæ exclusis omnibus agnatis matris, vt mater ad hereditatem filiorum intestatorum ex S. C. Tertulliano. Et notandum quod ait l. penul. suprâ de suis & leg. lib. filios matri ipso iure succedere, quod non est citra aditionem vel gessionem pro herede, vel cum dicimus suos ipso iure heredes existere, l. in suis, de suis & leg. here. l. penul. §. penul. de bon. lib. sed citra cretionis solemnitatem quæ hodie sublata est, & citra bonor. possessionem, l. 3. hoc tit. quia non prætoris, sed S. C. Orphitiani beneficio admittantur ad hereditatem matris, l. 1. Cod. Theo. de leg. her. l. 1. C. Theod. de cert. vel bonor. poss. quod etiam de suis heredibus dicitur & de legitimis omnibus heredibus & de testamentarijs dici potest, l. 13. supr. de iur. delib. l. 7. D. de inoffic. test. l. 4. tit. seq. l. omnium, sup. de testamen. Eam verò non aliter acquirunt quam si adierint vel se pro herede gesserint. Paulus IV. Sent. cod. titul. Filius maternam hereditatem eandemque legitimam nisi adeundo quærere non potest. Et quam ita non adquisierunt, sanè in heredem non transmittunt, sed deficientium portio ad crescit reliquis qui adierunt, vt in speciel. 2. huius titul. l. si ex pluribus, D. de suis & legitimis hered. vel hereditas redit ad agnatos defunctæ matris. Nec obstat l. 1. suprâ tit. § 2. quia de testamentarijs heredibus est, non de legitimis, nec cum sit noua a usim eam producere ad legitimos. fateor tamen eos si moriantur intra annum, scientes sibi esse ab intestato delatam hereditatem matris ius deliberandi transmittere ad heredes, l. cum antiquioribus, supr. de iure deliber. vt hic rectè notat Accursius.

*LVIII. De legitimis heredibus.*

**P**OST suos heredes iure ciuili ad hereditatem in genitorum vocantur legitimi, id est agnati ex lege XI I. tab. vel ex lege Cornel. ac primum quidè consanguinei, id est fratres & sorores qui quæve in ciuidem patris cum is moreretur potestate fuerunt, l. 4. supr. de suis & leg. lib. l. 1. 3. 6. hoc titu. excluso patre & matre vt olim obtinuit,

vt hodie obtinet simul admissis omnibus pleno iure pro virilibus portionibus, ex Nouel. 118. Et hi quidem fratres vel sorores præferuntur filijs fratrum vel sororum, iuxta l. 3. & l. penultim. §. vltim. hoc titu. quod fuit ius vetus, iuxta Nou. Iustiniani filij fratrum & sororum repræsentant vicem patrum suorum vt pro stirpibus concurrant cum fratribus & sororibus defuncti vel defunctæ, item que vt excludant defuncti fratres ex eodẽ patre tantum vel ex eadem matre tantum, si pater eorum fuerit defuncto frater ex eodem patre & ex eadem matre, itemq; vt excludant patruos, auunculos, amitas, materteras defuncti intestati. Et his tribus casibus exceptis in linea collateralis non est repræsentationi locus, & aliter quàm in linea directa semper proximior inferiorem excludit, & hereditas distribuitur in capita non in stirpes. Notandum est quod ait d. l. 3. consanguinitatis iure etiam fœminas ad legitimam hereditatem admitti. quod ex lege XII. tab. obtinuit etiam in omni iure agnationis perinde atque in iure liberorum. At lex Voconia ultra consanguineas non admisit fœminas ad legitimam hereditatem, id est vt neque agnatis maribus neque sibi inuicem agnatæ succederent. ideoque iuris auctores consanguineos separauerunt ab agnatis in hoc iure hereditatis intestatorum, & agnatos definiuerunt esse virilis sexus personas, l. 2. §. 1. D. de suis & leg. here. quia post consanguineas muliebris sexus personæ licet agnatæ sint, non admittuntur lege Voconia, quæ obtinuit vsque ad ætatem Iustiniani, qui l. penultim. hoc titu. restituit ius antiquum, vt quemadmodum liberi, ita agnati iure legitimo succedant sine vlla discretionis sexus, & sit ius æquabile, vt quemadmodum feminis agnatis agnati succedunt, ita maribus & fœminis agnatis agnatæ ab intestato in infinitum succedant. nec paternum vitium, ex quo, vt ait, secundum Stoicorum sententiam, fœminea proles processit, ipsi proli noceat. Vt autem nulla habita discretionis sexus Iustinianus agnatos admittit eius iuscunq; gradus restituta lege XII. tab. & abolita lege

Voconia, ita paulatim etiam cognatos admittit nulla habita discretione agnationis & cognationis. ac primum quidem fratres ex eodem patre tantum, qui agnati sunt, & fratres vterinos, qui sunt cognati, simul admittit ad hereditatem defuncti fratris intestati sine liberis, l. vlti. hoc tit. l. vltim. supra ad Senatus Cons. Tertullianum, quod ex Nouellis & ex l. vltim. titu. sequen. ita accipiendum est, si defuncto non sint fratres utroque parente cognati, vel horum fratrum filii, hi enim præcellunt, & illos excludunt. Item ex Constitutione Anastasij à Iustiniano approbata & adauçta, fratres emancipati ex rescripto principis reseruato iure legitimarum hereditatum. quod genus emancipationis Anastasius introduxit, vel etiam vt Iustinianus adijcit in l. 13. emancipati alio legitimo modo putà ex X I I. tabul. vel ex Constitutione Iustiniani, fratres, inquam, emancipati licet agnati non sint, & fratres in familia retenti simul admittuntur ad legitimam hereditatem & tutelam & curationem fratris in familia retenti vel emancipati, l. 11. hoc tit. l. 4. supra de legitimis tutor. l. 5. supra de cur. fur. & cum fratribus in familia retentis ex Anastasij quidem Constitutione cum deminutione trientis, vt Theophilus explicat in §. 1. de succ. cog. hodie sine vlla deminutione ex l. vltim. huius tituli. Et excludunt agnatos & patrem defuncti, ita tamen vt si retentus in familia vita decesserit, pater in bonis eius aduentitijs retineat vsufructum totum quem habuit eo viuo, vt l. vltim. §. Vltim. supra ad Tertull. vel si emancipatus sit, in bonis quæ ab eo peruenerunt ad fratres superstites qui in patris potestate sunt, æquè patet hab. t vsufructum totum, l. 13. hoc tit. vel si fratres superstites sui iuris fuerint, vsufructus bessem non quasi aduersum sibi per eos, sed quasi lege concessum, d. l. vlt. §. pen. quod ostendit vt No 118. immutauerit, iam satis adnotauimus supra. Quod autem placet Anastasio vt bona emancipati fratris ab intestato omnibus fratribus deferantur, ab eo l. 13. excipit bona a matre profecta, quæ ad eos tantum fratres perti-

nent qui ex eadem matre sunt. vnde ducitur quod vulgo iactatur, Materna maternis cedere, paterna paternis. Quam Anastasius dedit fratribus emancipatis, id etiam Iustinianus dedit l. vlt. filijs fratrum emancipatorum, vt simul veniant cum filijs fratrum retentorum in familia, hoc quoq; casu non habita discretionis & cognationis, & similiter l. pen. §. vlt. pari iure esse vult filios fratrum & filios sororum, quamuis hi cognati, illi agnati sint. & ita paulatim eo ventum est, vt Nou. 118. penitus tolleretur differentia agnationis & cognationis, quæ & ciuili & prætorio iure recepta erat, abrogata l. 5. 7. 9. huius tit. Iura noua paulatim ampliantur & crescant, l. 11. §. si rem, in fin. de leg. 3. & vetera æquè sic diffuuntur melius quam distinduntur. Videnda ad hæc sunt quæ de l. 1. & 11. scripsi Obs. 18. cap. 18.

### LIX. *Communia de successione- bus.*

QV I D his verbis significatur? an proponi sub hoc titulo communia quæ sunt de successioneibus ex testamento & ab intestato? minime. nec enim in eo vlla lex pertinet ad successionem testamentariam. an igitur quia initio huius libri dixit de successioneibus intestatorum quo iure prætorio deferuntur, id est de bonorum possessionibus quæ dabantur olim per septem gradus, hodie per quatuor, postea verò dixit de hereditatibus intestatorum quæ iure ciuili deferuntur agnatis solis. gentilitio iure desuetudine abolito. ac primum quidem suis, deinde consanguineis, tum reliquis agnatis, nunc proponit communia quæ sunt vtriusque successionis ciuilis & prætorix, vtriusque iuris ciuilis & prætorij, quod & ita nominatim est expressum l. 2. 3. 5. 10. & in l. 7. nulla successio, id est, neq; ciuilis neque honoraria, quo modo etiam explicanda est l. 4. coniuncta l. liber. supr. de pet. here. & l. Arianus. infr. de lib. cau. quia & apud prætorem seruus pro nullo habetur, l. 1. D. de iur. del. l. nullo, D. ad legem Corneliam de fal. Nemo etiam dubitat,

quin-



quin regula l.8.pertineat ad vtramque successione[m] ab intestato. itemque definitio l.9. quæ S.C.Claudianum ostendit non perinde locum habere in libero homine atque in libera muliere. Nec minus communis est l.6. nã quod in ea est de auunculo, idem dici de patruo potest. itemque quod in l.1. de bono. possessione, idem de legitima hereditate ex Anastasij Constitutione. Sola est l.vlti. quæ magis quasi nodo quodam necit hunc titulũ cum sequenti, quàm commune quidquam tradit vtriq; successioni & iuri, vt est suprã tit.25. l.vlt. magis docuimus poni ad eliciendum vincendumq; titulum sequentem, quàm quod ad illum tit. propriè pertineat.

*LX. De bonis maternis, & materni generis.*

Quæ hætenus dicta sunt de hereditatibus intestatorum, ad patresf. pertinent, non ad filiosf. nam lex XII.tab. quæ successione[m] ab intestato ordinem fecit, de patresf. loquitur, non de filiosf. vt M.Tullius retulit, Si paterfam. intestato moritur, resumpto patrisf. verbo ex anteriori capite, Paterfam. vti legassit, &c. & idè quæ filiusfam. relinquit post mortem suam bona potius aut peculia quàm hæreditates dicuntur. Potest enim quædam habere propria, aut tanquàm propria. Ea verò aut castrensia sunt siue militaria, aut pagana, & castrensia aut castrensia aut quasi castrensia. & pagana rursus aut profectitia aut aduentitia. Castrensia, quæ acquirit occasione armatæ militiæ, Quasi castrensia, quæ occasione togatæ, vrbanae, forensis, literatæ militiæ. Profectitia, quæ ex re patris in cuius potestate est, quod propriè patrimonium dicitur, vt bona materna matrimonium Senecæ, Suetonio, Valerio, D. Augustino, & bona fraterna Fratrimonium in libro notarum Senecæ. Aduentitia, quæ alius quilibet ei dedit vel reliquit, vt bona materna & materni generis, de quibus est hic titulus. Materna sunt, quæ mater ei dedit vel reliquit. Materni ge-

neris, quæ auus aut proauus maternus, auia aut proauia materna. Et castrensia quidem ac quasi castrensia propria sunt filijsfam. pleno iure, vt nec vsusfruct. ad patrē pertineat, nec præmium emancipationis, l.6. §.1. & §. cum autem, tit. seq. & mortuo patre præcipua ab eo retinentur nec conferuntur fratribus, & in his quandiu viuit iure patrisfam. fungitur, & testamētarium heredem habere potest, sed si moriatur intestatus vel capite damnetur superflite patre, legitimum heredem habere non potest, quia pater ea bona tanquàm rem suam, non tanquàm rem hereditatemve filij suo iure occupat, atque ita quantum ad ea bona attinet, filiusfam. viuit vt paterfam. moritur vt filiusf. si testatus non sit. Sic virgo vestalis testamentarium heredem habere potuit, & tamen vt Labeo scribit in commentarijs ad leges XII. tab. ei ab intestato nemo heres esse potuit, sed bona in publicum redigebantur. Sic spado cubicularius principis testamentarium heredem habere potuit, non legitimum, vt docui Obs. 17. c. 24. Profectitia autem bona procu dubio patris sunt pleno iure, non per vsusfructum tantum, & in eis filiusfa. neque testamentarium, neque legitimum heredem habere potest. Idem olim obtinuit in bonis ad uentitijs quibuscunque. Nam & bona materna filijs patri pleno iure adquirebantur, vt Thalelæus & Accursius notant rectè in l. i. huius tituli. & probat l. 6. in pr. & l. filiusf. D. de adq. her. l. 1. §. qui operas, ad Tertyl. l. 3. §. verbū, de don. int. vir. & vx. l. 1. inf. de lib. exh. At ex edicto Constantini, id est, l. 1. huius tituli. vsusfructus tantum bonorum maternorum pertinet ad patrem, quod l. 2. trahit etiam ad bona materni generis, vt & sicut castrensia filiusfam. mortuo patre ea præcipua habeat, nec conferat fratribus vt l. 4. tit. seq. l. vlt. supr. de collat. & nihil mutat si pater secundis nuptijs occupauerit domum, l. vlt. hoc tituli. l. de emancipatis, suprà de leg. here. Nou. 22. abrogata l. 3. C. Theod. eod. tituli. Addit edictum Constantini debere patrem vti frui boni viri arbitrato, nec tamen ab eo exigit satisfactionem fructuariam, vt l. vlt. §. si autem non habeat

beat tit. seq. eundemque actiones ex causa eorum bonorum descendentes exercere, quia filijfa. persona in iudicio legitima non est sine voluntate patris, per se vel per procuratorem, cui & suo nomine agat pater perinde, vt ait, ac si pleno iure dominus esset, & suis sumptibus. Nec tamen ius alienandi vel pignorandi habet. Hanc absurditatem quam vocat, l. ait prætor. D. de iur. delib. hoc casu admitti. Si quæras quid sit dicendum, si posteaquã ea bona obuenerunt filiofam. is à patre emâcipatus sit, dicam emancipatione vsumfructum, quem in eis bonis iure potestatis habuit pater extingui. Sed pro premio emancipationis placuisse olim vt pater, si vellet eorum bonorum trientem retineret pleno iure, l. 1. 2. pen. C. Th. eod. hodie semissem tantum vsusfr. retinere posse, l. 6. 6. cùm autem, tit. seq. l. vlti. infr. de em. lib. ad remunerandum beneficium emancipationis, quod est beneficium bonorum quærendorum, vt ait l. 1. D. si à par. man. fuer. Et rursus si quæras quid sit dicendum, si ea bona obuenant filio iam emancipato, hoc expedit l. 3. quæ patri concedit virilem portionem vsusfructus non tanquàm aduqsitam (nec enim per liberam personam quidquam aduqiri potest) sed tanquàm munus lege oblatum reuerentiæ patris manumissoris.

*LXI. De bonis quæ liberis in potestate constitutis ex matrimonio vel aliter adquiruntur, & eorum administratione.*

**B**onis maternis & materni generis in hoc titulo adiunguntur l. 1. 3. 4 quæ filijfa. vel filiaf. ex causa matrimonij aduqirit, putà ex casu dotis, quem maritus vel ex casu donationis propter nuptias, quem vxor lucratur soluto matrimonio, vel ex hereditate, legato, fideicommissio mariti vel vxoris, vt eodem iure sint, quo dictum est tit. superiore, esse materna & materni generis. Ab his verò quæ ex matrimonio aduqirunt, rectè l. 2. separat dotem quam filij nomine, aut donationē propter

nuptias, quàm filij nomine pater dedit, quoniam ea sine vlla deminutione ad plenum redit ad patrem soluto matrimon. vel ipso iure, vel ex conuentione, vt ait l. vlt. sup. commu. vtr. iud. quia profectitia est, non aduentitia. Mortuo autem patre intestato filijs superstitibus ea dos vel donatio propter nuptias in commune redigitur, ex testamento, si collatio bonorum fuerit à parte prohibita nominatim, vt exigit Nou. 18. adscriptis heredibus extraneis, filij filiaë que dotes suas præcipuas habent, quæ ad patrem redierant, testamento autem facto inter solos liberos, non habent eas præcipuas, nisi eatenus quatenus ex bonis suis pater alijs filijs dedit ex eadem causa, vel militiæ adipiscendæ gratia, l. vlt. Porro in l. 5. huius tituli bonis quæ ex matrimonio filijsfam. acquirunt, adiunguntur etiam quæ ex sponsalibus acquirunt, putà munera sponsalitia, quæ & sponsalitia dicuntur, & ad extremum Iustinianus generaliter constituit l. 6. vt nullorum bonorum aduentitiorum dominium acquiratur patri per filiumf. aut filiamf. sed vt eorum vsufructu contentus sit. Et seruandum quibus gradibus res lenè processerit, nec repentino quo iure populus vtebatur, eius, quod etiam factu difficile est, populo mandaretur obliuio. quæstionis est, mortuo filiof. ad quam hodie pertineant bona eius aduentitia, & an heredem in eis habere possit. Et constat testamentarium heredem eum habere non posse, quia filiusf. testamenti factionem non habet, nisi de castrensibus, aut quasi castrensibus bonis ex priuilegio militiæ, non item ex aduentitijs, quæ nec alienare aut obligare potest sine voluntate patris, l. 2. inf. de castr. pec. mil. testamentum facere nec voluntate patris, qui eorum bonorum vsufructu. habet, l. vl. §. filijs, hoc titu. imò nec si eorum quorundam bonorum vsufructum non habet, l. Imperator. D. ad Treb. l. pen. supr. qui testa. fac. p. p. quia lex 12. tab. quæ ius testamenti faciundi dedit de patref. loquitur, non de filiof. eademque ratione legitimum heredem non habet, sed omnia eius bona pater qui superuixit, occupat iure peculij etiam castrensia & qua-

si castrensis. At ex nouissimis Constitutionibus si liberos filiusf. reliquerit, ad eos bona eius transeunt iure hereditatis potius quàm ad patrem iure peculij, l. 3. hoc tit. non quidem profectitia, quæ omninò redeunt ad patrē, à quo profecta sunt, sed aduentitia, reseruato vsufructu auo paterno, exceptis casibus quibus parenti nec vsufructus aduentitorum acquiritur, & vt quidam arbitrantur. etiam in castrensibus & quasi castrensibus pleno iure liberos suos heredes habet, si testatus non sit, ex Nou. 118. Post liberos vocantur fratres ex vtroq; parente coniuncti vnà cum matre si supersit, reseruato vsufructu patri, post hos fratres ex vno parente, æquè reseruato vsufructu patri, l. 4. l. 6. §. sub hac. & §. pen hoc tit. l. vlti. supr. com. de succ. l. vlt. §. vlt. supr. ad Tertul. l. de emancipatis, sup. de leg. her. Et post hos omnes pater, non etiam auus paternus licèt defunctus in eius potestate fuerit, solo vsufructu reseruato auo paterno, l. 3. Post patrem, auus in cuius potestate est. At supradicta No. hunc ordinem sustulit, defuncto filiofam. sine liberis, patrem & matrem & fratres iure hereditario admittens in bona eius aduentitia pro virilibus portionibus pleno iure, nullo reseruato vsufructu. Atque ita euenit, vt & si fratres superflites sint in potestate patris, virilis portionis eorum vsufructus non pertineat ad patrem, qui est vnus casus quo bonorum aduentitorum, putà fraternalium vsufructus non acquiritur patri. Sic verò etiam fit vt filiusfam. legitimum heredem in eis bonis habeat, qui non potest habere testamentarium. vt econtrariò in castrensibus testamentarium non legitimum. Quod ad partem illam tituli, *Et eorum administratione*, Bonorum aduentitorum quæ liberis acquiruntur, administratio pertinet ad parentem in cuius potestate sunt. Et administrationis partes eæ, exercere actiones consentiente filio, nisi absit vel dari non possit, l. vlt. §. vbi autem in vnum. exemplo tutorum, l. 1. §. sufficit. ff. de admin. tut. vtque moris est absentibus iungi infantes, l. 22. §. 1. D. de fid. lib. impendere laborem & sumptum in lites ex fructibus, mancipia alere &

re, & vestire, exigere debitores, soluere creditores, nomine filij vendere vel obligare res mobiles aut immobiles legatorum à filio relictorum, vel æris alieni maximè usurarij exsoluendi gratia. Nomine, inquam, filij, vt l. vltim. §. si autem æs. & §. si autem non habeat. & §. sed pater quidem, non suo nomine, l. 6. §. non autem. Item res quæ oneri magis quàm fructui, & pretium ex earum rerum venditione redactum in sumere in rem filij, & usuras ex fructibus vel de suo fœneratoribus soluere, quæ ei debentur ob pecuniam ab eo tardius solutam. Denique tueri res summa diligentia, l. 1. sup. rit. p. oxi. Nam vt in procuratore, tutore, curatore, ita in quolibet administratore exigitur asperitas & diligentia magna. Martialis, Sanè certus & asper homo Procuratorem vultu qui præferat ipso. Sed non quæ ab alijs administratoribus exiguntur, & à patre desiderari verecundum est, nõ vt fatisset res saluas fore, non vt rationes reddat, non vt bona eius pro officio administrationis tacito iure obligata sint, nisi secundis nuptijs occupauerit domum, quo casu non omnium quidem bonorum aduentitiorum, sed eorum tantùm nomine, quæ à matre vel à materno genere ad eum vel ad filium f. peruenierunt, bona eius filio tacito iure oppignorata sunt, vt l. 6. §. vlt. hoc tit. l. si quis prioris. §. vlt. sup. de sec. nupt.

*LXII. De hereditatibus decurionum, nauiculariorum, cohortalium militum & fabricensium.*

**R**edit ad hereditates patrum f. intestatorum, vt docet at deficientibus legitimis & honorarijs successoribus, in hereditatem patris f. intestati non continuo admitti fiscum ex lege Iulia caducaria, sed præferri fisco quandoque ex Constitutionibus personas certas, corpora certa: vt moriente decurione intestato sine liberis, parentibus, agnatis, cognatis, vxore, ordo siue curia in qua is erat ei succedit excluso fisco, l. 4. hoc tit. l. vnic. C. Th. de bon. decur. & similiter moriente nauiculario, corpus nauiculariorum.

nauculariorum ei succedit excluso fisco, l. i. hoc tit. que  
 meritò scripta est ad præfectum annonæ, quoniam sub  
 cura & dispositione eius erat corpus nauculario, ù qui  
 annonæ vrbs seruiunt, & idem cauetur No. Valentinia-  
 ni de naucularijs amnicis. Item si quis eorum qui in le-  
 gione aut vexillatione comitatensi vel cuneo militabat,  
 decesserit sine heredibus, ei succedit legio, aut cuneus,  
 aut vexillatio in qua militabat, remoto fisco, l. 2. hoc tit.  
 l. 6. §. eius qui. D. de iniust. rupt. & inde librarij caducorū  
 in castris. l. vlt. D. de iur. immun. nec obstat l. 2. D. de vete.  
 & mil. suc. quoniam ex vicinitate legis primæ. & ex in-  
 scriptione, de milite tantum capite damnato & bonis  
 castrensibus accipienda est. Additur in l. 3. mortuo co-  
 hortali, id est, officiali præsidis prouinciæ, sine heredi-  
 bus, cohortales eiusdem prouinciæ ei succedere excluso  
 fisco, qui perpetui quidem in prouincijs, sed gregarij &  
 vulgares erant, & quod in Basilic. vel Harmenopulo ex  
 hac l. 3. *Ἐὰρ ἐν τῆλῆς* &c. sic debuit conuerti, si cohortalis,  
 non si uilis, tenuis, abiectus homo. Postremò l. vlt. ostendit  
 Fabricensi mortuo sine testamento & sine herede le-  
 gitimo vel honorario corpus fabricensium succedere ex-  
 cluso fisco. Hi recipiebantur in fabricis publicis ex nomi-  
 natione totius corporis, que pro fide erat, ad. ò vt si quid  
 gessisset Fabricensis quem corpus nominasset in fraudē  
 fisci, eo nomine fisco teneretur. Et hi nominatores, crea-  
 tores dicuntur in hac l. vlt. vt iam pridē ostendi esse legē-  
 dū in l. si quos, infr. de decur. vt in Basil. *ὡς ἀνὰ χερσὶ τοῦ κτῆ*,  
 non creditores. His verò qui hoc titul. recensentur cor-  
 poribus quæ fiscum excludunt, etiam adiungi oportet  
 ecclesiam aut monasterium, cui quis se deuouit, si fortè  
 moriatur nullo herede relicto, l. si quis presbyter, supra  
 de Episc. & cler. & aream præfecti prætorio mor-  
 tuo præfectiano similiter, l. 3. inf. de appar.  
 præfecti prætor. & consortes liberali-  
 tatis principalis, l. i. inf. si  
 lib. Imp. soc.

# CODICIS IVSTINIANI LIBER VII.

## TIT. I. De vindicta, & apud Consilium manumissione.



T cohæreat hic liber cum superiore & tractatus qui initio eius instituitur de libertatibus, facillè intelligemus si repetamus lectione memoriæ ea, quæ ante nobis tradita sunt. Cœpit Codex à iure sacro, ac deinde de iure publico nobis exposuit partes iuris ciuilibus variaque officia magistratuum, & quo ordine apud eos ageretur, & quorum interuentu patrocinio, tum à titul. XXVIII. libro III. de actionibus tractatum inchoauit, qui quidem ius omne complectitur, & propositis varijs actionibus tam in rem, quàm etiam in personam quæ ex contractu vel ex quasi contractu nascuntur, veluti tutelæ administratione, aut aditione hereditatis testamentariæ aut legitimæ, modò parat initio huius libri tractare de præiudicialibus actionibus, in quibus quæstio vertitur de statu hominum, putà liber quis sit an seruus, ingenuus an libertinus. Idcirco de manumissionibus dicere instituit, quibus ex seruis homines liberi & ciues Romani fiunt & liberi libertini, non liberi ingenui, hi nascuntur, illi fiunt, l. 8. titul. 14. Et quia manumissio vel fit inter viuos, vel causa mortis, & ab eo incipit hoc titulo, quæ fit inter viuos. Ea verò fit vindicta inter magistratum qui tribunali præest, l. 5. §. vltim. l. 2. infr. titul. 15. veluti prætorem aut Consulem in vrbe, & in prouincijs apud præsidem aut proconsulem, l. 2. D. de offic. procon. l. 1. de offic. consil. laudabilem. §. pen. supr. de adu. diu. iud. l. si rogatus. D. de man. vind. vel in consilio principis, l. vlt. hoc tit. l. 2. supr. de libert. & eor. lib. & in antiqua inscriptione, **P R I S C V S M A N V M I S S V S A D**  
CON-



CONSILIVM PROCVRATORIO NOMINE APVD DOMITIANVM IMPER. vel apud magistratus municipales, quibus, vt ait l. vltim. huiusmodi ius competit, id est qui legis actionem habent, licet tribunal non habeant, cum & de plano expediri manumissio possit. Paulus 2. Sentent. tit. 25. Apud magistratus municipales, si habeant legis actionem, emancipari & manumitti potest. Vnde apparet manumissionem vindicta legis actionem fuisse, vt l. vltim. infra de his qui a non dom. man. sunt, Idcirco nec iteratur, l. 2. hoc titu. nec fit per procuratorem, l. 3. nisi remedio mancipationis aut traditionis ante procuratori factæ, vt in legibus adductis ab Accursio in d. l. 3. At causa manumissionis probari potest per procuratorem, l. etiam, §. absens, D. eodem. Et per filium quoque familias pater manumittere suos seruos potest, maximè si mutus putà vel surdus solemnia manumissionis vindicta exequi non posset, quia ipsemet pater manumittere videtur, l. si quis hac lege. §. 1. D. qui & à quibus mand. l. matrimonij. D. de rit. nupt. Potestas patris vel domini vnus personæ intellectum inducit in patre & filiofam. in domino & seruo, l. si Pamphilo, D. de opt. leg. & contra manumissio diuidit personas, vt eleganter Theophilus ait in §. an seruo. Insti. de legat. Nec tamen eadem ratione per seruum dominus vindicta manumittere potest: quia serui illegitima aut nulla persona est apud prætoiem vel prælidem etiam adhibita domini voluntate, filiofam. est legitima cum iussu aut voluntate patris. & ita donatio à filiofam. facta iussu aut voluntate patris. ab ipso patre facta intelligitur, l. 9. §. penultim. D. de donat. Non est autem necesse prætoiem apud quem fit manumissio cogere consilium. Nam & sine consilio de plano facta manumissio valet, modo is qui manumittit sit maior XX. ann. & qui manumittitur maior XXX. vt Vlpianus declarat libro Regularum, alioquin consilio opus est & probatione causæ, que tamen semel probata, & libertate iam competente, frustra dicitur facta, l. 1. hoc titulo, l. 9. D. eodem. In consiliū

in prouincijs adhibentur XX. recuperatores, in vrbe quinque Senatores, & quinque equites Romani, Prætor residente in medio, qui locus semper fuit & in cœniuiuo, & in incessu & in confessu in honore præcipuo. Sexto igitur loco. Cicero pro Cluentio. Quid est Q. Naso curtu in hoc sexto loco fideas. Vindictæ nomen deduci à Vindice Vitelliorum seruo, qui prior cum libertate & ciuitatem Romanam accepit, fateor, & tribui virgulæ quam dominus aut licitor vice domini imponit capiti serui manumittendi, & inde Claudianus. Deductum Vindice morem lex celebrat, id est lege agitur in manumittendis seruis vindicta. Ab eodem quoque vindictæ nomen (sic legi in vet. T. Liuius) tractum est, quo significatur addictio & apprehensio possessionis. At cum impositio vindictæ in vsu esse desierit, & adhibitio licitoris, & verba solemnia domini, lego, l. manumissio, D. eodem, & circumductiones serui & fallapittæ, l. vlti. infr. de emp. lib. & potuerit etiam manumissioni vindictæ lex adji. i, vt manumissus fieret Latinus, l. vnica, §. illo proculdubio. infr. tit. 6. rectè dicam meritò in l. actus, D. de regul. iur. inter actus legitimos non numerari manumissionem.

## II. De testamentaria manumissione.

**C**AUSA mortis fit manumissio quæ fit testamento, hæc relinquitur, illa imponitur, l. 1 § penulti. infr. de com. ser. man. & hæc aut fit iure directo aut iure fideicommissi directa, de qua est hic titulus, ex XII. tab. proficiscitur, fideicommissariam tuetur prætor. & rursus directa non potest relinqui cœdicillis non confirmatis, fideicommissaria potest, l. libertates, D. eodem. Item directa libertas testamento relicta à minore XX. ann non valet, fideicommissaria valet, si iustam manumittendi causam habuerit, quam & si inter viuos seruum manumississet approbaturus consilio erat, l. 5. tit. 4. l. 4. sup. de test. mil. l. 4. §. item si minor. de fid. lib. Et directa seruis tantum proprijs

prijs relinquatur; l. 9. fideicommissaria etiam alienis. l. 6. tit. 4. & purè directis verbis manumissus, nullo iure impediante, libertus est Orcinus, l. 10. Per fideicommissum manumissus libertus est eius à quo manumissus est. l. 7. tit. 4. Et sub conditione vel in diem directo manumissus est statuliber, per speciem fideicommissi quasi statuliber. Et in directa libertate fraus creditorum æstimatur ex euentu & consilio, in fideicommissaria ex euentu solo, quia illa datur propriè, hæc petitur, & etiamsi consilium fraudandj absit, præstari non debet nisi deducto ære alieno, vt infr. titu. 11. & l. 4. §. si quis autem. D. de fid. lib. Quæ autem directa libertas semel competiit adita hereditate ab extraneo, vel suo herede existente à morte testatoris, non reuocatur etiãsi postea heres per in integrum restitutionem abstinuerit hereditate; l. 3. hoc titu. l. sciendum, D. cod. l. 4. §. quid ergo D. de fideicomm. lib. etiam si postea ei qui prior petijt bona sibi addici libertatum conseruandarum causa & hereditatem adiuit, bona abstrahantur ab aliò qui creditoribus & manumissis meliorem conditionem offerat, l. vltim. in fine. hoc tit. etiamsi heredi qui semel ex testamento adiuit postea legitimus heres euincat hereditatem per lusorio iudicio, Quod l. 12 ait esse ex Constitutione Diui Pij, cuius etiam mentio in l. à sententia & l. si per lusorio. D. de appellat N. hil est quod difficilius reuocetur quàm libertas. Quamobrem nec olim testamento data admi potuit. At si ideò non adeatur hereditas neque ex testamento, neque ab intestato, quòd nimis ex ære alieno laboret, libertatem relietarum conseruandarum gratia simul atque famæ defuncti quæ laboraret si nomine eius bona distraherentur. licet seruo testamento manumisso satisfactionem offerre creditoribus, pecuniæ debitæ vel partis, prout inter eum & illos conuenerit, & polliceri manumissis libertates, atque ita hereditatem & libertates obtinere, fito excluso, Constitutione D. Marci, de qua in l. 6. & vltim. hoc titu. in qua & Oratio dicitur, vt planè videatur & S. C. fuisse confirmata. Idè licet offerre cuilibet

extraneo libero homini, & sic eam hereditatem adire. Imò & seruo non manumisso, cui si bona addicantur, protinus heres, aut tanquam heres & liber erit. Nec enim potest heres esse domini aut bonorum possessor sine libertate. & hi omnes admittuntur intra annum, etiam si res non sit integra, ex sententia Vlpia. comprobata à Iustiniانو, & contra constitutionem D. Seueri, quæ non caret exemplis, l. vltim. supr. de rep. hered. l. quod si minor. §. Scæuola, D. de minor. In his verò quæ ex l. vltim. resultant noua & inopinata, hæc sunt, vt adire velut ex testamēto possit qui scriptus testamento non est, vt competat velut ex testamento libertas ei cui testamēto libertas relicta non est, & vt manumissi testamento quibus non placet sibi libertatem conseruari remedio Constitutionis D. Marci, inuiti liberi non fiant & ciues Romani. aliàs enim ciuitas Romana datur inuito, ne spernatur dignitas tantæ ciuitatis, quam alij magno redimunt, & impetrant ægrè. Nec ineleganter Leo Nou. 102. duplex beneficium accipere eum qui cogitur beneficium accipere.

### III. De lege Fusia Caninia tollenda.

**H**I C titulus pertinet etiã ad relictas testamento libertates iure directo, quibus lex Fusia Caninia certum modum imposuit Augusti temporibus, quem & manumittendi modum terminasse Suetonius scribit, putà vt ne quis vniuersam familiam suam manmitteret, qui tamen vindicta vniuersam manumittere potuit, quia quo liberaliores sunt qui moriuntur quàm qui viuunt, eo magis veluti freno quodam coercendi sunt, ne rem suam omnem perdant, & suis heredibus parum aut nihil relinquunt. Ceteras manumissiones satis coercet naturalis hominum parsimonia & egestatis metus. Ad fideicommissarias autem libertates lex Caninia potest videri non pertinere, quia heredibus eæ non auferunt totum seruum, quatenus iura patronatus heredum sunt. Verùm legis Caniniæ modum in danda fideicommissaria

ia libertate testatorem seruare video in l. 22. §. 1. D. de fideicom. lib. & quæ inscripta est ad legē Caniniā. l. si quis. D. de cond. & dem. de libertate fideicommissaria loqui, vt verè dici possit, quòd communis esset lex Caninia superiori & sequenti tit. positam eam fuisse in confinio vtriusq; Hanc intellexit Plautus in Querulo, dum ait, Ad legem Portiam, Caniniam, Furiam, Fufiam, & l. pen. C. Th. de Iudæis, cùm loquitur de legitimo numero manumittendorum. Quod si quis supra eum numerum seruos manumittat, vt fit ex lege Aelia Sentia, qui primi nominati sunt vsque ad legitimum numerum, soli perueniunt ad libertatem, vel si omnes in orbe tereti scribantur, & in eius area, Liberi sunt, nulli competit libertas, auctore Gaio, quia nō apparet quis primus sit aut imus, propterea quod, vt Plato ait in Timæo, quodcunque est σφαροειδὲς ῥόμπον τινὸς κατὰ τὴν ἄνω οὐκ ἔχει. Hoc verò caput legis Caniniæ tollit Iustinianus in hoc tit. non totam legem Caniniam. nam ex ea illud remanet, vt libertates seruis testamento nominatim dentur.

#### IIII. De fideicommissarijs libertatibus.

NON tantum directæ libertates testamento vel codicillis relinqui possunt, sed etiam fideicommissariæ, id est, quæ verbis præcarijs relinquuntur, dum tamen, vt ait l. 16. D. eod. ea verba sint vulgaria, id est, vulgo accepta pro præcarijs, & quibus voluntas testatoris exprimitur, qualia sunt peto, rogo, volo, mando, fideicommitto, quale non est verbum commendo, l. 12. hoc titu. quia non satis exprimit fideicommissum aut preces, & arbitrium permittit potius quàm preces adhibet, quæ in testamentis necessitati permittæ sunt. & quod ait l. 12. D. eod. his verbis, Illos seruos tibi commendo, ne cui alij seruiant, fideicommissam libertatem relictam videri, etiã detracto verbo commendo idem esset, l. 9. l. 10. l. rogo. l. generaliter. §. si petitam. D. cod. Nihil igitur potest, nihil adijcit, nihil efficit in eam rem commendo verbum.

Porrò directæ libertates statim ab adita hereditate, vel si necessarius heres sit, à morte testatoris, ipso iure competunt veluti ex testamento sine vlllo facto aut voluntate heredis, nontamen sine herede. nam ab heredibus relinquuntur, & vt legare ab herede dicimus, ita manumittere. *Quintil. Decl. 388.* Hunc etiam à filio manumisit. & post mortem heredis olim inutiliter relinquebantur. Fideicommissariæ autem libertates præstantur ab herede vel legatario, vel fideicommissario qui rogatus est seruum defuncti aut suum aut alienum manumittere, nec sine illius manumissione is seruus ex iudicio defuncti fieri liber potest, l. ii. hoc tit. nisi latitet, vt ait, vel absit, non iusta ex causa quò casu contra latitantem & absentem interposito decreto, id est, si causa cognita prætor aut præses pronunciauerit libertatem deberi, continuo fit liber & libertus Orcinus si seruus defuncti fuerit, ex S. C. Rubriano, Si heredis qui rogatus est, libertus heredis ex S. C. Iunciano. Quod dixi de latitante vel absente, idem obtinet ex Constitutione Iustiniani in eo qui neq; latitat neq; abest, si moram faciat libertati, nimirum vt ex sententia prætoris vel præsidis eripiatur in libertatem, & fiat libertus Orcinus, l. 15. hoc tit. Et moram facit qui petitam suo tempore libertatem non præstat, l. 4. hoc tit. si sit relicta maiori XXV. an. nam minori mora fit ex die quo peti potuit, maiori ex die quo petita est, l. cum verò. §. apparet. D. eod. nec dies interpellat pro homine, nisi in pœnalibus causis. Cetera quæ sunt in hoc tit. vel in Obseruationibus exposui, vel facilia perceptu sunt. & hoc vnum modò addidisse satis erit, quod l. 10. obijcitur l. 8. tit. seq. ita discriminari quod sit in l. 10. expressa certa dies, in l. 8. non item. sed casus nuptiarum tantum, siue dies nuptiarum, qui cum sit incertus, condicionem facit.

V. *De Dedititia libertate tollenda.*

**D**E fideicommissaria libertate hoc etiam legimus in l. 43. D. eod. fideicommissariam libertatem testamenti-

mento vel codicillis relictam, quæ utiq; censetur esse re-  
 licta optimo iure, l. generaliter. §. hostium. D. eod. nisi ad-  
 ditum sit, vt Latinus fieret. §. illo proculdub:ò, titu. sequ.  
 non deberi ei quem dominus postea in ergastulo vinxit  
 pœnæ causa, nimirum quia ex lege Aelia Sentia ad ciui-  
 tatem Romanam peruenire non potest, qui à domino  
 vinctus est pœnæ causa, vel qui compunctus est notis,  
 qui stigmatias vel subuerbustus dicitur, vel qui propter  
 noxam tortus nocensq; inuentus est, vel datus ad ferrū  
 aut bestias, vel coniectus in publicam custodiam, sed  
 quoquomodo manumissus sit neque Ciuis sit, neq; La-  
 tinus, sed Dedititiõrũ numero habetur, auctore Vlp. tit.  
 1. & Theophilo tit. 5. lib. 1. ideoq; ad legem Aeliam Sen-  
 tiam scribens Vlpian. definit quis dicatur vinctus, l. verũ  
 D. de verb. sign. quæ nisi coangustetur ad caput illud le-  
 gis Aeliæ Sentia pugnabit cum l. succurritur. D. ex qui.  
 cau. maio. Lata fuit ea lex auctore Augusto, sicut lex Fu-  
 sia Caninia, vt Suetonius apertè demonstrat. Et illi Do-  
 ditiõrũ numero, quod eodem iure & condicione ef-  
 sent qua peregrini qui se & sua victi dedidissent in dedi-  
 tionem pop. Romani, qui parum aberant à seruis, & infã-  
 mi nomine Dedititij vocabantur. Cerrè deteriore con-  
 ditione Dedititij ex lege Aelia Sentia sunt, quàm La-  
 tini ex lege Iunia Norbona. Quia nec commercium ha-  
 bent, nec cum eis testamenti factio est, nec vilam spem  
 habent adipiscendæ ciuitatis Romanæ: Latini eam po-  
 terant adipisci varijs modis, quos refert Vlpia. lib. Reg. &  
 inter ceteros vno relato in l. 1. C. Th. de rap. virg. At caput  
 illius legis Aeliæ Sentia abrogat hic tit. quod etiam in v-  
 su esse desierat.

*V I. De Latina libertate tollenda, & per certos  
 modos in ciuitatem Romanam  
 transfusa.*

**H**ic autem titulus abrogat legem Iuniam Norbanã,  
 quæ etiam Augusto auctore lata fuit, & manumis-  
 sos inter amicos, per epistolam aut honorẽ menses liberos

fecit, qui ante liberi non erant, vt eodem iure essent quod erant olim Latini colonarii, qui tamen tempore lãtæ legis Iuniæ Nãbonæ in ciuitate Romana donati erant. & conditio Latinorum Iunianorum hæc, vt viuerent quasi liberi, morerentur quasi serui. §. vlt. Inst. de suc. lib. l. 8. C. Th. de lib. cau. l. 1. C. Theod. de pet. her. quod & ex Saluiani Episcopi scriptis comprobauit Obserua. 4. vt simili forma dicitur, Latinum inuito aut ignorant e domino à Principe donatum ciuitate Romana ex edicto Traiani viuere vt ciuem, mori vt Latinum, d. l. vlt. quod beneficium Principis non debeat ad alienam iniuriam pertinere, & libertinum donatum à principe iure aureorum annuorum viuere vt ingenuum, mori vt libertinum, l. 3. D. de bon. lib. Latini igitur ex lege Iunia moriuntur vt serui, quia bona eorum manumissores, aut liberi eorum non capite minuti, l. 1. C. Th. de pet. here. & non exheredati à parente, iure peculij occupant, & ex S. C. Largiano si liberi à patre instituti sint adiectis coheredibus extraneis, in bonis Latinorum libertorum patris præferuntur coheredibus extraneis, d. §. vlt. Verùm vt Latinos Colonarios receptos in ciuitatē lex Iulia sustulit, ita vt hæc Constitutio Iustiniani Latinos Iunianos, qua ratione Latinitatis nomen quod in Cod. Th. erat, Tribonianus mutauit in libertatis, l. pen. infr. tit. 13. Ait autem, *certos modos*, quia non omnes modi Latinitatis transfusi sunt in ciuitatem Romanã, non qui per mensam, nõ qui fraudandorum creditorum causa, de quo Ulpianus in reliquis Regularum. Per mensam notandum maxime quod Papinianus exigit tit. 44. Contestationem, Causa Latinitatis seruum adhiberi conuiuio.

VII. De communi seruo manumisso.

**H**Oc etiam titulo Iustinianus abrogat ius vetus, quod obtinuit seruo communi manumisso ab vno ex dominis. Et seruus quidem communis apud vnumquemque dominum partim proprius partim alienus est, l. 2. hoc



hoc titul. adeò vt ei legatum & hereditas possit relinqui cum libertate vt proprio & sine libertate vt alieno , l. 3. in princ. l. 6. § pen. D. de here. inst. & Vlpia. lib. Reg. tit. 22. & possit etiam idem alij legari per damnationem aut vindicationem. Sed an etiam ab vno ex dominis manumitti possit vindicta aut testamento, dubitabatur, quia vt alienus non potest ab eo directò manumitti. Et placebat olim vnu ex dominis manumittendo seruum communem, partem suam amittere, eamque iocio adcrefcere, auctore Vlpiano tit. l. Reg. & Paulo 4. Sent. vt proprietarium proprietatem manumittendo seruum inuito fructuario. Ab vno igitur ex dominis manumissus non fiebat liber. Post verò paulatim res eo processit, vt tandem sublato illo iure adcrefcendi Iustinianus fauore libertatis statueret seruum protinus liberum fieri, quem vnus ex dominis directò manumisisset. Sed præstari debere partis suæ pretium alteri domino non manumissori. ita vt is cogatur vendere partem suam manumisso vel manumissori, vel heredi manumissoris. Nam & ex Constitutione Seueri, vt in l. 1. Martianum retulisse scribit in Institutionibus ( sic legendum, non, in Constitutionibus ) milite testamento manumittente seruum communem, heres eius cogitur redimere partem socij, vt effectum habeat manumissio mitioris domini. Imò & pagano manumittente cogitur non manumissor manumissori vendere partem suam, pretio constituto arbitrio prætoris ex alia Constitutione Seueri & Antonini. Idemque Sex. A Elium antiquum interpretem XII. tabul. refert scripsisse ex Vlpiano 6. & Pauli 3. fideicommissorum, & notis Marcelli ad Digesta Iuliani, & eius notæ partem, vt scio miseri Iuliani scriptis Marcelli notas Marcelli nomine suppresso, opinor esse in l. si seruus. D. de vulg. subst. illo loco, Quod si neque à patre, & cæt. Est & hæc Marcelli sententia in l. domino. D. de S. Consulto Sillianian. Verùm ad extremum Iustinianus id constituit quod dixi suprà, quod videtur Tribonianus etiam traduxisse ad speciem l. duobus. D. de lib. cau.

vt quod libertas diuidi non possit, l. alieno. §. 1. D. de fid. lib. magis ad se integrā libertatem trahat quam retineat hominem in seruitute. Hodie igitur si vnus ex socijs cū libertate seruo communi hereditatem aut legatum relinquat, hereditas & legatum pertinet ad seruum vt liberum, olim socio qui non manumisit acquirebatur, auctore Paulo III. Sent.

VIII. De seruo pignori dato manumisso.

IAM à titulo superiore cœpit tractare de his qui manumittendo seruum suum liberum cum non faciunt. nam ante Iustinianum vnus ex dominis seruum communem manumittendo vindicta aut testamento, cum non perducebat ad libertatem. Cui additur hoc titulo debitor qui seruum specialiter pignori datum vel obligatum manumittit. nam & si soluendo sit, manumissio non valet facta inuito creditore, l. 3. D. de manumif. l. 1. hoc tit. quæ coniungenda est cum l. 1. infr. de remis. pig. & valet tamen manumissio serui dotalis aut comparati ex pecunia dotali. l. vltim. hoc tit. si fiat à marito locuplete, etiam inuita vxore. quia lex Iulia prohibuit alienationem fundi dotalis, non manumissionem serui: si à nō locuplete, libertati obstat lex Aelia Sentia, l. seruum dotalem. D. de manum. Quod verò dixi de debitore, vt nec si locuples & soluendo sit, seruum pigneratum manumittere possit & ciuem Romanum facere, pugnat cum l. 1. sup. de nec. hered. & l. generaliter, D. qui & à quibus man. & cum eo quod Vlpianus in reliquis Regulatum scribit his verbis. Seruum pignori datum Ciuem Romanum facere debitor potest ( sic legendum ) nisi si soluendo non sit. Obstat enim libertati lex Aelia Sentia, quæ vetat fraudandorum creditorum causa Ciuem Romanum fieri. & placet ratio l. generaliter, quia pleno iure debitoris est, vt l. 11. suprā de acti. empt. id est ex iure Quiritium. At hoc sic excipi volo, Si creditori satisfiat, vel satis offeratur. alioquin nec manumisso à domi-

no locuplete libertas competit, l. 1. hoc titu. & d. l. 3. & ita inuenio rectè Græcos ad l. generaliter. §. si quis seruo. D. de fid. lib. supplere hæc verba, soluto tamen debito.

### IX. De seruis Reip. manumittendis.

**S**ERUOS Reip. vocat seruos popul. Romani, vel alterius ciuitatis qui ante l. penu. infr. de tabul. deputati erant vt erant vt seruirent tabulario ciuitatis & rationibus, tabulis chartisque publicis, vt rectè l. 3. hoc titul. significat tabulariam administrationem esse actum seruilem què tamen & liber homo volens gerere possit salua libertate, & confirmat Liuius X L I I I. his verbis. Censores signatis tabellis publicis, clauso tabulario & dimissis seruis publicis negarunt se quidquam publici negotij gesturos. Sed & actis Senatus interuenisse eos Capitolinus indicat in Gordianis, dum in tacito Senatus C. faciendo nec scribas ait nec seruos publicos interuenisse. Vtebantur etiam seruis publicis singuli ciues, licèt singulorum serui non essent, vt qui per se stipulari non poterant propter ætatem, nec per liberum hominem vetante regula iuris, nec per seruum proprium quem non habebant, stipularentur per publicum quod in rem suam esset, l. non aliter, D. de adopt. l. 2. D. Rem pup. sal. for. l. 3. infr. de postl. & redemp. Legi etiam apud Vlpianum in 11. Olynthiacam Demosthenis, Athenis fuisse seruos publicos, literarum petitos, qui proficiscentes in bellum Imperatores & pastores sequerentur ad conficiendas rationes impensarum, vt bello finito in reddendis rationibus quæstio haberi ex eis posset, qua non poterant ciues torqueri, & fortè comperta fraude tum vt ageretur in Imperatores & quæstores proinde atque in seruos Seruus publicus popu. Romani habuit proprium ius testamenti faciendi pro parte dimidia peculij, vt Vlpianus scribit lib. Regul. titul. 20. At, vt de seruorum publicorum manumissionibus dicamus, hos olim Resp. manumittere poterat, vt vel Varro indicat libr. 7. de ling. Lat.

Sed non faciebat ciues Romanos : post ex lege Vettij Libici, ciues Romanos. Sic legēdum in l. 3. Fuit Vettiorum familia Romæ, vt Vettium Rufinum legimus l. 1. sup. de bon. mat. & Vettium Atticum, & Vettium Valentem, & Vettium Priscum, & Vettium Chilonem, cuius nomen Taciti historiarum primo in Betuichilonem deerrarat, & alium in Ora. pro M. Cœlio, & L. Vettium quid tetexit coniurationem Catilinæ apud Dionem. Cum verò ea lex pertineret tantum ad urbem & municipia Italiae, deinde porrecta est etiam ad municipia prouinciarum, vt ait l. 3. ex S. C. factò Inuentio Celfo II. & Neratio Marcello Iuriconsultis Coss. cuius Consulatus fit etiā mentio in l. 2. in fin. D. de origin. iur. vbi Neratius Priscus dicitur, & in l. 3. Neratius Marcellus, rectè, quia familia eius Marcellorum fuit, & Marcellum æquè Iuriconsultum habuit fratrem. l. 12. §. idem respondit domo. D. de instr. & instr. leg. Sic verò lex Atrilia de tutoribus dandis quod in vrbe tantum locum haberet, lege Iulia & Titia porrecta est ad prouincias, vt in Insti. tit. de Atril. tut. & lex Iulia de cessione honorum quæ in vrbe tantum locum habuit, Constitutionibus porrecta est ad prouincias, l. 4. infr. qu. bon. ced. pos. & auctore Macrobio lex Fannia qua sola vrbs tenebatur, quæ lege Didia porrecta est in totā Italiam. Forma autē manumittendi seruos publicos in prouincijs cauta fuit legibus municipalibus & Constitutionibus Principum, plerunque vt manumitterentur decreto ordinis & consentiente præside prouinciæ, & in locum manumissi subdito vicario, l. 1. & 2. hoc tit. l. 1. infr. ne quis lib. inuit. act. ger. cog. l. 3. D. de man. quæ ser. ad vniuers. pert. qua seruata perueniebant ad ciuitatem Romanam, nec in seruitutem publicam reduci poterant ob id solum quod sua sponte tabulario ciuitatis postea seruissent, vel alium actum pro ciuitate gessissent nullo alio iusto titulo præcedente, l. 6. infr. de ing. man. l. 3.

hoc tit. quæ coniungenda est cum l. 1.

sup. de iur. aur. anul.

X. De his qui à non dominis manumittuntur.

**I**N hoc titulo ostenditur, seruo alieno libertatē directō dari inutiliter invito domino, vt l. 9. supr. de test. man. Serui alieni venditio obligationem constituit inter emptorem & venditorem, manumissio nullam. idēq; non valet manumissio, licet postea manumissor domini heres extiterit, l. si seruo. D. qui & à quib. man. venditio valet, l. si quis alienam. D. de act. empt. Conseruatur tamen libertas quæ data est seruo alieno si dominus contentus sit pretio serui, l. hoc titu. Sed & si pater consentiente filio manumiserit seruum filij castrensē minoris XX ann. nulla manumissio est, non quòd sit alienus tamen, sed quod sit manumissus contra legem Aeliam Sentiam, l. penu. nam in maiore aliud dicerem, quia filius ipse videtur manumittere, vt contra pater filio iussu patris manumittente seruum patris. At si proprietario aut debitori manumittenti consentiat minor XX ann. qui in seruo ius vtendi fruendi vel ius pignoris habet, valet manumissio, quia seruus minoris non manumittitur, l. 2. l. si pater. §. vit. D. de mand. vind. Addam, dominum in hoc titulo accipi pro pleno domino, quia nec fructuarius solus seruum utiliter manumittit, nec proprietarius, l. 9. supr. de vsufr. & hab. l. 4. hoc tit. Sed manumissus à nudo proprietario seruus erat sine domino, vt seruus habitus pro derelicto, l. quemadmodum, §. 1. D. de nox. act. At ex l. 1. infra titu. 15. manumissus a proprietario fit liber & libertus proprietarij, est in seruitute fructuarij, manumissus à fructuario, seruus est proprietarij, & in libertate potestateque sua quandiu durat vsusfructus.

XI. Qui manumittere non possunt. & ne in fraudem creditorum manumittantur.

**I**AM à titulo VI I. cœpit tractare de his qui seruos suos alienosve vel olim manumittere nō potuerunt vel

hodie non possunt. Et in hoc titulo nunc addit etiam seruos principis non posse manumittere vicarios siue peculiare seruos suos, l. 2. quamuis eorum sint quodam modo domini, l. si seruus meus. D. de pecul. quod in seruis priuatorum multò magis obtinet, etiamsi liberam habeant peculij administrationem. nam seruis principum hoc videbatur posse dari præcipuum, vt & de peculio suo eis Leonis Nou. 38. dedit testamenti factionem.

At inter viuos nec per se nec per interpositam personam, veluti imaginarium emptorem, seruos peculij sui manumittere possunt, sicut minor XX. ann. qui per se non potest seruum manumittere ex lege Aelia Sentia, nec per interpositam personam id quoque potest ex S. C. l. 4. & præualet hoc casu lex Aelia Sentia Constitutioni Marci & Commodi ad Aufidium Victorinum. Longè enim abest mente legum, vt aliæ alijs fraudem faciant. Aliud est caput legis Aeliae Sentiae de quo etiam in hoc tit. agitur, vt libertatis datae in fraudem creditorum vel patronorum ipso iure nullæ sint, etiamsi debitori vel liberto homo diues heres extiterit, l. 5. supra tit. 2. l. 5. & 18. D. qui & à quib. man. Reuocari dicuntur in l. 1. huius tituli. hoc est, reuocari ipso iure. Alienationes reuocantur beneficio actionis, quo vix possent reuocari libertates si valerent ab initio. At si is qui seruum emit à debitore qui nõ erat soluendo eum manumiserit, lex Aelia Sentia locum non habet, quia debitori nihil abest. & hæc est sententia l. 5. huius tituli. in qua pro *emptori*, legendum *venditori*, vt in Basil. τὸ πρῶτον. Eadem quoque lex non habet locum in fideicommissarijs libertatibus, sed in directis tantum l. 1. & vltim. quia fideicommissarijs satis obstat regula iuris, quæ vult fideicommissa omnia præstari post deductionem æris alieni. Illud etiam hic titulus ostendit, libertates dari frustra à domino seruo suo, vel à principe seruo alieno, ex acclamatione populi, cui fortè placuerit actor fabulæ quidam, l. 3. quam legem etiam Athenis fuisse AEschines testis est contra Ctesiphontem, ἄκρη θικέτηρ ἀπὸ λιβερῶν ἐν τῷ δήμῳ. Frustra etiam

etiam dari à tutore seruo pupilli sui licet debeat, l. penul. in qua rectè Thalelæus articulum, Nec, esse construendum cum verbo, Debitam, non cum verbo, Fideicommissariam, ne hoc videatur dicere, Nec directam nec fideicommissariam libertatem tutorem posse præstare, quod ineptum dictu est, propterea quòd directa libertas non præstatur.

*XII. Qui non possunt ad libertatem peruenire.*

**D**ixit de his qui manumittere non possunt, nūc verò dicit de his qui manumitti non possunt, id est qui apud dominos perpetuam seruitutem colūt. Quales sunt damnati in vincula perpetua ob maleficium aliquod, Nā damnati in temporaria vincula, finito tempore pœnæ perducunt ad libertatem possunt. & hæc est sententiā l. i. quæ Diuis fratribus tribuitur à Papiniano in l. fratres, D. de pœn. vnde in inscriptione l. i. ita videtur esse legendum, Imp. Antoninus & Verus AA. vel vt in quibusdam libris Imp. Antoninus A. suppresso nomine fratris, vt sit aliàs sæpè, & in subscriptione, Dat. XVI. Kal. Iul. ipsis Antonino & Vero AA. COSS. Vnde quem patrem suum Imperator dicit l. i. is est Antoninus Pius, non quem perperam subiecerunt, Claudius. Et hoc quoque notandum est ex l. i. seruum in perpetua vel temporaria vincula dā natum non fieri seruum pœnæ, sed in dominio & potestate eius remanere cuius fuit antequam damnaretur, vt laut damnūm, in fin D. de pœnis. Huic verò in l. 2. adiungitur seruus testatoris vel heredis quem testator in testamento suo pœnæ causa manumitti vetuit. Nam & hic in seruitute perpetua moratur, vt nec si subijciatur emptor aliquis fiduciarius qui eum redimat ipsius serui nūmis interposita manumittendi fide, ab eo manumitti possit, l. 4. §. in illis. D. de manumif. Et his quoque addamus eum qui in perpetuam seruitutem vænijt, & qui à præfecto vibi vel præside prouinciæ in perpetuam seruitutem damnatus est, & eum qui exportandus vænijt.

XIII. *Pro quibus causis serui pro præmio accipiunt libertatem.*

**H**IC titulus superiori addit exceptionem, vt qui in seruitutem perpetuam addicti sunt, quandoque publicè manumittantur pro præmio indicij, vt ex S. C. Sillaniano si necem domini indicauerint, l. 3. §. si ex stipulatu. & §. is quoque. D. ad Sill. si raptum virginis, cuius vltionem fortè parentes remiserant. l. 3. hoc tit. qua ex re deportatione plectuntur ex lege Constantini & Iustiniiani, nec crimen extinguitur vt non pateat alijs accusatio criminis, licet inter raptorem & parentes transactio vel pactio rata sit, l. 5. §. vltim. D. ad l. Iul. de vi publica, & hæc est vna differentia raptus ab adulterio. Nam de adulterio pactio & inter conuenientes irrita est Itemq; hoc lege Iulia de adulterijs vindicatur, & quinquennio finitur, illud lege Iulia de vi publica, & est perpetuum. Item si indicauerit desertorem militiæ, l. 4. quæ coniungenda est cum l. i. infr. de desert. si reum falsæ monetiæ, l. 2. hoc tit. quæ coniungenda est cum l. i. infr. de fal. monet. & his tribus postremis casibus pretium serui domino reddi ex ærario oportet, & quarto, l. i. infr. de mul. quæ se pro. ser. iunx. vt L. iij. XXI. l. i. seruorum manumissorum à Tit. Sempronio quorum opera proiperè pugnaverant contra Pœnos ad Beneuentum, pretia tribuni mæsarij dominis reddunt. & XXXII. duobus seruis ex S. C. manumissis ob detectam coniurationem seruorum de soluendis Carthaginensibus obsidibus, pretia eorù dominis ex ærario redduntur, & Plato quoque XI. de legibus hanc legem condit. *δῶλος δὲ ἀρῆ ο μνήσας, ἐλεύτερος ὑπὸ τῷ πόλεως ὄζνῶς γίγνισο ἀποδιδῆσκεις θεῖ διασότη πλὴν τιμῶ. & alio loco. ἔσω δὲ δῶλος μνήσῃ, ἐλεύτερος ἔσω, τὸ δημόσιον ὑπὲρ αὐτῷ τιμῶ θεῖ κερτημιῶ καταβαλλέτω. Nō idē fiet*



set in casu l. i. nec in casu l. vnicæ, supr. ne Christ. man. & Nou. de his qui Eunuchos faciunt.

### XIIII. De ingenuis manumissis.

**I**N hoc titulo agitur de ingenuis hominibus, qui manumittuntur vt serui ab ijs qui existimant vel fingunt se esse dominos, quæ res libertinos non facit, nec officit quidquam ingenuitati eorum, vt si filiusfam. soluendæ patriæ potestatis causa ex imaginaria seruitute à patre manumittatur, vel debitor obaratus ex nexu, vel alius homo ingenuus ex non iusta seruitute Iusta est seruitus vernæ, & captiui, & maioris XX. annis qui se ignorantem vendari passus est pretij participandi causa, vel damnatus in metallum, vel retracti in seruitutem ex causa ingratitude. Non iusta capti bello ciuili, l. cuius. §. vltim. D. de cap. & post. l. 4. hoc tit. Non iusta infantis expositi quem educator retinet vt seruum ob sumptus educationis, l. 2. hoc tit. l. 3. infr. de inf. exp. Non iusta, aut non iustum seruitutis argumentum si ingenuus exhibeat officia vel ministeria seruilia, etiam si diutissime sciens vel ignarus status sui scienti vel ignorantem ita seruerit, quia liberos homines vsucapio vel diutissima possessio seruos non facit, l. 2. & 6. ac neque mutatio nominis, l. 10. ac neque professio vel conuentio, l. 6. 10. 15. 22. 24. 36. 39. infr. de lib. caus. l. conuentio. D. eod. neque venditio aut in dotem datio vel in sponsalia, l. 12. l. vlti. hoc tit. l. 12. & 16. infr. de lib. cau. l. 2. supr. vbi de crim. ag. oport. neque proclamatio in ingenuitatem, in qua libertinus superatus sit, quia non videtur renunciaisse libertinitati in qua est, qui de ingenuitate agit, l. pen. hoc tit. non conductitiæ aut mercenariæ operæ. l. i. Qui ex iusta seruitute manumittuntur, libertini sunt. Qui ex non iusta vel imaginaria, vel ex nexu, ingenui manent, & ingenui sunt qui ex ingenuis vel libertinis nascuntur, vt l. 9. hoc tit. l. ii. supr. de op. libe. vel qui consistente aduersus eos iusto & vero contradicte qui strenuo nisu se adferret patronum aut dominum, ingenui pronuntiatum sunt. l. i.

& 3. hoc tit. vel qui natalibus à principe restituti sunt, & hodie ex Nou. 78. manumissi omnes saluo iure patronatus. Nam absurdum non est ingenuum habere patronum, cum & clientes ingenui patronos habeant, atq; ita sublata est condicio libertinorum, vt non mirum, si & paulatim penè sublata condicio seruitutis fuerit, maximè tot legibus & Constitutionibus & Philosophia ipsa fauori libertatis semper & vbique studentibus.

XV. *Communia de manumissionibus.*

**I**N Basil.  $\kappa\omicron\iota\upsilon\alpha\ \tau\epsilon\pi\iota\ \epsilon\lambda\epsilon\upsilon\theta\epsilon\rho\iota\alpha\ \iota$ . Possim dicere  $\kappa\omicron\iota\upsilon\alpha\ \& \ \epsilon\kappa\kappa\iota\upsilon\alpha\ \upsilon\alpha$ , quia omnes quæ in hoc tit. proponuntur sunt Iustiniani Constitutiones nouæ, quæ ius vetus abrogant, sed & communes sunt omnes omni generi manumissionum, siue fiant vindicta siue in ecclesia, de quibus libr. 1. tit. 13. & in Concilio Africano I. siue testamento vel codicillis directo, aut per fideicommissum, siue alio legitimo modo, quales multi relati sunt tit. 6. ac primum valdè nouum est quod proponitur initio l. 1. vt seruus manumissus à proprietario sit liber, & tamen fructuario seruiat, sicut mercenarius & obæratuſ est liber, & seruit tamen, & contra vt manumissus à fructuario sit seruus, nec tamen domino seruiat, vt & manumissus inter amicos vel à peregrino olim erat seruus, nec tamen prætor eum seruire permittebat. Quod planè indicat quantum referat, seruire aliquem, an seruum esse dicamus. Iure veteri manumissus à proprietario non veniebat ad libertatem, sed seruus remanebat sine domino, manumissio facta à fructuario nullius momenti erat, vt dixi titulo 10. Est etiam illud valdè nouum in §. vltim. vt pater & mater per filium aut filiam siue in potestate sit, siue emancipatus vel emancipata seruos suos manumittere possit, itemque auus vel auia per nepotem aut neptem ex filio vel filia, & sic deinceps, vt sicut in successione ab intestato, vel ex testamento, nulla etiam in manu-

miffio.

missionibus sit inter liberos differentia potestatis, sexus aut gradus. Iure veteri pater per filiumfam. potuit manumittere seruum suum. l. si quis hac lege. §. i. D. qui & à quibus man. l. matrimonij, de ritu nupt. l. si consentiente. l. nepos, de manumif. l. si pater. l. pater. l. surdi, de man. vind. l. filiusfamil. de iure patrona. quia vinculum potestatis facit, vt vna intelligatur esse persona patris & filijfamil. non per filium emancipatum, vt & hoc loco Thalelæus notat, & similiter auus per nepotem ex filio, d. l. nepos. non per nepotem ex filia, quia familiam eius nõ sequitur, eademque ratione nec mater per filium, vt Paulus scribit i. Senten. tit. de iudicato. Fortè nec filiafamil. iussu patris, quia superiores leges de filio tantum loquuntur, non de filia. Est & aliud nouum ius in l. 2. vt seruus minor XXX. annorum ad ciuitatem Romanam peruenire possit. Iure veteri, id est, ex lege Aelia Sentia Latinus fieri poterat, quibus modis Latinitas contingebat, Ciuis Romanus, putà vindicta manumissus, non item, nisi apud consilium causa probata fuisset. & ideò secundum ius vetus ita accipienda est l. penul. D. de manumif. vt infantibus competat libertas causa probata, vel Latina, non legitima. Sine consilio vindicta manumissus, seruus manebat. Testamento autem manumissus Latinus fiebat, & vno tantum casu Ciuis Romanus, si solus à domino qui soluendo non erat liber & heres esse iussus esset, auctore Vlpiano libr. Regul. tit. 4. & hinc causa libertati testamento datæ minori XXX. ann. apponendæ conditionis, Cum ad XXX. annos peruenerit, l. ult. de rebus dub. l. Aristo, de manumif. testa. l. si quis ita. §. ult. de statulib. l. ex parte. §. Sticho. famil. ercif. In eo qui censu manumittebatur, quod genus manumissionis quia desierat esse in usu, vt tit. i. Reg. Vlpia. articulus, Olim, indicat, ideò nihil de eo Iustinianus scriptum reliquit in Corpore Iuris, in eo, inquam, etiam requirebatur ætas XXX. an. vt in reliquis Reg. Vlp. legi his verbis, Et qui censu manumittitur si XXX. an. habeat, ciuitate

Romana potitur, quod & Theophilus confirmat in §. vlt. Inst. de libertin. Illud etiam est nouum quod ait l. 3. ancillam quam quis solam in concubinato habuit, & liberos ex eo procreatos ipso iure liberos fieri morte & silentio viri & patris naturalis eiusdemque domini, quod & ante retulit l. 4. De bon. lib. iure veteri remanebant sex ui, & heredem defuncti sequebantur.

### XVI. De liberali causa.

**A**Dhuc quæ dicta sunt veluti præludia quædam sunt, aut præparationes ad hunc titulum, & sequentes aliquot, in quibus agitur de præiudicialibus actionibus, quibus quis vel ex seruitute in libertatem petitur ingenuam aut libertinam, vel ex libertate in seruitutem, vel ex ingenuitate in libertinitatem, quæ liberales causæ dicuntur, & cognitiones, quia principem aut illustres vel spectabiles iudices requirunt, & præiudicia, vt rectè Thalelæus notat in hæc verba l. 21. hoc titulo, Simile habere præiudicium, Omnem causam status præiudicium appellari. Et præiudicia idè, quod iudicijs liberalibus grauiora nulla esse possint, vt meritò obstant ceteris litibus futuris vel de alimentis, vel de operis, obsequijs, vel de rei vindicatione, vel de hereditate, vel de crimine, vt infrà titul. 19. eisque præiudicium faciant, non etiam ipsæ patiantur per eas, si fortè præcesserint. l. 2. hoc titul. Præcipuæ leges huius tit. sunt l. 14. & 21. de quibus scripsi Obseruat. 18.

### XVII. De adfertione tol- lenda.

**M**Anu adfertio, vt manu missio, dicitur defensio eius qui status controuersiam patitur, quæ olim in causa liberali necessaria fuit, siue ex seruitute quis in libertatē, siue ex libertate in seruitutem peteretur, l. 1. Cod. Th. de libe. caus. quia non potuit cuius status vocabatur in dubium, ea de re per se agere, nec nisi per adfertorem, ac fortè, vt Thalelæus notat in l. 1. huius titul. & Theophilus

philus in tit. de ijs per quos agi. pos. seruus ageret in dominum. quod vix vnquam licet ordinario iure, qua de causa & interim liberi loco erat in omnibus alijs actionibus instituendis aduersus eum qui se dominum dicebat l. ordinata. D. de libe. caus. Et licet petitio in seruitutem iterari non possit, l. 4. & 27. supra titul. prox. adsertio tamen in libertatem iterabatur bis terque, vt est scriptum in l. 1. aut ter quaterque, vt in Basil. & apud Martialem coquum, etiam in causa appellationis, quod tamen fiebat perfusiue & dicis causa, & inde proclamationi in libertatem nomen. Namque sapius idem iterare & frequentare, proclamare est reclamare, l. vltim. titul. 19. l. 1. §. si seruus. D. de adquiren. poss. inde etiam ἀναρτίστωρ nomen Nouel. 142. & antiquam hanc de adsertionibus legem etiam firmasse D. Marcum, Capitolinus auctor est. Hodie ex l. 1. huius titul. in causa liberali non est necessarius adsertor qui pro eo agat qui seruus dicitur, cuius etiam perquisitio olim diu trahebat liberale iudicium, sed ipse per se causam agit cui fit controuersia status, aut per procuratorem si ex libertate in seruitutem petatur, non etiam si ex seruitute in libertatem, quia seruus præsumitur esse qui est in possessione seruitutis, & seruus ad litē habere procuratorem non potest. Hoc autem distat procurator ab adsertore, quod adsertor suo periculo causam agit, & satis præstat iudicio sisti, & res saluas fore quas tenet is qui seruus dicitur, l. 1. & 2. C. Th. de lib. cau. & si deseruerit causam, quam vtique etiam mortuo homine quo de agitur nec deserere debet propter euictionis causam, l. si tibi, infr. de euict. l. 2. hoc tit. tenetur pœnali actione, Quod prodendæ libertatis causa factum est. auctore Paulo V. Sent. titul. 1. Procurator litigat periculo domini, id est, mandatoris, & non cauet iudicio sisti vel in rem saluam fore, & si litem deserat non tenetur pœnali actione, sed mandati tantum in id quod interest. Et olim nullo casu potuit quis causam status sui agere per procuratorem, quia nec per se. At is qui se dominum dicit etiam per procuratorem litigare potuit

qui modo cauisset de rato, siue ex possessione seruitutis ageretur, siue libertatis, quia vt edicto cautum est, quod ad cautionem de rato attinet, vtroq; casu quasi procurator actoris habetur, l. non solum, §. si status, D. de procu. Etiam Iustinianus non vult hodie liberale iudicium iterari sublatis adfertionibus perfusorijs, quibus etiam recuperatores, qui olim de liberali causa cognoscebant iussu magistratum, Domitianus Imp. vt Suetonius scribit, identidem admonuit ne se accommodarent, id est ne eas admitterent vel audirent quæ dicis causa instituerentur, non strenua opera. Nam retractatio liberalis causæ sublata non est, veluti ex Oratione Marci, l. i. D. ne de sta. def. Ac deinde non vult etiam peculium bonæ eius qui de suo statu litigat sequetur deponi si ex libertate petatur in seruitutem, sed si ex seruitute proclamet in libertatem. quod est intelligendum secundum l. 3. titu. citimii seq. & l. vlti. tit. de inseq. Et quod de contumacia ait eius qui seruus dicitur, obseruandum est simul & de periurio eiusdem esse, vt & Alciatus notauit, nec mirum si seruus pronuncietur cui nihil curæ fides habita & religio fuit, etiam si fortè seruus non sit, cum tamen in omnibus causis etiam contumax si bonam causam habuerit, vincat. & singularis igitur hac in re est l. i. ob causam periurij, vt l. si quis maior, supra de transact.

*XVIII. Quibus ad libertatem proclamare non licet,  
& de rebus eorum qui ad libertatem  
proclamare non prohibentur.*

**A**D primam partem tituli pertinet l. 1. & 2. vt proclamatio in libertatem & ingenuitatem denegetur ei qui maior cum esset XX. ann. cum pacto participationis pretij se vanalem præbuit bonæ fidei emptori. quod est ex S. C. l. 3. D. eod. & fortè Claudiano, vt innuit inscriptio l. vlt.

l. ult. eo & ad eò verum est, vt & manumissus non recipiat pristinam ingenuitatem, l. homo, D. de stat. hom. & miles quoq; ob istam ignauiam capite puniatur, l. quædam, D. de pœn. & indignus etiam auxilio prætoris fideicommissarij sit qui in ipso articulo obtinendæ debitæ libertatis fideicommissariæ vœnum ijt, vt participaret pretium, l. 4. in fin. D. eod. Sola participatio pretij impedit proclamationem ad libertatem. Nam si pretium non participauerit, etiam si sciens prudensq; simulata seruitute se vœnundari passus sit, sit quidem seruus, sed non est indignus libertate si ad eam proclamare velit, l. 5. supra de liber. cau. verum ex causa doli emptori quem decepit actur actione prætoria in duplum intra annum, & venditor quoque eidem emptori tenerur in duplam ex stipulatione, l. 18. 20. 21. 22. D. eod. Quod si non denegatur in libertatem proclamatio scienti vendito vt seruo sine pacto participationis pretij. & multò minus donato vel pignurato vel in dotem dato, vbi nullum interuenit pretium, vt aliàs docui esse legendum in l. si vsum fruct. §. 1. D. eod. Nam quod l. 16. supra cod. ait, te nesciente, id ex facto proposito est, non quod nescientia eius qui se in dotem dari patitur necessaria sit, vt l. 6. supra de ing. man. quod ait, scientis, etiam Thalelæus ex facto esse ait. Item vt proclamatio in libertatem denegetur his qui ex latronum familia, hoc est secta & factione protecti, fortè capti sunt, & pro præmio dati captori, vt serui eius sint, largitione principis. Nam & præmio seruum fieri, l. penul. C. Th. de liber. cau. vel ad S. C. Claud. an. probat. Vel ijdem si fortè facti sint serui fisci auctoritate fiscali, reciamare ad libertatem non possunt. Aliàs verò vt captus à latrone non sit seruus, ita nec latro ipse si capiatur, sine auctoritate fisci vel principis. Ad secundam partem tituli pertinet l. 5. de qua satis diximus titulo superiore.

XIX. *De ordine cognitionum.*

**T**ITULUS VIII. lib. III. de ordine iudiciorum, est de omnibus iudicijs. Hic verò est de iudicijs tantùm liberalibus, quorum hæc iure ordinario prærogatiua est, vt solemnibus ordinatis prius decidantur, quàm vlla alia iudicia criminalia vel ciuilia, l. 1. & 5. hoc tit. l. si status, infr. de euct. l. quoniam, infr. ad leg. Iul. de adult. vnde & præiudicialium actionum nomen. Impediunt igitur differuntq; crimen, quod quis intendit ei qui status controuersiam patitur, quodque intendit ipse ei qui controuersiam status facit, l. 1. 3. 4. & petitionem hereditatis, si de hereditate simul & libertate controuersia sit, vel si de hereditate principaliter agatur, & in modum contradictionis siue exceptionis inducatur status quæstio, etiam prius ordinanda est causa liberalis & excutienda, quàm de hæreditate sententia feratur, de qua cum sit actum principaliter, & sententia quoque ferenda est. non de libertate nominatim. Sed sufficit libertati sententia de hereditate dicta secundum eum qui hereditatem petijt esse suam, vt l. 2. hoc tit. l. 1. supra de ord. iud. l. 8. supra de pet. hered. Impediunt etiam repetitionem debitæ pecuniæ, & actionem furti, aut bonorum raptorum, & legis Aquiliæ, l. 5. 7. & 7.

XX. *De collusione detegenda.*

**T**ITULI XVI. partes sunt, qui eum tituli sequuntur de adfertionibus, de his qui iudicio liberali agere ex possessione seruitutis nō possunt, de prærogatiua & excellentia iudicij liberalis, & hic de causa liberali acta inter seruum & dominum per colludium & compactum vt seruus liber pronunciaretur. Et vt titulo 18. habuimus vnum casum, quo quis præmij loco datur in seruitutem alterius, putà grassator in seruitutem eius qui illum vicit & cepit, largitione principis, ita hoc tit. datur a iure casus, quo is qui liber pronunciatus est domino lusoriè cum eo agente de statu, pro præmio seruus fit eius



eius qui collusionem detexit post sententiam intra quin-  
 quennium, & similiter qui ingenuus pronuntiatus est  
 patrono cum eo iurorè agente de statu, libertus fit eius  
 qui collusionem detexit. Quod est ex S. C. Ninniano (sic  
 legendum in l. 2. ex Basil. vbi τὰ πρὸς τὴν ἐπιπέρας δ' ὄγμα-  
 τι ἐγγάφως ὁρίσθηται, & ex vet. lib.) quod factum  
 fuit Domitiani temporibus, l. 1. D. cod. ac fortasse qui in  
 factis sub Domitiano Nonnius Asprenas, est Ninnius,  
 non Nonnius, celebre nomen Romanæ familiæ, vel ex  
 L. Ninnio Trib. pleb. qui iniquis rogationibus Claudij  
 intercessit, auctore Dione 38. & quo referente Senatam  
 decreuisse de reditu Ciceronis idem Cicero scribit, & Ni-  
 nio Hasta, de quo in l. 5. D. ad l. Cornel. de sicar. Generali-  
 ter autem verum est, si per iurorè iudicio actum sit, rem  
 iudicatam pro veritate non haberi. l. 27. suprâ de lib. cau.  
 l. si seruus. §. 1. D. de leg. 1. l. si per iurorè. D. de appellat.  
 Diui Pij rescripto, cuius mentio l. 1. similis est l. 9. suprâ  
 de ing. man.

*XXI. Ne de statu defunctorum post quin-  
 quennium queratur.*

**V**T collusioni detegendæ ingenuitatis & libertatis,  
 qua de re actum est titul. superiore, ex S. C. Ninniano  
 post sententiam quinquennium præscriptum est, ita hoc  
 titu. ex alio S. C. vt l. 4. pen. & vltim. quinquennium præ-  
 scribitur quærentibus de statu defuncti, qui in diem mor-  
 tis, vt l. 1. 2. 6. sine interpellatione vixit vt liber palam, nō  
 clanculum & furtim fugitans dominum, vt l. vlti. nam  
 in eo tantum S. C. locum habet qui in omnium oculis  
 vixit pro libero in diem mortis, vt à morte post quin-  
 quennium de statu eius quæri non possit. Dico quæri,  
 non agi. Nam de statu defuncti certissimum est princi-  
 paliter liberali iudicio agi non posse, l. 13. supr. de lib.  
 cau. sed in aliam litem principalem vel de bonis vel de  
 statu viuentis, si incidat quæstio de statu mortui, S. C.

cautum ne post quinquēnium admittatur, & vt propter hanc illa quoque cesset principalis quæstio. Pato S. C. factum esse D. Marci temporibus, ex Oratione cuius fit mētio l. 1. D. eod. cum & de co ita Capitolinus scribat. De statu defunctorum intra quinquennium quæri iussit. Quod si post cceptam liberalem causam moriatur is cui fit controversia status, etiam certum est causam perdurare, nō propter defunctum, sed propter causam euictionis, l. 2. tit. 17. aut bonorum, l. 3. hoc tit. Statum in hoc tit. in deteriorē partem accipimus, vt si is qui vixit vt liber in diē mortis, dicatur fuisse seruus, Si qui vt ingenuus, fuisse libertinus. nam & post quinquēnium quæri potest vtrum quis filius fa. an pater fa. fuerit, l. 5. hoc tit. quæ minima est status quæstio.

*XXII. De longi temporis præscriptione quæ pro libertate & non aduersus libertatem opponitur.*

**P**OST præscriptionem quinquennij inductam S. C. Ninniano, quæ tuetur statum eorum qui liberi pronuntiati sunt, & post aliam præscriptionem quinquennij inductam alio S. C. quæ statū defunctorum tuetur, nunc datur præscriptio longi temporis, id est continui decennij inter præsentēs, & vicennij inter absentes, quæ aduersus libertatem nec ipsa nec lōgioris temporis præscriptio sola quidquam potest, l. 3. pro libertate plurimū facit si quis longo tempore sine interpellatione in possessione libertatis fuerit bona fide & ex iusto initio possessionis, l. 2. hoc tit. l. vltim. supr. de his qui à non dom. l. si cum. §. Arist. D. qui & à quib. man. Iustum initium possessionis, id est titulum requiro, veluti manumissionem aut redemptionem à seruitute aut vicarij serui traditionem aut peculij remissionem plenam, l. 3. Cod. Theo. de lib. cau. nec requiro semper vicennium, sed contentus sum decennio inter præsentēs, vt d. §. Arist. Quod si mala fide fuerit quis in possessione libertatis, vt seruus fugi-

fugitiuus qui se occultè pro libero gessit, placet longitè poris præscriptionem ei nihil opitulari, l. i. hoc tit. quæ cōgruenter vicinitatem sequitur l. vlt. tit. superioris, quæ etiam est de seruo fugitiuo, vt tametsi in fuga decesserit, quinquennij præscriptio non opponatur agenti de statu eius. Fortè seruo fugitiuo ad tuendam libertatem dabitur præscriptio XL. an. ex l. 4. infr. de præscript. XXX. ann. quæ tamen non datur hodie adscriptio, l. cum satis, infr. de agr. cens.

*XXIII. De peculio eius qui libertatem meruit.*

**I**N hoc titulo proponitur differentia vna inter manumissionem serui quæ fit inter viuos, & eam quæ fit testamento. Manumisso inter viuos tacitè concessum peculium videtur, si non sit ademptum, nisi manumittatur à pupillo, l. penul. D. de man. vin. Manumisso in testamento concessum non videtur si non sit relictum nominatim, vt §. peculium. Institu. de leg. l. 3. D. de manumif. quæ ser. ad vn. per. l. Sticho. D. de pecul. l. i. supr. de com. ser. man. l. penul. supr. an ser. ex suo fac. idem quæ est in filio emancipato, l. donationes. §. pater. D. de donat. Et ratio differentiæ hæc, quia inter viuos peculium neque alij dat neque sibi retinet, testamento id cum vniuerso iure heredi dedisse videtur.

*XXIV. De S. C. Claudiano tollendo.*

**S.** C. Claudiano locus fuit non si liber homo se iungeret alienæ ancillæ, l. 9. supr. comm. de succ. l. 3. sup. de lib. cau. sed si libera mulier contra domini denuntiationem iungeret se alieno seruo, ex S. C. eius fiebat ancilla cuius ille seruus erat, vel si non denuntiante domino liberta, vt Corn. Tacitus 12. Annal. scribit. qui huius iuris vt omnes auctores nostri rectius D. Claudium auctorem facit quàm Suetonius Vespasianum. Trium denuntiatione fuit opus, & sententia iudicis, vt Theophilus scribit in §. vltim. Institu. de succ. quæ fieb. per bon. vend. l. 9. & vlti. Cod. Theod. de lib. cau. l. 10. C. Theo. de muril. l. Lucius,

2. D. de po. idemq; ius legimus seruasse Longobardos & Francos. & exemplo. S. C. idem esse si libera iungat se adscriptitio. At sublato S. C. Claudiano verberibus castigato seruo vel adscriptitio, ea coniunctio dissoluitur. alioquin filij ex ea nati liberi sunt.

XXV. *De nudo ex iure Quiritium tollendo.*

**A**LII seruos habuerunt in potestate ex iure Quiritium putà quos vsucepissent, vel quibus in iure cessi aut mancipati fuissent, quibus modis iure ciuili dominia rerum acquiruntur. & hi testamento manumittendo Ciuēs Romanos faciebant. Alij eos habuerunt in bonis, vt quibus traditi essent ex causa emptionis, non mancipati vel cessi, hi erant in bonis emptoris, venditoris ex iure Quiritium, quod nudum erat ius & inane, quia emptori serui adquirebant ex omnibus causis, a uctore Vlpiano lib. Reg. tit. 1. & 19. & Theophil. tit. de libertin. Et hi quidem domini in bonis testamento manumittendo Latinum faciebant non ciuem Romanum. Sed ex hac Cōstitutione Iustiniāni quoquo iure serui quis dominus sit ciuili vel naturali, manumittendo ciuem Romanum facit sublato nomine, *ex iure Quiritium*, quod tamen in vindicatione filij, Hunc hominem ex iure Quiritium meum esse aio, etiam hodie remansit, l. 1. §. per hanc, D. de rei vind.

XXVI. *De vsucapione pro emptore vel pro transactione.*

**P**OST præiudiciales actiones dicturus de interdictis siue actionibus quæ pro his competunt quas constat esse de possessione vel quasi possessione, de possessionis ipsius iure & proprietate dicere primum instituit, putà de vsucapione quæ ex possessione potissimum consistit perficiturque, adeò vt & possessionis nomine quandoque vsucapio significetur, l. denique, l. cum miles. D. ex quib. caus. mai. & de præscriptione longæ longiorisque  
pos.

possessionis, & de missione in possessionem iudicati seruandi causa, quæ est etiam species possessionis: in quibus omnibus consumitur quidquid est reliquum in hoc lib. VII. & planè spectant omnia ad initium libr. VIII. Vfusucapio est per usum, id est possessionem dominij adquisitionem, vel dominij adquisitionem per possessionem legitimo tempore continuatam, ex XII. tabul. & inter ciues Romanos. Suffragium temporis dicitur, l. si inter extraneos, D. de donat. inter virum & vx. id est, suffragiũ possessionis legitimo tempore cõtinuatæ. Et licet vsucapio sit lucrum coniunctum cum damno alterius, l. 18. & sequen. D. ex quibus caus. maior. recepta tamen est propter bonum publicum, ne rerum dominia diu ac ferè semper in incerto essent, & vt esset possessoribus aliqua securitas & finis aliquis sollicitudinis & periculi litium, l. vltim. D. pro suo. quia dominis sufficere visum est ad inquirendas res suas legitimi temporis spatium, vt planè eis imputari possit de sidia sua, l. vltim. in fin. infr. de an. exc. si intra id temporis res suas non perquisierint, collegerint, vindicarint, l. 1. D. de vsur. & vsucap. & quod est commune & publicum bonum, non videtur esse priuatum damnum, si modo bona fides interueniat initio possessionis, vel potius non videor alteri inferre damnum si vsucapio quod nescio alterius esse, l. si quis fundum. D. de adquiren. posses. Damnum quidem facit qui dominium amittit per usum meum, sed id ego sanè dedisse non videor nesciens nesciente animo meo. Possessionem & vsucapionem continuam requiro, id est, non interpellatam, non controuersam & bonam fidem possessoris, & iustum titulum, id est iustum initium iustamque & veram possessionis causam. Possessionis, inquam, non proprietatis. nam si iustum verumque titulum proprietatis nactus fuero, vsucapioni locus non est, l. sequitur, §. lana. D. de vsur. & vsucap. l. in bello. §. si quis seruum, D. de cap. & postlim. si nactus non fuero, modo possessionis iustum titulum habeam, & illum mihi tribuit vsus legitimi temporis siue possessio & vsu

cipio. In hoc titulo proponitur titulus pro transactione, l. pen. si à non domino res bona fide accipienti tradita sit ex causa transactionis, vt l. cum solius. D. de vsur. & vsuc. vel etiam ex eadem causa consentiente non domino retenta sit ab eo qui ante litem motam eam nullo iusto titulo possidebat, tuitione Prætoris, qui pacta transactionis seruat data exceptione. alioquin vt ex pacto transactionis dominium non transfertur, ita nec possessionis causa firmatur, si subtilitatem iuris spectas, quam interpretes nostri spectant in d. l. pen. Proponitur etiam titulus pro emptore, si à non domino res bona fide accipienti iure vendita & tradita sit, quæ neq; furtiua fuerit, neq; vi possessa, neque pupilli propria, neque adolescentis hodie ex Oratore Seueri de non alienandis rebus minorum, neque testamento vendi prohibita. Et obseruanda est differentia inter rem mobilem & immobilem, vt in rei alienæ venditione si mobilis sit exigatur bona fides vtriusque, id est venditoris & emptoris. nam si emptor sit bonæ fidei, venditor malæ fidei, res furtiua est. l. 1. 4. 6. 7. In venditione rei immobilis ad vsucapionem sufficiat bona fides emptoris, nisi res à venditore vel auctore venditoris vi possessa sit, l. 5. hoc tituli. Ceterum si non sit vi possessa, propter malam fidem venditoris, quia rei immobilis furtum non fit, res nullo vitio laborat, & vsucapi potest ab emptore bonæ fidei, secundum Nouel. 119. ca. 7. si sciente domino vendita sit. nam si nesciente eo, emptori necessaria est præscriptio XXX. annorum. De quaestione l. 3. & 6. scripti satis ad l. 4. D. de vsurp. & vsuc.

### XXVII. De vsucapione pro donato.

**N**ON tantum pro emptore vel pro transactione, sed & pro donato iustus vsucapionis titulus est, si res aliena à non domino donata sit bona fide accipienti, l. 1. hoc tituli. & si res mobilis sit donata bona fide, l. 2. alioquin furtiua res esset. Res autem immobilis donata, vel

ex alia iusta causa à malæ fidei poss. sfore qui eam sine vi possederit, tradita bona fide accipienti præsertim non ignorante domino, vsucapi potest. quia sine vitio est. Sæper requiro, vt verus titulus sit. nam falsus ad vsucapionem non proficit. l. 3.

*XXVIII. De vsucapione pro dote.*

**T**itulus etiam pro dote iustissimus est, vt ait l. 1. D. cod. si res mobilis quæ aliena est & sine vitio furti vel quo alio, bona fide data sit in dotem marito bona fide accipienti. De re mobili loquitur Constitutio huius tituli. quia fundus dotalis vsucapi non potest, l. si fundum, D. de fundo dotali. quotiës mulieri actio de dote omnimodo competitura est, quo solo casu lex Iulia locum habet, l. 3. D. eo.

*XXIX. De vsucapione pro herede.*

**I**ustus quoque vsucapionis titulus est pro herede, si res aliam inuentam in hereditate quam defunctus possedit sine vitio, heres possideat vt hereditariam, sed necesse est vt etiam sit verus, l. 3. & 4. hoc titulo. Est in hoc titulo. satis obscura l. 2. quam sic excipio, vt suis heredibus existentibus nec extantibus tamen, putà abstinentibus se, alij nihil vsucapere possint pro herede, quia sui heredes manent etiam si abstinuerint se, nec illis existentibus iure legitimo venire agnati possunt. Sed quia venire iure prætorio possunt, & pro possessore vsucapere possunt.

*XXX. Communia de vsucapionibus.*

**I**NTER cetera omnibus titulis vsucapionis communia hæc sunt, vt sine possessione ciuili quam quis sibi possideat non alij, vsucapio contingere non possit, l. 1. vt res fisci nullo titulo vsucapi possit, l. 2. vt mala fides defuncti teneat heredem licet bona fide possideat, vt nec ex sua nec ex defuncti persona vsucapere possit q̄ nec defunctus

ctus potuit, ad cuius vicem propius accedit, quod & specialiter de titulo pro herede proposuit l. 1. & 4. tituli superioris, & de præscriptione longi temporis, l. 4. infra titul. 33.

*XXXI. De vsucapione transformanda, & sublata  
differentia rerum Mancipi &  
nec Mancipi.*

**V**T intelligamus iura vsucapionum quæ olim fuerūt & quæ sunt hodie, quod nosse per quam utile & necessarium est, primum ita constituo, omnes res aut esse Mancipi aut nec Mancipi, secundum veterem distinctionem rerum. Res Mancipi, sunt prædia vrbana & rustica quæ sunt in Italia, res Italici soli, & iura prædiorum rusticorum, vt iter, via, actus, aquæductus, quæ & ipsa res soli Italici intelliguntur, & eodem iure censentur quo res soli. l. 2. supra de feruit. & aqua. Item serui res Mancipi sunt, & quadrupedes quæ dorso collove domantur, vt boues, equi, muli, asini, auctore Vlpiano libr. Regul. titu. XI X. item vniones, id est grandes margaritæ, qui & peruli dicuntur à vetusto interprete Horatij. Nam Plinius IX. cap. XXX V. vniones ait in Mancipatum venisse vt prædium aliquod. idemque de omni repretiosa dici potest, id est quæ vaneat auro contra, vel auro supra, de qua eucttionis nomine duplam præmitti oportet, l. emptori, §. 1. D. de euct. Ceteræ res nec Mancipi sunt, veluti prædia prouincialia quæ dicuntur, vt erant stipendiaria vel tributaria, & feræ bestiæ licet domitæ sint, & oues, capræ, sues, & res auro infra. Rerum Mancipi propria alienatio est Mancipatio per æs & libram, quo genere si à domino fiat, dominium acquiritur ex iure Quiritium, si à nō domino, vsucapionis causa præstat. Rerum nec Mancipi alienatio propria est traditio per quam non ex iure Quiritium, sed in bonis iure naturali dominium acquiritur, nec alienari eæ per Mancipationem vllō modo possunt, & inde his & illis nomi-

nomi-



nomina. At vsucapionem Vlpianus ait esse communem alienationem rerum Mancipi & nec Mancipi. quod verum est tantum in rebus mobilibus, vel se mouentibus, non in rebus soli. nam ea tantum prædia vsucapi possunt qui Mancipi sunt, id est, quæ solo Italico continentur, non provincialia, vel iura eorum quæ nec Mancipi sunt, l. cum sponsus. §. in vectigalibus. D. de Pub. in rem act. quæ tamen res non impedit eorum vindicationem, quia in rei vindicationem quaecunque dominium deduci potest, l. si mater. §. eandem D. de except. rei iud. & transferenda istuc sunt quæ Obs. VII. cap. 3. At res mobiles & se mouentes vsucapi possunt siue Mancipi siue nec Mancipi sint vbique locorum in Italia & in prouincijs, vt refert Constitutio huius tituli in qua suo loco reposito verbo, *nexu*. quod infederat incongruo. lego, *quæ fuerant alienatæ nexu, vel quocunque modo, bona fide tamen, detentæ*, id est, quæ fuerant Mancipatæ vel traditæ. Nexus enim nomen quod esse generale Manilius & Gallus existimarunt rectè, hoc loco specialiter accipitur pro Mancipatione, vt in definitione abalienationis tradita à Cicerone. Abalienatio est eius rei quæ Mancipi est traditio alteri nexu. vbi Boetius, Omnes res, inquit, quæ abalienari possunt, Mancipi dictæ sunt aut nec Mancipi. Adde, aut nec Mancipi, ex vetustis libris. & sequitur, Mancipi res veteres appellabant quæ ita abalienabantur, vt ea abalienatio per quædam nexus fieret solemnitatem: quam deinde explicat prolatis Gaij verbis ex i. Inst. tituli de nexu faciendo, quæ omnia Gaij verba de Mancipatione sunt, Vnde apparet idem esse nexum & Mancipium vel Mancipationem, aut eo tantum distare alterum ab altero, quo genus ab specie, vt in XII. Qui nexum faciet Mancipiumque vti lingua nuncupasset, ita ius esto, apud Festum, cui legi addit hanc interpretationem, id est, (sic legendum, non, ita) vti nominarit locutusve erit ita ius esto. Nexus generaliter dicitur quæcunque sit datio, vel obligatio vel liberatio per æs & libram. Specialiter autem Mancipatio siue datio rei quæ fit per æs & libram

præsentibus non minus quàm V. testibus ciuibus Româ  
 nis puberibus, & libripende, & interpositis certis solem-  
 nibusque verbis, quæ idem Boetius ex Gaio profert, cu-  
 ius auctoritate etiam in hanc rem in hoc titul. Cynus v-  
 titur ex scriptis, vt ipse fatetur, Iacob. Rauennatis. Prola-  
 tis autem verbis Gaij de solemnitate mancipationis, siue  
 nexus, subiicit Boetius. Quæcunq̃ue igitur res lege XII.  
 tabul. aliter nisi per hanc solemnitatem abalienari non  
 poterant sui iuris autem ceteræ res nec mancipi vocabā-  
 tur. quæ verba deprauatissima studiosis quam plurimis  
 imposuerunt. In vetustis libris, horum verborum loco,  
 sui iuris autem ceteræ res nec mancipi vocabantur, ita  
 est scriptum, sui autem certehæ res mancipi vocaban-  
 tur. vnde verissima coniectura emendo, Quæcunq̃; igi-  
 tur res lege XII. tabul. aliter nisi per hanc iuris solemni-  
 tatem abalienari non poterant (sunt autem certæ) hæ res  
 mancipi vocabantur. Prætereà sciendum est secundum  
 ius vetus, id est XII. tab. rei mobilis aut se mouentis vsu-  
 captionem esse annum, cuius iuris vestigia sunt in l. nun-  
 quam. §. i. D. de vsu. & vsuc. l. cum sponsus. §. penul. D. de  
 Publ. in rem act. rei immobilis biennium in Italico solo  
 tantum, non in prouinciali. Et, vt summam dicam totius  
 iuris veteris, quantum intelligi ex supradictis potest, dif-  
 ferentia fuit inter res mancipi & nec mancipi, inter solū  
 Italicum & prouinciale, inter dominium ex iure Quiri-  
 tium & dominium in bonis, quas Iustinianus sustulit,  
 ac primum quidem dominij differentiam titul. XX V. vt  
 omnes rerum suarum intelligerentur esse domini eodē  
 pleno legitimoque iure, & hoc titulo differentiam lo-  
 corum, vt vbique vsucapio procederet, sicut præscriptio  
 longi longiorisve temporis, & differentiam rerum mā-  
 cipi & nec mancipi, vt omnes res quo quo modo abalie-  
 nari possent. Et tempus anni mutauit in triennium, bi-  
 ennij in decennium inter præsentis & vicennium inter  
 absentes: quam longi temporis vsucaptionem vt ampli-  
 aret magis, vt obtinuit in præscriptione longi tempo-  
 ris, declarat & in vsucapione satis esse si initio possessio-

his bona fides interuenerit, vt l. bonæ fidei, D. de adq. rer. dom. quod tamen Concilium Lateranenſe non admittit cap. XLI. Et vt emptori proſit tempus venditoris donatario tempus donatoris, vt l. penulti. infr. de præſcript. long. temp. l. id tempus. D. de uſur. & uſuca. l. 2. §. emptori. D. pro emptore. & connumeretur, vt ait, in decennium aut vicennium aut triennium. Sic legendum ex uete. lib. non, tricennium. nam in tricennio iuſtus titulus non exigitur, l. 2. infr. de præſcript. 30. añ. qui mox tamen exigitur hoc loco. At neceſſe eſt, vt uterque, id eſt antecelſor & ſucceſſor bona fide poſſidere cœperit. alioquin nulla fit coniunctio acceſſiove temporis. quod de ſucceſſore ſingulari accipiendum eſt. nam ſucceſſori uniuerſali bona fides defuncti ſufficit ad uſucapionem licet ipſe mala fide poſſideat, & contra bona fides heredis nõ ſufficit ſi defunctus mala fide poſſederit, §. diutina. Inſti. de uſucap.

XXXII. De acquirenda & retinenda  
poſſeſſione.

**R**ECTE inter uſucapionem & præſcriptionem hic titulus medius interponitur, quia neque hæc neque illa ab initio ſine poſſeſſione conſiſtit. Et vt à definitione poſſeſſionis incipiam, nulla mihi uideretur melior dari poſſe illa quam ex Aelio Gallo retulit Feſtus, Poſſeſſio eſt uſus quidam agri uel a edificiij. Simplicius in l. quæſtio. D. de uerbor. ſignific. Poſſeſſio eſt uſus, Gallus aliquanto plenus. & rectè, quidam, id eſt proprii cuiuſdam generis uſus, vt in definitione legati, donatio quædam. nec enim eſt poſſeſſio, qui communiter dicitur uſus, id eſt *χρησις*, vt ſcruitus uſus uel uſusfructus, uel conductio, commodatum, precarium, ſed detentio uel ſubſeſſio aut incubatio, quæ tamen duo poſteriora plerunq; accipiuntur in malo pro poſſ. malæ fidei. Vel quia dominium etiã de poſſ. dicitur, Poſſeſſio eſt dominium uſus ſiue detentationis rei. Proprietas, dominium rei. Poſſeſſio aut, vt Labeo  
ait,

ait, qui optimè callebat origines rationesq; verborum, dicta est à sedibus, quasi positio, id est, situs, sessio, vel statio. qui & exemplo sessionis & stationis docuit possessionem eiusdem rei penes duos in solidum esse non posse, l. 1. in princ. l. 3. §. ex contrario. D. eod. quia naturaliter, inquit, tenetur ab eo qui ei insistit, quam Græci κατοχὴν vocant. Possidere igitur est insistere, incumbere, insidere, residere, vt Plauto possidere ferias & residere ferias. & sequitur in d. l. 1. dominiū rerum ex naturali possessione cepisse, eiusque rei vestigium remanere in quibusdam rebus, non vtique in omnibus. Nam & rei legatæ vel donatæ mortis causa vel hereditatis dominium acquiritur ipso iure sine corporali apprehensione; nec ex possessione semper sequitur dominium. Species autem possessionis duæ proponuntur in l. 10. alia quæ iure consistit, id est, iure ciuili, vt l. stipulatio. §. hæc quoq;. D. de verb. obl. l. si eum qui. D. de donat. int. vir. & vxor. alia quæ corpore. Illa ciuilis dicitur, & ita definitur, detentio quæ constat iure & animo domino, putà detentore credente se esse dominum, & detinēte rem ex causa qua dominium quæri solet. Vnde apparet possessionem ciuilem esse facti, quia detentio est, id est, vsus rei, l. denique. D. ex quib. caus. mai. & animi, quia affectionem, voluntatem, opinionem, cogitationem domini desiderat, l. 1. §. Scæuol. D. si quis testa. lib. & c. & iuris, quia iustum titulum adquirendi dominij qui imbutat animum possessoris opinione domini. Quamobrem & hic animus dicitur esse iuris, non facti, l. possessionē. D. eodem. Est igitur possessio ciuilis iuris & facti, quia nec sine iure domini consistit, nec sine corpore quod possideat, quodq; possideatur. & hoc distat à bonorum possessione prætoriana, quæ & sine corpore vt hereditas iuris intellectum habet. Quæ autem possessio corpore consistit, naturalis dicitur, & est detentio rei citra ius affectionemque domini, non tamen citra ius aliquod affectionemq;. Nam vtraque legitima dicitur, l. 10. quoniam vtramque prætor tuetur interdictis possessorijs, & possessio fructuarij

quæ naturalis est etiam ex iure plurimum mutuari dicitur, l. possessio quoque. D. eodem. Et hæc igitur iuris etiam & facti est. Sed facti magis quàm iuris, quia iure domini destituitur quod ius optimum maximum est. Civilis, iuris magis quàm facti, quia iure domini constat. & hæc proprie possessio, vt in glossis, ἀποχή ἢ ἀπό νόμου, possessio ἀποχή ἢ ἀπό νόμου. Detentio, retentio. Præterea hoc etiam in hoc titulo proponitur, per liberam personam possessionem adquiri, id est corpore etiam liberi hominis, animo & voluntate nostra, vt l. ea quæ. D. de adq. rer. dom. Voluntatem sufficere, nec requiri etiam scientiam traditæ alij possessionis acceptæque nostro nomine, in vsucapione requiri scientiam, excepta causa peculiari. Nam & aliæ plurimæ sunt differentiæ inter possessionem & vsucapionem, ex quibus illa deducitur. Denique possessionem siue naturalis ea sit siue civilis, adquiri corpore nostro vel alieno, aut velat corpore, siue corporis quodam genere, vt lego in l. quarundam. D. eod. tit. & animo nostro aut quasi nostro, vt per infantem tutore auctore, l. 3. non alieno. Retineri solo animo, l. 4. tam naturalem quàm civilem. Vnde intelligitur non amitti eam corpore solo, vt l. 8. D. eod. l. ferè quibuscunque, de regu. iur. quæ tamen amittitur animo solo, l. 3. §. in amittenda. D. eod. Nam & comparisonem adquirendæ vel amittendæ possessionis claudere iudicat ille articulus. Ferè. Et verò etiam duobus casibus notatis à Papiniano solo corpore amittitur possessio, quos lectori quærendos & excutiendos relinquo. Item ex l. 2. huius titu. intelligimus corpore quæsitam videri possessionem non tantum si instrumento sit comprehensum emptorem inductum in vacuam possessionem fuisse, sed & si emptor sciente venditore diu in possessione fuerit, vt l. non idcirco, supr. de cont. emp. l. 2. supr. si quis al. vel sibi &c. Diu ponitur in possessione fuisse, quia agebatur de vsucapione vel præscriptione longi temporis, & loquitur quoque eadem l. 2. de vacua possessione, vt l. 3. & 7. quia si nō sit vacua possessio quæ tibi traditur, qui

possis habere animum opinionemq; adquisitæ eius quæ cernis occupari ab alio? Illa quoque veterum regula in hoc tit. proponitur, Neminem sibi ipsam mutare posse causam possessionis. Causa possessionis est titulus, quem mutat in specie l. 5. qui fundum naturaliter possidet alieno nomine, vt colonus, si constituat eum fundum suo nomine possidere, eumque vendat tanquam suum quæ iniqua & illicita venditio est, quia non potuit sibi mutare causam possessionis, & ius domini non mutat nec possessionis etiam sola illa destinatio animi vt sibi possideat quod possedit alij, sed per venditionem tamen dominum possessione interuertit, vt Sabinus ait apud Gellium in fin. XI. & probat l. 3. §. quod si seruus. D. eod. illo loco, At si alij tradiderint (sic legendum est) videlicet si post venditionem non perseueret domino præstare mercedem, re eadem ab emptore conducta, vt l. quamuis, §. 1. D. eo. Cõtra verò si quis quod suo nomine possidebat, constituat alieno possidere, vt colonus vel fructuarius, non mutat sibi causam possessionis, sed desinit possidere, nec vlli iniuriam facit, l. quod meo, D. eod. ille domino iniuriam facit. Cetera quæ proponuntur in hoc tit. alijs locis exposuimus, etiam quod l. vlti. quæ nihil interesse statuit colonus aut seruus decesserit an discesserit, secundum Proculi sententiam, l. cum quis, D. de dolo. l. 3. §. quod si seruus. D. de adq. poss.

### XXXIII. De prescriptione longi temporis.

Quædam res sunt quæ & vsucapi non possunt, longi temporis possessione acquiri possunt. Huiusmodi fuere olim prædia prouincialia, sed hodie vsucapi possunt ex tit. 31. huiusmodi sunt etiam hodie prædia superficialia, itemque emphyteuticaria, quæ si à non domino accepero, vt ius in eis superficij haberem vel ἐμφυτεύματα, quod in rem actionem tribueret & quasi dominium tradente domino, ius illud non vsucapio sed adquireo longo tempore, l. cum sponsus. §. in vectigalibus. D. de Publ. in rem act. Huiusmodi etiam sunt seruitutes quia

quia lex Scribonia obstat vsucapioni earum, & adquirentur tamen quasi possessione longa, l. si quis diuturno. D. si seru. vind. l. vltim. in fin. hoc titul. Vsucapione adquiretur dominium, non præscriptione longi temporis. Vsucapio parit directam in rem actionem. Possessio longi temporis exceptionem tantum, quæ peremptoria exceptio est, vt planè satis sit eam testari initio litis, nec sit necesse eam etiam initio executi, cum possit executi quandoque ante sententiam, l. 9. & inde præscriptioni nomen quo nihil aliud quam exceptio significatur, & in hoc tit. De præscriptione longi temporis, id est de acquirenda exceptione longi temp. Sed postea placuit etiam cui acquisita hæc exceptio esset, vt daretur utilis actio in rem. l. penul. in prin. inf. de præf. 30. ann. quam & veteres leges dedisse ait, putà d. l. si quis diuturno. vt planè dici possit possessio non minus possessionem longam securitatem præferre, quàm vsucapionem, l. 7. hoc titul. l. i. supr. de com. rer. 2. Vsucapio non interrumpitur litis cōtestatione, & omiffa lite, vel absoluto reo, vsucapio interim iure completa intelligitur. l. Iulianus. in fin. l. seq. l. si à bonæ fidei. D. de rei vind. l. Iulianus, §. quantum. D. ad exhib. l. 2. D. pro don. l. 2. §. vltim. pro emp. Præscriptio siue poss. longi temporis litis contestatione interrumpitur, l. 10. supr. tit. prox. l. 1. 2. 10. hoc titu. l. moræ, sup. de rei vind. Et species l. 1. hæc est. Post motam possessori litem de fundo quæ possidebat, is fundum vendidit bonæ fidei emptori, qui cū per 20. an. possedit sine interpellatione. an tutus est præf. longi temporis? Quia ei auctoris sui mala fides non nocet si accessione temporis quo is possidet non vtatur, l. an vitium. D. de diu. temp. præf. l. apud Celsum, §. auctoris. D. de doli exc. & ita quoque scripsit Paulus V. Sent. titu. 11. iisdem ferè verbis quibus hæc l. i. per scripta est. & quod hæc eadem lex addit in fin. Quod etiam in Republica seruari oportet, ex eodem titul. Pauli ita explicandum est, vt etiam aduersus Rempub. X. anno. præscriptio profit ei qui iustum initium possessionis habuit nec medio tempore interpellatus est. At si is cui mota lis

est, post omissam eam per XX. ann. fundam possederit, non habet præscriptionem longi temporis, quia litis contestatione perpetuata actio est, quæ pars l. i. videtur pugnare cum Lyrica, supr. titu. 31. quæ in præscriptione longi temporis satis est: ait si ab initio bona fides interuenerit, sed addendum, nec lite contestata interpellatus fuerit. Fuit etiam olim differentia in tempore, quia rerum immobilium vel seruitutium quæ his adhærent vsucapio fuit biennij, præscriptio longi temporis, id est decennij inter præsentem, vincennij inter absentes. Hodie etiam vsucapio eorum rerum longi temporis vsucapio est. Communia igitur tempora habent, & commune etiam hoc ut bona fides titulusq; verus & iustus exigatur, & possessio ciuilis, & ut iure tantum successione nudæ longa possessio non profit heredi, purà si rem alienam inuentam in hereditate bona fide possiderit ut hereditariam, quam defunctus mala fide aut sine iusto titulo possedit. quæ est sententia l. 4. huius titu. quia vitium defuncti heredi nocet, imò & donatario vel legatario, lapud Celsum, §. si quis autem. D. de do. exc. quia rem habet ex causa lucratua: non etiam emptori qui pretiosè suam fecit, quidquam nocet vitium auctoris sui, ut dicitur suprà. Et fortè fuit olim controuersum ante l. pen. huius tit. & Constitutionem l. 31. an ut emptor vitur accessione temporis quo venditor possedit, etià ea vteretur legatarius vel donatarius, licet & idem in his esse legimus in l. Pomp. §. sed & legatario, D. de adq. poss. Præterea l. vlti. huius titu. definit qui dicantur præsentem, qui absentes, quia præsentem acquirit præscriptionem decennij aduersus dominum præsentem vel creditorem hypothecarium, absens vincennij aduersus absentem eundem, & præsentiam æstimat ex domicilio quod collocarit in eadem prouincia, nec in præsentiam aut situm exigat in eadè illa prouincia, cum possit quocunq; loco vindicari etiam si quo vindicatur dominij vel hypothecæ iure eodem non sit, modo in eo possessiois fuerit competens forum. Quia actio cum sit res incorporalis, ubique viu



exercet suam in corpore quod prof quitur. Quid ergò si quis in diuersis prouincijs domicilium habeat? rectè respondent glossæ, domicilium in omnibus haberi pro præsentia. Quid si sine domicilio, *à vis: D, à vis: D*, animo solo retinens possessionem rei alienæ, vel rei suæ possessionem negligens. Et hunc quoque rectè ait Ioannes vbique pro præsentate haberi quasi totius mundi incolam qui certam & stabilem sedem non habet. Quid si quibusdam annis sit præsens, quibusdam absens? Hoc definit No. 119. cap. 7. Quid si vnus præsens qui rei insistat, alter absens? De hoc nemo sanus quærit. Quia quid aliud hoc est quàm causam verti inter absentes? Non omittã quod ait l. vii. non distingui vtrùm scierit dominus vel creditor hypothecarius rem suam ab alio possideri, an ignorauerit, quæ tantùm vno casu inducta est. No. 119. si à malæ fidei possessore quis rem bona fide acceperit. Nã si sciente domino, locum habet præscriptio longi temporis, si ignorante cessat.

*XXXIII. In quibus causis cessat longi temporis præscriptio.*

Cessat etiam ex causis positus sub hoc titulo, si quis locator aduersus colonum agat rei vindicatione, l. 1. hoc tit. l. 1. supr. Com. de vsucap. l. 2. infr. de præf. 30. si socius pro parte sua aduersus socium, qui perperam rem totam possidet suo nomine, l. 3. hoc titu. l. seruum, suprã fam. etc. si vindicetur res mobilis, l. 2. nisi cohæreat fundo vt mancipium rusticum quod pro parte iuris habetur, l. 3. D. de diu. temp. præf. & in l. 9 D. co. quæ pertinet ad res soli prouincialis, malè Bas. & Flor. mobilibus. vt & l. 2. sup. de ser. & aq. malè eadem Basilica & Eustatius ex iisdem lib. de temporibus, mobilium. Quia immobilia esse verum est quæcunque rebus immobilibus adhærent, l. pen. sup. eod. l. vlt. in fin. sup. tit. prox. Cessat etiam in actionibus personalibus aut mistis, quia & ipsæ personales sunt, & hac parte potissimum spectantur ne fiat iniuria actori coartata propter realẽ personali actione,

sed ab ea abstinenceatur producta reali potius propter personalem, l. 3. & 4. hoc tit. l. hereditatis, sup. de pet. her. l. 8. sup. de iur. delib. l. 5. tit. seq. l. 1. §. ad hæc, tit. 40. Et rursus si quæras cur in rem actio lōgo tempore perimatur, nō in personam, dicam non longum tempus actionem in rem perimere, sed vsum longi temporis, vsum rei diuturnum. In actione personali nullum esse debitoris vsum, qui perimat actionem. Obligationis vsum nullum esse. Cessat etiam longi temporis præscriptio aduersus dominum rem vindicantem, si quis eam non possederit animo domini, vt in speciel. vlt.

*XXXV. Quibus non obijciatur longi temporis præscriptio.*

**D**ixit quibus actionibus non obijciatur, nunc quibus personis, & in summa non obijciatur cum effectu his qui rescissa præscriptione in integrum restitui possunt veluti militibus, aut absentibus Reip. vel qua alia iusta fortuita, necessaria causa, vel captis ab hostibus, vel minoribus 25. an. antequàm à Iustiniانو ipso iure muniretur aduersus præscriptionem longi temporis, pro modo scilicet temporis quo in expeditione, absentia, captiuitate, vel minore ætate fuerunt. residua enim tempora imputari eis certissimum est nisi per modicum sit tempus, vt l. ab hostibus. §. vlt. D. ex quib. cau. mai. Etiam illud inculcatur hoc tit. l. 5. quo habuimus superiore, præscriptionem longi temporis non obijci agenti in personam.

*XXXVI. Si aduersus credi-*

*torum.*

**I**n hoc titulo ostenditur præscriptionem longi temporis excludere non tantum in rem, sed etiam hypothecariam actionem, quod & supra ostendit l. vlt. tit. 23. & l. 7. & vlt. supra de oblig. & act. & l. 19. infr. de euctio. nec pugnat l. cum postulassent. §. vlti. D. de dam. inr. quæ de vsucapione loquitur, non de præscriptione longi temporis, & de vsucapione legitima. Nam vsucapio Iustini-  
niana

maian, quia & ipsa longi temporis est, vtramq; perimit actionem, si res sit immobilis, si mobilis, idem statuo de vsucapione triennij. Actioni autem hypothecariæ rectè obijci præscriptionem longi temporis, ita verum est, si creditor agat in extraneum bonæ fidei possessorē. Nam in debitorem vel heredem eius, vel in posteriorem creditorem hodie necessaria est præscriptio 40. ann. l. 1. & 2. hoc tit. l. cum notissimi, infr. tit. 39.

XXXVII. De quadriennij præscriptione.

**T**itulus est de quadriennij præscriptione, quæ datur fisco vel aduersus fiscum. De ea quæ aduersus fiscū, est l. 1. vt aduersus vindicationem bonorum vacantium siue caducorum, quæ fis. o competit, non sit necessaria præscriptio longi temporis, sed quadriennij sufficiat, si post quadriennium fiscus vindicet bona quasi caduca & vacantia, quæ alius iusta possessione tenere cœpit, vt l. 1. §. Diuus. D. de iure fisc. l. intra. D. de diu. tempor. præscr. l. quamuis. D. de vsur. & vsucap. l. 6. §. certè si vacantia. D. si quis omis. caus. testamen. quibus locis ostenditur quadriennium computari à die quo bona vacare cœperunt, id est, quo omnes quibus deferabatur, repudiauerunt hereditatem defuncti, vel nullus extitit qui eam amplecteretur. Ne dicas cum Accursio, à die nunciationis, quod nec posses probare. Additur in l. 1. eos qui bona vacantia ex beneficio principis promeriti sunt statim dominos fieri & securos esse aduersus fiscum. De fisco suo principem quantumcunque volet largiri posse, quia & fiscalia quasi propria & priuata principis sunt, De ea quæ fisco datur, est l. 2. & 3. vt post quadriennium quæ fiscus rem fortè alienam vel cōmunem vel alij pignoratam quasi caducā alienauit, exceptione quadriennij repellat dominum vel creditorem agentem in rem, vel hypothecaria act. Is autē qui eam rem à fisco accepit, vel ex largitiōe principis, vel statim securus sit aduersus do-

num vel creditorem hypothecarium. Olim erat ei necessaria præscriptio quinquennij ex edicto Marci, hodie ex Constitutione Zenonis, id est 2. l. huius tit. statim ipso iure securus est, sed in fiscum integra est domino vel creditori intra quadriennium actio in rem vel hypothecaria quasi dolo defierit possidere. Quamobrem Tribonianus ius vetus inflectens ad ius nouum, in l. neq; supr. de rest. mil. pro quinquennij, reposuit quadriennij. quod & Basil. sequuntur, & in l. ult. supr. si adu. fisc. nihil mutauit tamen, quia ius vetus in ea refert. Securitas eadem fuerat olim data certis emptoribus quorundam patrimoniorum, Constitutionibus Leonis atque etiam Zenonis, vt l. ult. infr. de præd. ram. Hodie auctore eodem Zenone datur omnibus, emendata Nou. Leonis de bon. vac. Nec dubitandum quin etiam sit correctâ l. 13. §. item si quis à fisco D. de pct. her. Nihil tamen obstat l. 1. supr. de hered. vend. aut l. 5. supr. de lib. caus. quia tunc solum emptoribus securitatem præstat Zeno cum agitur de dominio vel hypotheca, vt ait l. 3. huius tit. non cum de ære alieno vt d. l. 1. & l. eum qui. D. de iur. fis. vel de statu, vt d. l. 5. vbi & hoc ipsum rectissime Thalelæus notauit. Nihil etiam l. 1. tit. 37. quæ non loquitur de re à fisco vendita tãquam caduca, sed tanquam sibi obligata ex debiti publici causa. Quod autem de alienationibus factis à fisco, ne vlllo modo reuocentur Zeno constituit, idem Iustinianus statuit l. 3. de alienationibus factis ab Imp. vel Augusta ex domo sua & priuata substantia, ex dominicis rebus, non ex fiscalibus, vt curatores vel procuratores, qui eas alienationes faciunt mandatu principis, non sit necesse cauere de euictione, quando emptores statim securi sunt, & intra quadriennium his quorum interest, sit integra actio in rem vel hypothecaria, non aduersus principem (cum principe enim nulla actio est) sed aduersus domos eius & procuratores earum.

**XX XVIII. Nereidominicæ vel templorum vindicatio temporis exceptione sum-  
moueat.**

**A**D finitatem hic titulus habet aliquam cum l. vlt. tituli superioris, propterea quod & illa est de rebus dominicis, quibus hic titulus addit etiam res templorum, ut aduersus vindicationem earum non obstet præscriptio longi temporis. Res fiscales sunt quasi propriæ principis. Res dominicæ, propriæ. Tempora dicit paganorum, quæ fuerant, non Christianorum, ut l. vlt. infr. de funer. patr. l. 6. infr. de om. ag. def. & infr. tit. de diu. præd. urb. & rest. templ. l. 1. Cod. Theod. de fid. Catho. (Vox, *sacrorum*, abest à vet.) post ceperunt esse publici iuris, aut rei priuatæ, ut l. 8. C. Th. de iur. fil. l. 5. C. Th. de loc. fun. in emph.

**XXX IX. De præscriptione 30. vel 40.  
annorum.**

**Q**uemadmodum vñsucapioni quando locum non habet, succedit præscriptio longi temporis, ut supra dictum est, ita ut præscriptioni longi temporis locus non est, ut putà si agatur in rem vel hypothecaria aduersus malæ fidei possessorem, vel si agatur in personam, ibi tum succedit præscriptio longissimi temporis, id est, XXX. an. & rursus cessante præscriptione XXX. ann. ut si à debitore pignus vindicet creditor, succedit præscriptio XL. an. quod hic titulus ostendit. Et de præscriptione XXX. an. legem tulit primus Theodosius Senior, pertulit Iunior & ampliavit vnà cum Valentiniano imperij collega, & iunioris Theodosij sanè est l. 3. huius tituli non Senioris, ut ostendi Obs. 18. Hoc verò distat præscriptio XXX. an. à præscriptione longi temporis, quod in illam fœminis & militibus & absentibus iusta ex causa imputetur tempus trecennij sine spe restitutionis in integrum, ut tot annorum desidia plectatur, & puberibus minori-

bus XXV. ann. quibus tamen non imputatur præscriptio longi temporis, l. ult. suprâ in quibus caus. in int. rest. non est necess. aut ne obijciatur ceteris in integrum restitutioni locus est, vt sup. ti. 35 Non tamen æquum est cuiquâ imputari tricennium, vel longius tempus, quo hostes prædia eius possederunt, vel qui ab his causam habent, quia coactus est ea deserere, nec vlla eius coargui desidia potest. & ita Afris non imputatur tempus quo Vandali eorum prædia hostiliter possederunt, Nou. Valentin. de 30. ann. præscrip. & Hispanis ab iisdem hostiliter suis possessionibus expulsis, Constitutione Honorij, de qua ita Procop. 1. de bel. Vandal. aut historiæ suæ potius 3. libr. νόμον ἔγραψε ὅπως ὁ τῶν βασιλέων χρόνος ὁμῶς γένηται τῆς βασιλείας ἀρχῆς διοτρίσειεν, ἐξ αὐτῶν δὲ τῶν τριακοντοτίων παραγραφῶν ἦμισα φέροιτε, quo modo etiam Romanis contra Gotthos cauisse Iustinianum, ostendi Obs. 10. Item præscriptio longissimi temporis non pertinet ad actiones quæ longo tempore perimuntur, putà in rem vel hypothecariam aduersus bonæ fidei possessorem, nec ad alias quæ breuiori tempore extinguuntur, veluti prætorias annales, & de dolo quæ biennio, de inofficioso quæ quinquennio perimitur, sed ad eas tantum quæ olim perpetuæ, sempiternæ, immortales erant, quas notavi suprâ. quare merito Valentinianus an Theodosium humano generi profûda quiete prospexisse, in suprâdicta Nou. vnde & eam præscriptionem Cassiodorus humani generis patronam appellat, ne tot annorum cuiquam possessio moueretur. Præscriptionis autem XL. an. auctor est Anastasius, l. 4. 5. 6. quæ locum habet in his actionibus, quas quorundam interpretatio vel fortuita vel excogitata interpretabatur esse perpetuas, nec finiri tricennio. & fortuitam interpretationem dicit τῆς τυχεῖος, qualemcumque, etiam ineptam & illepidam, excogitatam subtilem & versutam, quâ ad eas actiones quæ specialiter non essent enumerata Constitutione Theodosij præcipuè adhibere solebant

lebant tanquam omiffas. Sed omiffas Anastafius vult perimi præfcriptione XL. annorum, etiamfi de iure publico agatur, vt l. vlt. infrà de fun. rei priua. l. v. rim. infrà de fun. patr. excepta tributorum caufa, l. 6. vel de condicione personarum, vt fi quis dicatur effe cohortalis, l. fi cohortalis, infr. de cohort. vel feruus. vel nauicularius, vel fabricenfis, metallarius, murilegulus, gyneciarius, vel alterius cuiuscunque condicionis, cui cum fua fobole teneatur adftrictus quafi vinculo quodam feruitutis. Excipitur tantum condicio curialium, l. 5. & adfcriptitiorum, l. pen. infr. de agr. cenf. propter publicam vtilitatē. Item quæ non inatim erat excepta actio Conftitutione Theodofij illo loco, Non à fuo debitore, vt effet perpetua, hodie ex Conftitutione Anastafij finitur XL. annorum poffeffione continuata, & exemplo debitoris etiam aduefus heredem eius & fecū dum creditorem qui eius nomine pignus poffidet, quive dum poft mortem debitoris fuo nomine poffidet, ab herede defuncti nondum apprehenfa poffeffione fuæ poffeffionis coniungit poffeffionem debitoris, vel quam ipfe nomine debitoris poffedit viuo debitore. Excepta etiam erat Conftitutione Theodofij actio finium regundorum. Sed hanc Iuftinianus redegit ad XXX. annos, l. vlt. fuprà fin. regund. verbis fcilicet illius legis quæ perpetuam faciebant actionē finium regundorum, vt ex Iulio Frontino conftat, immutatis & redactis ad fin. tricēnij, & exceptione quoque illa remota à l. 3. huius. titu. quæ extat in C. Th. Vt autem pignus poffidēre fecundo creditore, actio hypothecaria quæ primo creditori cōpetit aduefus fecū dum, viuo debitore finitur 40. an. mortuo 30. vel fi fecundus creditor ex persona debitoris acceffione temporis vri velit 40. ita pignus poffidente primo creditore, ius offerendæ pecuniæ primo creditori debita vel obfignandæ & deponēdæ, quod fecū do creditori cōpetit tanto tempore finitur quanto aduefus eū qui poffideret finiretur actio hypot. l. 7. §. codē iure. At ius luendi pignoris quod debitori cōpetit, Rogerius benè exiftimat nullo tēpore perimi, quia

non tam ius est, quàm facultas posita in arbitrio debitoris, ut quo minus ea utatur quodcumque volet, nulla ratione impediri possit. atque ita licet creditor quocumque tempore non possit appellare fidem debitoris, ipse tamen debitor vltio si velit quocumque tempore fidem liberare, & conscientiam suam exonerare potest, vel ne creditor ex pignore cuius pretium plerunq; excedit debiti quantitatem, si id reddere non cogitur, plus ferat quàm ei debeatur, ac præterea creditor cum debitori non sibi possidere cœperit, nec mutare sibi ipse possit causam possessionis. consequens est nulla cum temporis præscriptione debitorem repellere posse quo minus oblata pecunia debita pignus suum recipiat, l. 2. & l. 7. §. vlt. Ad hæc notandum est, in his præscriptionibus tempora computari ex die quo agi potuit, ut d. l. 7. §. 1. & §. illud. & l. 1. §. ad hæc, tit. seq. Et si forte sint pensiones quæ ex stipulatione, vel ex legato, vel ex alia causa debeantur in annos, menses, vel dies singulos quoad quis vivat, tempora computari non ab initio obligationis, sed ab initio cuiusque diei quo pensio inferri debuit, ut qui ab eod die longissimo tempore cessauit eam pensionem petere, eius diei pensionem amittat præscriptionis iure, ut rectè Martinus accepit, l. 7. §. vlt. nulla facta differentia inter stipulationes & legata, quoniam siue ex stipulatione siue ex legato debeantur, quot sunt pensiones, tot sunt actiones, quæ cum nascantur simul vno eodemq; tempore & suum quoque singulæ habent proprium ad præscriptionem tempus, ita ut primi anni pensio quàm secundi, secundi quàm tertij citius perimatur de consuetudine soluendi. Idem ergo in pensionibus vsurarum dicendum est, quæ plerunq; in Cal. vel in annos singulos debentur, ut in præscriptione earum tempora non computentur ab initio contractæ obligationis, sed a fine anni quo vsuræ peti poterunt, ut etiam si sequentibus annis petiæ & solutæ sint, non tamen petantur præteriti anni vsuræ post 30. aut 40. an. l. seq. §. vlt. & rectè l. eos, supr. de vsur. singulis annis nasci actionem vsurarum. Ideoq; ut sublata obli-



ligatione principali solutione sortis, superest solutio v-  
 furarum, l. centum, D. de eo quod cer. loc. l. i. sup. de iud.  
 ita spatio XXX. ann. sublata actione principali, adhuc  
 primi anni vsuræ peti possunt intra annum, & secundi  
 anni intra biennium, & sic deinceps & ita olim obtinuit,  
 vt Patricius adnotauit ad l. eos. Sed Iustinianus d. finit  
 sublata personali vel hypothecaria actione spatio XXX.  
 aut XL. ann. etiam finiri questionem vsurarum & fru-  
 ctuum. At si fortè daret actio principalis quæ utique du-  
 rat si interrupta fuit præscriptio solutione vsurarum, vt  
 l. plures, sup. de fid. iustitum. non tamen durat petitio  
 vsurarum eius anni quo petita & soluta non sunt, si ab  
 eo die transierint XXX. anni, quæ omnia summè notan-  
 da sunt. Ad dam ex l. penult. cum qui mala fide possidet &  
 dominum vel creditorem semel exclusit præscriptione  
 XXX. vel XL. ann. si postea possessio ad dominum vel  
 creditorem sine violentia peruenerit, non habere aduer-  
 sus eos vtilem vindicationem. Dixi, sine violentia. nam  
 si per vim dominus vel creditor possessionem eripuit,  
 priori possessori momenti beneficio protinus possessio  
 redintegrandæ est. nam & eo casu nondum acquisita  
 præscriptio longissimi temporis si medio tempore do-  
 minus vel creditor rem ita possederit non intelliguntur  
 interrupta temporis præscriptionis, l. 7. §. imò & illud. Si  
 absque violentia, in causa possessionis potior est domi-  
 nus vel creditor qui rem tenet, quam prior possessor qui  
 eam mala fide tenuit. Quin etiam si possessio peruene-  
 rit ad extraneum sine iusta causa, domino vel creditori  
 hypothecario tamen a priori possessore exclusus semel  
 fuerit præscriptione XXX. aut XL. ann. vindicatio com-  
 petit aduersus extraneum, nisi extraneus a die ad præ-  
 possessionis aduenierit eandem præscriptionem, vt l.  
 nisi eam possessionem per vita apprehenderit ereptam  
 priori possessori, cui momenti beneficio potius restituenda  
 est quam domino vel creditori. Est & alius casus quo  
 prior possessor dominum vel creditorem excludit, si à  
 priori possessore, quod rem non defenderet, per senten-

tiam iudicis possessio translata sit in dominum vel ere-  
rorem, vt l. si priusquam, D. de no. ope. nunc. l. à quo. D.  
de dam. inf. Est enim priori possessori integrum intra an-  
num oblata cautione de re def. uadenda recipere possessi-  
onem suam, l. pen. §. pen. cui si obijciatur l. properandū.  
§. si. n. autem ab fuerit reus, sup. de iud. l. 2. supr. vbi in rem  
act. memineris eius quod notauit in d. l. si priusquam, lib.  
9. ad Africanum, separandum esse eum qui rem non de-  
fendit, ab eo qui latitat lite deserta.

*XL. De annali exceptione Italici contractus tollenda,  
& de diuersis temporibus & exceptionibus  
vel prescriptionibus & inter-  
ruptionibus.*

**L**Ego, *exceptionibus vel prescriptionibus*, vt l. 1. tempora-  
les exceptiones vel præscriptiones, legitimæ excep-  
tiones vel præscriptiones. Duæ sunt appellationes eius-  
dem rei. Erant autem olim personales actiones perpetuæ in provincijs, in Italia eis obstatat exceptio anni v-  
tilis. Hodie ex l. 1. huius tit. vbiq̃ue locorum saluæ perman-  
nent vsq; ad 30. annum completum, nisi legitimo more  
interruptatēpora fuerint. nam vt litis cōtestatio, ita quæ  
libet interruptio legitima perpetuat actionem, l. 3. id est  
protēdit in annos 40. quia pro litis contestatione ce-  
dit. In hypothecaria seruat̃ur præscriptio 40. ann. aduer-  
sus debitorem & ceteros de quibus l. 7. supr. titul. prox. &  
hoc est quod ait l. 1. huius titul. sola hypothecaria, & c.  
quo loco duplex error errare videtur, primum quod à  
personalibus actionibus excipiat hypothecariam quæ  
non est personalis, sed hoc idē fortē quia personalis a-  
ctiōnis accessio est, & non proprietatem, vt aliæ reales,  
sed nudam possessionem auocat. Deinde quod ait, sola.  
cum sint & aliæ non cōprehensæ Constitutione Theo-  
dosi. sed & alijs locis verbum idē nos fallit si tam re-  
strictē accipiat̃ur, vt l. pen. sup. de op. lib. l. 1. supr. de bon.  
pos.

pos. cont. tab. §. in bonæ fidei. Instit. de acti. Ceterum omnes personales, quæ minora tempora legibus definita non habent, finiuntur spatio 30. ann. Unde dubitatur quid sit statuendum de mistis actionibus Familix eriscundæ, Communi diuidendo, Finium regendorum. Nam quæ reales sunt, perimi videntur longo tempore, quæ personales tricennio. quod magis obtinuit. & adem dici potest de petitione hereditatis, quæ etiam mista est actio. Et alix quæ nominatim recensentur in l. 1. non alia ratione recensentur, quàm quòd & de eis dubitaretur, de actione pro socio, quod & hæc mista videri posset, vel ex verbis, l. 1. D. Com. diuid. per comparationem acceptis, & de actione furti, aut vi bo. rap. quæ & ipsa furti improbioris actio est, quod videatur sæpius re tractata, vt quidam dicebant, & sæpius in furem nasci actio furti, atque ita nunquam compleri posse tricennium. & id circò l. si cum quis, §. quandiu, D. de furt. non perire actionem furti quandiu fur viuit, quod quid aliud est quàm esse perpetuam? Sed placet etiam viuo fure eam finire tricennio, nec ad si dua tractatione sæpius nasci actionem furti. Cetera in hoc titulo per facilia sunt, ne filijsfam. imputentur tempora præscriptionum, & de interruptionis nouo genere proposito in l. 2. addito veteribus, litis contestationi, conuentioni executoris, nouæ cautioni, mediæ possessioni domini vel creditoris, solutioni partis, solutioni vsurarum, querelæ per libellum ad principem perlatæ in annua præscriptione. nec aliud notandum restat, quàm ex l. 3. cum cui quis debet eandem quantitatem ex diuersis causis putà X. ex testam. X. ex stipulatione, X. ex mutuo, omnes causas & actiones in iudicium deduxisse & per hoc tempora præscriptionum, interrupisse videri si vel X. petierit non adiecta causa, vel generaliter quod sibi debetur, vel si egerit personali aut hypothecaria, etiam eam actionem qua nominatim non egit, quæ modo ex iisdem causis competat, in iudicium deduxisse intelligitur. Diuersum erit si quis ex certa causa certam quantitatem petierit, vt lo. sentit rectè, vel

ex certa causa tantum non expressa quantitate, vel si dissimiles quantitates debeantur, puta X.XX.XXX. ex varijs causis & petierit X. nam quod ait in principio, Et maximè ex similibus causis, sic accipitur, vt minimè idem sit ex dissimilibus causis. Quod autem in fine, vnius quidem specialiter, ita ex principio, vnius quidè causæ summa, causa tamen non expressa.

*XLI. De alluionibus, & paludibus, & pascuis ad alium statum translatis.*

**H**uius tituli coaptandi cum superioribus, qui de præscriptionibus sunt, triplex est ratio. Prima, quod alluione & inundatione de quibus in hoc titulo agitur, possessio & consequenter præscriptionis tempus interrumpatur, l. 3. §. Labeo, D. de acqu. poss. nec mirum, cum & his modis dominium amittatur, l. si ager, D. quibus mod. vsusfruct. amit. Altera, quod præscriptio temporis quælibet non tantum fundum complectatur, sed etiam id quo fundus creuit per alluionem, siue creuit ante siue post acquisitam præscriptionem, quia ius & conditionem sequitur fundi principalis, l. si ego. §. quod tamen. D. de pub. in rem act. l. & puto. §. id quod amnis. D. fam. ercisc. l. si fundus, in princ. D. de pign. l. item si fundi. §. huic vicinus, D. de vsufu. Tertia, quod vt in fine superioris tituli scriptum est, præscriptiones compositas esse aduersus negligētes, ita etiam iura alluionum sint recepta aduersus negligētes, qui ripam qua sui agri terminantur munire aut reficere contemunt, auctor Casfius apud Vrbicum & Boetium. nam & si mutare naturalem alueum fluminis nemo possit, tamen ripam suam munire sine iniuria accolarum potest & vero debet, ne quid ei abstrahatur alluionis iure, l. i. hoc titul. quod tamen non ita abstrahi potest, vt alluione & vi quoque maiore, sicut nec si fundum amnis circumbeat, & in insulæ formam redigat priore alueo derelicto, eius desinit is fundus esse cuius fuit, vt l. i. §. item si amnis. D. de flu.

quod

quod circumluuionem M. Tullius appellat, & Festus circumluuium, quod & ius prædiorum esse ait, quia vix circumluitur cuiusquam ager quin & paulatim alluendo augeatur, l. ergo. §. tribus. D. de adq. rer. dom. ex quo loco idem etiam colluuium appellari potest. Ergo & alluuius ius prædiorum est & circumluuio quæ vix vnquam existit sine alluione, & alluio igitur ius prædij quo contrarij prædij portio ei adcrefcit donàte flumine publico, in glossis προσδήκη καὶ πρόσκλησις τῶ ποταμῷ. Non est ius fisci aut principis, vt ab eo emi vel dono peti possit quasi possessio vacās, cum nec ei tributum indici possit, quia incerta possessio est, vt rectissimè docet integrior Nou. Th. de allu. ex qua sumpta est l. 3. huius titu. & certæ tantum possessioni tributum indicitur. Qui incertæ addiceret, veluti possessæ alluionum beneficio, videretur ignorare alluionum vitia, id est inconstantiam, mutabilitatem, & crebram veluti tempestatum commutationem, & rem iniquam possessoribus indiceret. Eodem iure sunt paludes & pascua, quæ infertilia cum essent & squallida prædia, possessores suo sumptu & opera fertilia fecerūt, vt nec à fisco vendi nec à principe donari nec tributis onerari statim possint. hanc immunitatem mereri eum qui agrum palustrem & inutilem exsiccauit, exarauit, excoluit.

*XLII. De sententijs Præfecti prætorio.*

**S**Vperiori tractatui de possessione & eius effectis, vicinus est tractatus de missione in possessionem, quæ fit sententiæ iudicis exequendæ gratia, & inter genera possessionum adnumeratur l. 3. §. vltim. D. de adquiren. poss. & possessio in iure sæpissimè appellatur. & de ea quia dicturus est ritul. 72. ideò de sententijs iudicum prius dicere instituit, quarum exequendarum causa illa possessio comparata est. & incipit à summis iudicibus, hoc est à sententijs præfectorum prætorio, vt doceat aduersus sententias præfect. prætorio quamuis appellari non possit.

lit, *ἵνα τὸ βούγιον καὶ τὸ ὕψος τῆς ἀρχῆς*, vt Theodorus Hermopolites ait l. 19. & 30. & 35. infra de appell. tamen per libellum supplicari principem posse, vt causa retractetur, non quandiu in magistratu sunt, sed postquam successorem acceperunt intra biennium, quod vtrique verum est etiam si pro curia vel utilitate publica sententiam tulerint, qui præcipuus finis fuit huius Constitutionis, nempe vt abrogaretur vetus Constitutio quæ aduersus sententiam pro curia supplicari vetabat. nam aduersus alias sententias etiam ante hanc legem semel supplicare licebat, l. 5. supra de precib. Imperatori offeren.

*XLIII. Quomodo & quando iudex sententiam proferre debeat presentibus partibus, vel vna absente.*

**R**egulariter ferri sententia nulla in causa debet nisi vtraque parte præsentē. l. de vnoquoque. D. de re iudic. l. 19. infr. ad leg. Iul. de adul. quod est ex illa lege XII. tab. Præsentē ambobus litem addicito. At duo in hoc tit. ponuntur vel notantur casus, quibus vna parte absente & indefensa lata sententia valet, Si quis post litis contestationem absit per contumaciam, vel si absit citra contumaciam. Sed hoc casu dicta in eum sententia appellatione rescindi potest, l. vlti. hoc tit. l. 2. supr. de cont. iud. nisi die feriato dicta sit, vel alio loco quam quem partibus condixerit iudex. l. 4. & 5. Illo nec appellationi locus est nec restorationi litis, l. properandum. §. cum autem. sup. de iudi. l. & post. §. vlti. D. eod. l. 1. infr. quor. app. non rec. l. ex consensu, §. vlt. D. de appell. l. liberto. §. penu. D. de neg. gest. l. contumacia, in prin. D. de re iud. Nouel. 82. nisi ex iusta & necessaria causa abfuerit, vt l. pen. hoc tit. l. ait prætor. §. vltim. D. de minor. l. 1. supr. quib. ex causa l. 4. supr. de procur. quo casu æquum est restitui eremodiciū, & sine restitutione vel appellatione etiam ipso

ipſo iure munitus eſt abſens & indefenſus minor **XXV.**  
 ann. vtroque caſu, l. 6. hoc titu. l. acta. §. vltim. & l. con-  
 tra. D. de re iudic. Item vtroque caſu etiam in liberalibus  
 cauſis vna parte abſente ſententia ferri poteſt, l. 4. & l. iu-  
 xta. ſup. de lib. cau. & in iudicijs publicis non capitalibus,  
 l. abſentem. D. de pœnis. Aliàs verò in abſentem & ſine  
 defenſione qui litem non inchoauit vel pro abſente di-  
 cta ſententia nihil valet, l. certum. §. ſi quis. D. de con-  
 feſſ. item in eum qui litem inchoauit non per contuma-  
 ciam abſentem dicta ſententia quaſi in contumacem, ip-  
 ſo iure non valet, & ſine appellatione reſcinditur, vt ſi  
 damnatus ſit abſens ex edicto peremptorio quod neque  
 propoſitum eſt, neque in eius notitiam venit, l. 1. §. item.  
 D. quæ ſent. ſine app. reſcin. Satis eſt ſi propoſitum pub-  
 licè fuerit, licet in eius notitiam non venerit. quia eius  
 quod proſcribitur cauſari ignorantiam nemo poteſt. Sa-  
 tis ſi in eius notitiam venerit, licet palam propoſitum  
 non fuerit. nam & literæ & denuntiationes ſufficiunt, l.  
 2. & 9. hoc titu. l. 1. Cod. Theod. de pet. deſiſt. Denique ſa-  
 tis eſt ſi quoquo modo conuentus fuerit, l. de vnoquo-  
 que. in ſin. D. de re iud. Conuentio fit in perſonam. Alio-  
 quin non conuentus, id eſt ignarus edicti peremptorij  
 cui ve nihil denuntiatum eſt ſi damnetur vt contumax,  
 ſententia ipſo iure nulla eſt, quia non eſt contumax qui  
 ignorat ſe euocari vel qui ſine dolo malo abeſt, id eſt qui  
 non fruſtrandi cauſa abeſt, l. 3. 4. 5. Eſt in l. 4. & 5. duplex vi-  
 tium, quorum vel alterum ſufficeret vitiandæ ſententię,  
 quod die feriato vel alio loco pronūciarit iudex, & quod  
 in abſentem vt contumacem qui non erat contumax.  
 Hoc ergo titulo oſtenditur quomodo ſententia feratur  
 vna parte abſente, nempe ſeruata ſolemnitate iuris, vt  
 ait l. 8. peracto ordine edictorum, vt l. ſi prætor. D. de iud.  
 non vtiq; contra abſentem ſemper niſi contumaciæ  
 periurium miſtum ſit, vt l. 1. ſup. de adſeſſ. toll. ſed & nõ  
 nunquam pro abſente, l. 1. hoc titu. l. & poſt. D. de iudic.  
 vt tamen ſi in plenum ei ſententia non ſatisfaciat pro

parte litis damnum faciat amissa facultate appellandi & redintē grandæ litis & victo refufis fumptibus litis, l. properandum, fuprà cod. Oſtenditur etiam quando, id eſt quibus caſibus vna parte abſente quod eſt *μονομερῶς*, ferri ſententia poſſit, & quibus non niſi vtraque parte præſente. De definitione cōtumacis quæ ſcripti Obſ. XVIII. in hunc tit. transferri velim.

*XLIV. De ſententijs ex periculo recitandis.*

**I**N ſuperiore titulo vnus præcipuè caſus propoſitus eſt, quo ſententia iudicis ipſo iure nulla eſt, puta ſi lata ſit in eum qui poſt litem cōteſtatam abeſſe cœpit quaſi in contumacem ex edicto peremptorio quod neque propoſitum eſt neque in notitiam eius venit. In hoc titulo, proponitur alius, ſi lata ſententia ſit ſine ſcripto, ſi dicta, non lecta. nam iudex ſiue magiſtratus ſit, ſiue iudex arbitere datus à magiſtratu ſententiā ſuam literis perſcriptam, non notis aut ſingulis, vt l. vltim. tit. 57. atque etiam manu ſua obſignatam, vt eſt in Nouel. Leonis 45. per ſe ipſum ex libello publicè partibus legere & recitare debet. alioquin ſententia ipſo iure nulla eſt, quæ cum dicimus, hæc dicimus ex integro cauſam agi & iudicari poſſe, & ſententiā citra appellationem & reſtitutionem prætoris infirmari, nec ſententiæ nomine dignam eſſe, l. 1. & 3. nec ex ea iudicati actionem vel exceptionem naſci, & iudicati ſoluti repetitionem eſſe, l. 3. tit. 45. l. 1. & vlt. titu. 58. Dixi, publicè, propter l. 6. tit. ſequ. Dixi, per ſe ipſum & ex libello. Sed excipio præfectos prætorio, & alios qui illuſtrem adminiſtrationem gerunt, veluti quæſturam, aut præfecturam vrbi, aut magiſterium, & omnes viros illuſtres qui nullam in Republ. adminiſtrationem gerunt, ſed fortè ad ſpeciem aliquam à principe iudices delegati ſunt, qui per officialem ſuam aut præconem ſententias recitare poſſunt, l. 2. quin etiam, quod non ponitur in l. 2. ſine ſcripto ſententiā ferre poſſunt. Caſſiod. de præf. prætor. Verbo ſententiā dicit.



dicit. quid est quod non habeat commissum, cuius est vel ipse sermo iudicium? Verum additur in l. 2. recitatā semel ex scripto sententiam iudicem neque corrigere, neque mutare posse. Quod correxerit vel mutauerit, ipso iure nullum esse. Seneca in declamat. & contr. Iudex quam tulerit de reo tabellam reuocare non potest. Quæsitō non mutat prononciationem. Apul. 1. Flor. Tabella semel lecta nec augeri litera vna nec minui potest: & hoc quidem certè distat sententia ab interlocutione, quæ & corrigi & mutari potest, l. quod iussit. D. de re iudic. & consistere ex non scripto, l. omnem. Cod. Theod. de appell. Quod autem ait d. l. omnem. & l. 2. huius tit. & l. 4. Cod. Theod. cod. ex libello, quod l. 3. de scripti recitatione, quod alij auctores ex tabella, hoc est, in Rubrica vtri usque Codicis, & in l. 2. Cod. Theo. ex periculo, vnde luce clarius apparet periculum significare libellum aut tabellam aut pilam in qua sententia perscripta est, quod probaui Obser. V. cap. XX. Sanè quod Aemilius Probus in Epaminonda periculum, Plutarchus & Aelianus *σηλακη*, id est, pilam, vt idem Probus loquitur in Alcibiade, vel titulum, vt glossæ, indicem & scriptionē, in qua scribenda erat Epaminondæ condemnatio, vt in fœdere inter Allarioras & Parios lingua Dorica conscripto, quod etiam hodie extat in Creta, iubetur fœdus conferi bi *ἔς σηλακην λιθίναν*, id est, pilam lapideam. & eadem ratione accusatoris inscriptio in crimen rectè appellabitur periculum, vt l. 15. infra qui accus. non poss. quod ex ea periclitetur accusator, ne calumniæ reus fiat, sicut ex sententia iudex nelitem suam faciat, & ne teneatur edicto Quod quisque iuris, & is vtique qui condemnationem patitur, & omnes scripturæ nostræ maximè in iudicijs similiter pericula dici possunt, non etiam verba & voces quæcunque volant.

*XLV. De sententijs & interlocutionibus omnium iudicam.*

**I**N hoc titulo proponuntur alij casus, quibus sententia iudicis ipso iure nulla est, qui & cum alijs qui ante expositi sunt, comprehenduntur generali definitione l. 4. vt contra solitum iudiciorum ordinem prolata sententia nullam vim obtineat: Sententia igitur est decretum à iudice interpositum seruato ordine iudiciorum de summa aut capitulo quodam litis quod absolutionē rei continet vel cōdemnationem certam actoris aut rei. Decreti nomen latius patet quàm sententiæ. Nec enim vt omnis sentētia est decretum, ita decretum omne sententia. Absolutionem & condemnationem requiro, ex l. 3. & 11. s. cundum quas & sententiam definitiuam, quæ indicit iusiurandum accipi volo in l. 3. 11. 12. supr. de reb. cred. & absolutionem vel condemnationem certam, vt secundum l. 7. & 9. sententia habeat certos fines, certam decisionem litis, certæ rei, quantitatisve, certam & plenam cognitionem pronunciationemque. Et condemnationem actoris vel rei, ex l. 14. vt ex sententia Papiniani licet formula actionis ita sit concepta in reum, condemna eum iudex, tamen si in ea ipsa re ex qua agit actor reo debere deprehendatur, non reus actori, actor condemnari possit, etiam si quod Iustinianus addit forū rei, quod actor sequi cogitur, actori sit forum competens. Et de capitulo siue membro litis ex l. pen. hoc titu. & l. 12. supr. de reb. credi. Quod verò dixi, seruato ordine iudiciorum, multa complectitur, vt feratur sententia publico loco, l. 6. & ex legibus, non exemplis, nec si per obreptionem fortè princeps aut maior magistratus aliquando iudicauerit contra leges, l. 13. Inconuenientia ferè omnia exempla esse, vt Cyprianus ait de singul. cl. quibus Iurisperiti fallaces ad iam ludendos velut timiles coniecturas iuris obijciunt. Ad ordinem iudiciorum etiam hoc pertinet, vt in eum fiat condemnatio in quem lis contestata est, in procuratorem vel in dominum litis, l. 1. Nam & si executio iudicati fiat in dominum litis, l. 4. D. de re iud. non tamen fit condemnatio in eum, si iudicium non acceperit, sed in procuratorem qui no-

mine

mine eius iudicium accepit ciuile, non criminale, vt l. ult. de inu. Nam & cur malunt quidam litigare per procuratorem, nisi vt sua nomina condemnationi non inferantur, aut ne ipsi præsentemur, atque ita si fortè famosa sit actio conseruent existimationem suam? Et illud quoque vt ne quis iudex de eadem re suam vel antecessoris sui sententiam retractet, l. 9. hoc tit. l. 1. infr. sen. res. non poss. De eadem re, inquam. Nam qui sententiam tulit de possessione, postea non prohibetur sententiam ferre de proprietate, d. l. 9. l. 3. infr. si à non compet. iud. quia alia res est, & rursus sententiam dico, quia interlocutio retractari potest, quæ vt ait d. l. 9. plerunque rem non perimit, & ait plerunque, quia interlocutio aliquando rem ferè perimit, veluti admissa exceptione peremptoria, l. 37. C. Th. de appel. vel adnotato reo absente & obsignatis bonis, l. 2. infr. si pen. ap. mors inter. Interlocutio est præceptum iudicis in principio aut medio litis interpositum, quod ad finiendæ litis præparationem spectat, non etiam finit siue perimit litem, id & præiudicium dicitur, & iussum, & articulus, & improprie sententia, & suasio, in specie l. 7. quæ inter propinquos iudicis suasio, vt de re transigant, etiam si honestissima, tamen vim transactionis aut acceptilationis nō habet, sicut nec interlocutionem vim stipulationis habere placet, l. 1. infr. com. epist. At sententia & stipulationis & acceptilationis vim habet, quia ciuilem obligationē parit & tollit. Cetera quæ sunt in hoc tit. alijs locis exposuimus.

*XLVI. De sententia que sine certa quantitate prolata est.*

QVod dictum est titulo superiore, l. 7. & 9. sententiam certis finibus concludi, id ita specialiter in hoc tit. declaratur, vt qua de re actum est certam sententiam esse oporteat, id est, pecuniæ, vel rei certæ. alioquin sententia non est, id est, iudicij & litis finis, & subintellige in hoc tit. vel certa re, ex §. curare, Inst. de act. Certa autem

est pecuniæ quantitas vel rei qualitas non tantùm si nominatim exprimat, sed & si intelligatur & repeti possit ex libello conuentionis vel instrumento obligationis vel ex parte aliqua actorum, l.3. hoc tit. l.5. §. vlt. l.59. D. de re iud. vel ex legibus ipsis & iure publico, vt in specie l.1. si ita iudex pronunciauerit, L. Titio G. Seium ex causa venditionis C. debere videri cuius pecuniæ quoad eam persoluerit L. Titio G. Seium vsuras dependere placet. Nam quæ non est expressa vsurarum quantitas satis intelligitur ex ipso iure & tit. de vsuris rei iud. Et obseruandum ex l.1. diem legitimum iudicati faciendi iudicem non tantùm prorogare vel coarctare posse, vt l.2. D. de re iud. sed & nedare quidem, vt si iubeat vsuras præstari statim à die sententiæ quoad fors omnis quæ in condemnationem deducta est persoluta sit. Rata etiam sententia est & iusta, si procurator Cæsaris fisco, vel si procurator Reipubl. Resp. indemnitate præstari iubeat, l.2. hoc tit. l.3. supr. tit. prox. (Iubere, est verbum commune sententiæ & interlocutionis) quod tamen non ita erit, si quis alius iudex inter priuatos similem sententiam ferat, quia priuatorum domesticæ rationes hodie nō sunt certæ, vt & Asconius notauit, publicæ fisci vel Reipubl. rationes sunt liquidæ & certæ, ex quibus indemnitate quod est in sententia nomen, facillè explicari potest. Aliàs verò sententia sine certa quantitate prolata, ipso iure nulla est, l.3. & 4.

*XLVII. De sententijs quæ pro eo quod interest, proferuntur.*

QVod dixit titulo superiore, sine certa quantitate prolata sententiam non valere, verum est etiam si incerta petitio actoris fuerit, vt l. vlt. D. eod. l. vlt. suprâ de an. excep. vel si egerit de incerta quantitate. §. curare, Inst. de act. vt si egerit in id quod interest, cuius incerta est quantitas, & per hoc actio in id quod interest incerta vel incerti actio dicitur passim in iure, quacunque ex  
causa

causa agatur. Nam & cùm incerti agitur in id quod interest, si id iudex censeat esse præstandū, eo nomine condemnationem facere debet in quantitatem certam, condemnationem taxatæ quantitatis, vt ait l. 3. in fine. infra de inutil. stipul. & taxatæ quantum possibile est, vt ait d. §. curare, vt in constitut. istius rit. etiam Iustinianus ait, se prout possibile est taxationem ponere condemnationi in id quod interest. Nec enim facilis eius positio est, quia non liquet vtique semper quantum cuiusque interest, propterea quod ea res pendet ex facto siue negotio proposito, pro cuius varietatē varia etiam inducitur ratio eius quod interest, modo maior, modo minor quā sit res circa quam ea incidit vtilitatis ratio, modò rei omninò compar, & vt in obscuro est plerunq; facti causa, & difficilis probatio eius, vt in l. 3. D. de interr. in iu. fac. dicitur plerumque difficilem aditæ hereditatis, quæ res facti est, probationem esse, ita plerumque difficilis est probatio eius quod interest, l. vlt. D. de præst. stip. quo fit vt in obscuro eius quoque affirmationem iudex sæpè redigat ad exiguiorem summam, quasi in excessu maius sit delictum quàm in defectu, vt item ab initio vitandæ huiusce auctoritatis causa in stipulationibus quæ in id quod interest concipiuntur, plerumque contrahentes certam quantitatem exprimant, vt idem Iustinianus in hoc titulo, quantum potest, iudici in cuius arbitrio posita est taxatio eius quod interest, det legem quam sequatur. Iudicialis enim quæstio hæc est quatenus cuiusque interest, quantumque sit æquum, eo nomine præstari. Quòd si quæsieris definitionem eius quod interest, dicam esse incommoditatem rei vel actoris, quæ culpa ad uersarij contingit. Aliter, pecuniariæ quantitatis rationem quæ ad nos pertinet. Aliter, quod per aduersarium amissimus vel habere non potuimus. Aliter, id quo ius nostrum aduersarij culpa deterius factum est. Vel potius, vt Bartolus, quia vtilitatis nomine frequentius in iure id quod interest significatur, Vtilitatem iustam que nobis abest, Vel vtilitatem quam ex re ipsa, qua de agitur,

tur, haberemus vel adsequi potuiffemus, si damnum nõ dediffet lucrum ve nobis aduersarius non intercepiffet. Separat autem Iustinianus casus certos ab incertis. Casus vocat themata, vt est in Basil. pro, in omnibus casibus, ἐν τοῖς τοῖς ἰσχυροῖς, quas Iulianus noster propositiones. Et casus certos, qui certam habent quantitatem vel naturam, id est, quibus directo & principaliter proponitur agi de certa pecunia vel de corpore certæ rei, certā naturam accipiens pro substantia certi corporis, & pro exemplo dat venditiones, quia certum pretium & taxatam quantitatem habent, l. i. supr. de rer. permut. & rem certam, rarò incertam, nec nisi cum alea & spes emitur. Et locationes, in quibus etiam certum est pretium & certa res, sed interdum etiam incerta, vt si quid faciendum locauero. Tum addit generaliter, Et omnibus contractibus, quia ex omnibus contractibus certum condici potest, l. certi. D. de rebus cred. Et his omnibus casibus certis Iustinianus definit id quod interest non posse dupli quantitatem excedere, id est, re principali altero tanto amplius esse non posse, vt si per venditorem mora fiat quo minus res tradatur, & agat emptor ex empto quanti sua interest rem habere, pretium consequetur quanti rem emit si id prænumerauerit. & quanti pluris ea res hodie est, l. i. l. si sterilis. §. cum per venditorem D. de act. empt. modo duplum non excedat. Nam si res emptæ sit X. quæ hodie digna sit XXV. emptor non consequetur vltra XX. nempe X. pretij nomine quæ numerauit, & alia X. id est, ἰσόμετρον, vt Theodorus Hermopolites loquitur in hanc legem, nomine eius quod interest supra pretium quo res vænijt. Pono pretium prænumerasse, quod idem Theodorus πρόχρησιν vocat, Latini promutuum & antecessum, quia si non numerauit aut eo nomine venditori satisfecit, venditor qui rem non tradit moram facere non videtur, l. Iulianus. §. offerri. D. de actio. empt. & eius quod interest ratio non habetur nisi post moram. Pono etiam speciem in actione ex empto. Nam si post traditionem rei & moram empto-

ris, de pretio agatur ex vendito, in eam non dicimus venire id quod interest, quod propriè est accessio rei certæ, sed vsuram, quæ propriè est accessio quantitatis, d. l. Iulianus. §. ex vendito. Nec tamen venit quasi vsura, id est, fœnus, sed quod interfit moram non adhibuisse emptorem. l. socium. D. pro socio. quia non propter lucrum actoris, sed propter moram rei infligitur. Fœnus propter lucrum, etiam si nihil actoris interfit, sicut pœna in conventionem deducta, l. cum pœna. D. de rec. qui arb. rec. l. si stipulatio. §. alteri. D. de verbor. obl. Vsuræ, quæ propter moram, non est fœnus, sed pro eo quod interest infligitur, ut nō malè idem Theodorus, cuius in hanc legem interpretationem apponam in extremo huius synoptici sita scribat, τὸ διαφέρει ἕτερον τῶν τόκων, confundens cum vsuris id quod interest. Vtrūque ex mora debetur, & modus atque finis idem est vtriusque, & vtrūque pœna. Nam pœna est quidquid ultra rem principalem exigitur. Sed alia infertur etiam ei cuius nihil interest ex conventionem, alia ei tantum cuius interest, ut vsura vel quanti interest quod propter moram infligitur officio iudicis Vsuræ illa, pœna dicitur, l. lecta. D. de rebus cred. & id quoque quod interest, l. ultim. D. de eo quod cert. loc. & in hac Constitutione dum Iustinianus rationem reddens à se coarctatæ rationis eius quod interest, ait, Cùm sciamus, &c. quod interest vocat pœnam, & verbum, proferantur, verbum est istius tituli, & hic igitur sensus, congruum esse naturali æquitati, ut sententiæ quæ pro eo quod interest proferuntur, proferantur cum modo æquo & pari, ne fortè maior pœna quàm culpa sit quam ve humanitas æquitasque patitur, & æquius esse culpa pœnam citiorem esse, quàm pœna culpam, τὴν φεικίαν, ut Theodorus ait, τὴν συμμετρίαν ἀπάλην. Omnè culpam siue moram parodium parentive pœnam exigere, & minorem potius quàm maiorem. Humanitatis hanc esse legem, ex qua fit ut in obscuris voluntatibus defunctorum aut contrahentium, quod minimum, in paribus sententijs iudicum quod iustius est sequamur

quamur, in controuersijs siue dubijs quæstionibus iuris in medium eamus potius quàm in summum vel imum, melius esse ad summum vel imum, quàm in summo vel imo. Porro vsura quacunque ex causa infligatur ius vetus est, vt duplum non excedat. Nam vbi fortem æquauit quod postea vsuræ pernumeratur, deducitur de sorte, & ab vsura exemplum peruenit ad id quod interest, & eadem quoque ratio seruabitur in pœna quæ pro vsuris vel pro eo quod interest, in stipulatum deducitur. In causa euictionis certum olim erat, venditorem vltro duplum non subire periculum euictionis, vt exposui ad Africanum l. 44. D. de actio. empt. quia moris erat ex ea causam duplam tantum cauere. At Iustinianus in omnibus alijs causis idem vult obtinere, vt id quod interest supra duplum non præstetur in casibus certis. In casibus autem incertis, quæ certam & finitam quantitatem vel rem non habent, Iustinianus ad finem dupli non taxauit id quod interest, sed arbitrio iudicis reliquit vt ipse æstimaret in rei veritate quantum interesset actoris, vel rei. Nec enim incertæ & infinitæ rei alia potuit quàm infinita regula constitui, vt Aristot. ait, τὸ ἀορίστου ἀόριστον καὶ τὸν κενόν αἰετὸν. Proinde in casibus certis Constitutio taxat id quod interest, in casibus incertis officium iudicis, vt si de fundi possessione agatur, quæ res est incerta, quia neque quantitate, neque corpore certo constat, quanti intersit officio iudicis æstimatur, l. pen. §. vlt. Vti possid. l. 1. §. ex die, de vi & vi arm. itemq; si agatur de restitutione operis quod vi aut clam factum est, quia restitutionis vtpotè facti causa incerta est, quanti intersit restitutionem fieri officio iudicis æstimatur, l. semper. §. in hoc. Quod vi aut clam. ex rei veritate. l. 9. §. vlt. D. de aqua & aqua plu. arcend. vt in hac lege Iustinianus ait, in casibus incertis, quod reuera inducitur dānum hoc præstari. Idemque seruatur in obligationibus faciendi, l. si quis ab alio, in fin. D. de rei iud. & quanti reuera intersit, spectetur vera quantitas, non quantacunque. ex affectione vel vtilitate pctitoris, l. 2. §. vltim. Qui fati-



fatid. cog. & cum agitur de cautione præstanda, quæ etiam res incerta, incorporalis, immanifesta est, d.l. si quis ab alio. in princip. Nec enim iudex aliud spectat, quam quod reuera actoris interest, nec animum attendit commentitijs, vanis aut longius arcessitis & excogitatis causis, articulis, allegationibus partium, vt si alleget qui stipulatus est cauere sibi pro Titio d. bitore suo, etiam si in præsentem nihil sua intersit Titio locuplete, se vereri & timere tamen, ne Titij labascat fides aut facultas, atque idcirco sua interesse vt sibi caueatur, quod ille inops fieri possit, Iudex vani timoris & aduentitij casus nullam rationem habet, quia & hi casus hinc timores, hæc cogitationes, hæc commenta siue friuola nullam æstimationem recipiunt, d.l. si quis ab alio. l. 4. D. qui & à quib. man. Et hoc exemplo adhibito possis luculenter explicare quod ait Iustinianus in hac lege, in casibus incertis iudicem nõ debere metiri id quod interest ex quibusdam machinationibus, &c. Theodorus his exemplis vtitur. Ago in te quod L. Titium me heredem instituire volentem testamentum facere prohibueris, actione in factum in id quod interest, & inter cetera dico per te factum ne ad me perueniret ex ea hereditate prædium quod in ea erat belle ædificatum & amœniss. quod principi impensissimo pretio vendidissem, & ne in reliqua me bona mitteret prætor quæ infanis emptoribus magno vendidissem. Iudex non habebit rationem huius allegationis in cæ, sed duntaxat communiter ea hereditas quanti sit æstimabit. Insulam intra certum tempus fieri stipulatus sum, & transijt tempus quo debuisti facere, ago ex stipulatu in quantum mea interest, & dico mihi fuisse in animo eam domum cui ædificandæ locum saluberrimum & amœnissimum elegeram donare principi, à quo munera retulisset & beneficia quamplurima, quæ tibi imputari desidero in ponenda ratione eius quod interest, & te mihi eo nomine condemnari quod per te factum sit ne ad me ea commoda peruenirent. Iudex hæc quæ dico neque probabit neque audiet propitijs auribus. Vtitur

etiam exemplo interdicti. Vnde vi, in quo venit fructus & omnis utilitas, non tamen compendium negotiatiois aut industriæ meæ, non extrarium & aduentitium lucrum quod non ex re ipsa prodit quæ principaliter in obligatione est, non casus fatalis & improuisus, idque siue sit casus certus siue incertus, utique semper obseruandum esse ostendi ad legem si fundus. D. locat. Verba autem Theodori in hanc legem hæc sunt:

Ἡ πρῶτα διάταξις τὸν λόγον τοῦ διαφέροντος συβέλλουσα ἢ ὀρίζουσα, ἢ φανερόν καθισῶσα, τὸ ἵδ' εσπίζει, μὴ ὑπερβαίνειν τὸ διωλοῦν τῆς πρωτοτύπου καὶ εἰς ὄρθον κεχρεωσμηλύνει προσότητος, ἢ πᾶσι τοῖς συναλλάγμασι πλὴν ῥητῶν ἢ ὄρισμηλύνει ἔχουσι πρόστηλα ἢ φύσιμ, ὡς ἐπὶ τῷ πρᾶστωρ ἢ τῷ μιᾶσσεωρ, ἢ τῷ ὁμόιωρ. εἰσὶν ὡς ὑπὸ θέματος ἢ γόρασα ἀπὸ σῶ κτήμα εἰς λίτρας ἑκατὸν ἢ εἰς δέδωνα. σοι τὸ τίμημα, ἢ συλοβῶν τὸ τίμημα, ἢ νυμμηθίε αὐτὸ ἐπὶ χρόνοις ἰκανοῖς ἐπώλησας ἢ εἰς κτήμα πρὸς ἐπερσιν, ἢ πρὸς δέδωνα αὐτῶν ἀκίνητον, ἐκίνησα ἢ σῶζῃ τὸ, τε τίμημα. Ἐπὶ τὸ ἢ πρὸς διαφέρον, ἢ τοῖς τῶν εἰς. Ἐπὶ συμφηφίζωρ ὁπόσσω εἰς λίτρας ἑκατὸν πενήκοντα ὀρίζῃ οὐρ ἢ διάταξις, ὅτι ἐπὶ ἢ ταῦθα τὸ πρωτοτύπου χρεωσῶ μισθωσῶσῶρ, ἢ τοῖς τίμημα δ' ἢ λόμῶσι. Ἐπὶ ὄρισμηλύνει, ἢ τὸ διαφέρον ἰσόμερον ἀπαλειπῶ, ὡς μὴ ὑπερβαίνειν τὰς ἑκατὸν λίτρας, ἀλλὰ διὰ τε τὸ πρωτοτύπου χρεωσῶ μιλύ, ἢ διὰ τῷ διαφέροντος κορυφῶν εἰς ἀπαλιτῶ μισθωσῶσῶρ εἰς διπλάσιον, ἢ τοῖς εἰς λίτρας διακοσίας. ἢ γὰρ ἢ θεματισμόρ τῶν θεμάτιζε. Ἐπὶ τῷ μιᾶσσεωρ. οἶν ἐμιᾶσσεωρ ἀπὸ σῶ κτήμα ἐπὶ

χρόν

χρονοῖς ἕκοσι. καὶ δὲ δωκά σοι, καὶ ἐν προχρεῖα τὸ μί-  
 αθωμα τῶν τοῦ δῶρου χρονοῦ. συλαβῶν ἕτε καὶ μεμη-  
 θείε ἐπὶ χρονοῖς ἕκοσι, τὸ τε μίαθωμα ὃ τὸ κτή-  
 μα. οὐκ ἐυγνωμονεῖς πρὸς οὐαῖ μοι τὸ μίαθωδ' ἐν  
 κτήματι οὐκ ἐκινήσω καὶ σὺ, ἀπαιτήσω σε τὸ τε μί-  
 αθωμα, καὶ τὸ ἐν τεύθειμ διαφέρειμ, ἢ τοι τὸν τόκουε,  
 καὶ πλὴν ἐπὶ τῷ πράστωε ἀνωτέρω γραφῆσαι δια-  
 σιξίμ. ἀλλὰ τὸ το μὴ κρατῆσαι πέντων τῷ ἔχον-  
 τωμ δ' ἡλομ καὶ περσωμ λῶν τὸ δ' ἄρ' οὐδ' οὐκ ἀνω-  
 τύπως χρεωσόμεν. ἐπὶ ἧ τ' ἀνοκντωμ ἀδ' ἡλω. καὶ  
 καὶ πρῶτον ὄψιμ ἀπόσωμ πρὸ ἐγγυᾶται τοῖε δικα-  
 σαῖε, τοῖε κρῖνυσι τοῖε τοιαῦτα ἀπράσσε, ζητῆμ  
 τί ὄβι τὸ ἀλκτωε χρεωσόμεν. καὶ εἰε τοῖε καταδία  
 καὶ τῶν τὸν φωνητό μῦτον ἐνοχου. καὶ μὴ ἀνέχειε τῶ  
 ἀνδ' ἴκου κατασκευάζοντοε διαφέρειμ μέγα καὶ ἴ-  
 πῶρον ἀπὸ ἄνωμ ἐπινοιωμ λεπῶν, καὶ δισσῶ φωμ, καὶ  
 μεθῶ δ' ἄνωμ ἀκνύτωμ. ἵνα μὴ εἰε τοιαῦτα ἐκκυλιώμε-  
 νοι ἐμπέσωσιν εἰε ἀμχαῖωμ, καὶ ἀπόφωσιν δ' ἄρ' οὐ-  
 θε, καὶ ἄδ' ἄνωμ ἀκνύτωμ. καὶ φύττε εἰ τὴν συμμεξία  
 ἄνωμ ἀπῶ τῶ οἴωμ ἐκίωκα καὶ ἄνωμ λέγωμ, οὐδ' οὐ-  
 λόμινωμ τῷ πῶρον δ' ἀθήκῶν κρῖνυσι καὶ καταλιπῆμ  
 με κληρονόμω. ἐκώλωταε, καὶ ζητῶ ἀπ' οὐδ' τὸ ἐν τεύ-  
 θεμ διαφέρειμ, καὶ κατασκευάζωμ τοῖε, καὶ ἐκωλύ-  
 φωμ εἰε ἀπῶρον, λέγωμ, οὐδ' εἰ ἄνωμ κληρονό-  
 μοε εἴχεν ἡ κληρονομία κτήμα πρὸ φωνεῖε καὶ πρὸ σω-  
 δ' ἄρ' οὐ καὶ ἐκίωκα τῶ βασιλεῖ, ὃ πρὸ δ' ἀπωλίσσε  
 πρὸε ἀντῶ, ἔλωθεν ἄρ' καὶ τίμημα ἀδ' ἄρ' οὐ, καὶ ἀπ' οὐ-  
 λῶν εἰε τὰ κατωλὴ καὶ πρῶτωρ ὃ ἀναγραφῆε. καὶ

ἐμελλωμ

ἔμελλον ἐκείθεν ὠφελῆσαι πάμπολλα. ἢ ἐπηρε-  
 ηται ἕνα κτίσαι μοι οἶκον ἢ τόσων εὐαέρων ἢ ἐπι-  
 τικδίας ἐν τῷ καιρῷ τινος ὃ ἃ οὐκ ἐκλίσσε καταφρο-  
 νήσας τῖς δίασε ὁμολογίας ἢ κινήσας κατ' αὐτοῦ ἐζη-  
 τωυ τ' ἐν πύθην διαφέρου, λέγωμ ὅτι ἐκτίσθη μοι  
 ὁ τοῖσδε οἶκος ἔμελλον αὐτ' εἶναι τρεῖς ἀσιγῆ τῷ  
 ἀγίω, ἢ ἐν πεῦθεν ὠφελουκ ἔσθαι πηλλὰ, τίμημα  
 ἀξίον πρᾶξις μεγάλας ἢ πολλὰς. δεσπίζω γὰρ  
 ἢ πρᾶστα διάταξις, ἢ ὑποτίθει τοῖς δικασαῖς τὰς  
 τοιαύτας κατασκευὰς τ' διαφέρουσι (α) μὴ προσδέ-  
 χεω, ἀλλὰ σκοπεῖν τὴν ἀληθείαν ἐζημιώθη ὃ ἐνά-  
 γων. ἢ εἰς ἐκείνο κατὰ δικασίαν τ' διαγκαλῶμενο.  
 ὁπότε ἢ τῆ φύσει ἀκολαθούρ ὄσι, ταύτας μόνον ἰάε  
 ἡρώε ἀπατῆω, τὰς συμμέτρους, ἢ τὰς ἀπό τ'  
 νόμων ῥέτω μέτρο πρὶ κληρομνίας, ὡς ἢ ἀφανής κλο-  
 πὴ αὐτῇ γὰρ τὸ διωλου ἄπατῆ τ' ἡμῶν τὸ κλά-  
 πευτος πρᾶγματος ἢ ἢ ἀρπαγὴ τὸ πετραπλοῦ,  
 συγκαμνίω ἢ αὐτ' τ' ἀρπαγῆ τε πρᾶγματος. ἢ ἐκί-  
 ηται ἢ ἕνα, λέγωμ ὅτε ἀνάρχως ἀφείλε πρᾶγ-  
 μά μὴ ἢ ἐμήθησ τοτο ἡμῶν ῥόνοι ἐικανοίε. ἢ ἢ  
 τὸ ἀπὸ σκαρπῶς τὸς δὲ δει, ὅμει ἢ ἀνεῖδισαζου εἰς  
 ποσὸν ἀφζου, λέγωμ, εἰ ἐνεμόμην ἢ αὐτὸς εἰ κτῆ  
 μά μὴ ἐποίησω κατὰ πόρ ἀμ τοσῶν, ἢ ἢ ἀπεκόμι-  
 ζου τὸς καρπῶς εἰς χώρας ἐχόσας χείων αὐτῶν  
 (β) ἀλλὰ τινὰ τοῖσδε τρόπα. οὐκ ὀφείλει ὁ δικασὴς  
 πρὸς τεχνηταῖς τοῖσδε τρόπις κατασκευαῖς τ' δια-  
 φέρουσι (γ). ἀλλὰ ζητεῖν ἢ τῆ ἀληθείαν ἐζημιώσθαι.  
 (δ) εἰς ἐκείνο κατὰ δικασίαν τ' διαγκαλῶμενο τω-

το γούω ωφρίλα πρᾶχυλάτην ὁ δικαστής, οὐ μόνον  
 ὅτε ζημίαε λόγος ὑπόκειται, ἀλλὰ καὶ ὅτε κέρδι  
 ζητῆται, οἷον λήγατον ἠδωρεά. καὶ ἔνταῦθα γρᾷ τῆ  
 ἀλκτεία ρεωσῶ μύνομ ὀφείλει προσδικαιοῦν τῶν  
 ἑναγονῶν, καὶ εἰ πέρι τοῦ δὲ ὀφειδῶ ρεωσῶ μύνομ,  
 δῆλον μὴ ὑπεβάλλειν τὸ διπλοῦν ἐπὶ τῆ ἀποαιτή-  
 σει τοῦ διαφέροντος.

*XLVIII. Si à non competenti iudice iudica-  
 tum esse dicatur.*

**I**N hoc titulo, superioribus casibus quibus docuit sen-  
 tentiam iudicis ipso iure nullam esse, addit hunc ca-  
 sum, Si ab incompetenti iudice sententia dicta fuerit. In-  
 competens iudex est is cuius iurisdictioni vel notioni  
 reus subiectus non est, qui & incongruus dicitur iudex.  
 Dico reus, quia actor etiam sibi incompetētem iudicem  
 sequitur. Dico, vel notioni, quia alij sunt iudices qui fo-  
 rum & iurisdictionem habent ut magistratus, alij qui no-  
 tionem tantū ut iudices delegati ad speciem litis aliquā,  
 qui utiq; incompetentes sunt si ab incompetentibus da-  
 ti sint, vel si dati à competentibus alia de re iudicent quā  
 de qua iudicare iussi sunt. & de his potissimum est hic ti-  
 tulus, lib. III. tit. XIII. de magistratibus, & in eo potissi-  
 mum definitur qui sint competentes vel incompetētes,  
 in hoc definitur sententiam à iudice incompetenti datā  
 ipso iure nullam esse, ut l. 6. §. quod si quis. D. de iniust. ru-  
 pt. test. quod non immeritò trahitur etiam ad confessio-  
 nem factam coram incompetenti iudice, c. 4. De iudi. Et  
 secundum definitionem huius tituli, iudex datus ad a-  
 ctionem locati, si iudicet de pecunia credita, sentētia nul-  
 la est, l. 1. vel si datus in causa proprietatis iudicet de pos-  
 sessione vel alia re nō de proprietate, cuius tamē cognitio  
 salva manet integrāq; præfidi qui eum dedit, non minus  
 dd quām

quàm si de possessione datus de ea cognouisset, quia alia res est proprietates, longè alia possessio, l. 3. hoc tit. Item si iudex militaris de causâ ciuili iudicet, l. 2. hoc tit. l. 9. Co. Theod. de iurisd. Idemque est in procuratore Cæsaris, l. 1. suprâ de ped. iudic. de quo Græci ad l. 4. ponunt exemplum, vt à non suo iudice putâ dato à procuratore Cæsaris inter priuatos dicta sententia non pariat iudicati actionem. Incompetens etiam est quem magistratus non dedit, partes ediderunt, l. 3. suprâ de iurisd. omn. iud. nam consensus partium eum tantum competentem iudicem facit qui tribunali præest quive ab eo datus est qui tribunali præest, vel litis contestatio quæ pro consensu habetur. & hoc est quod dicitur nec recusari iudicem nec præscriptionem fori opponi posse post litem contestatam. Nemo litem contestari cogitur, At vocatus venire cogitur ne contemnat magistratum, vt hoc ipsum sciatur an sit competens, nisi vocetur illegitimo die vel loco. Definitio huius tit. si generaliter accipiatur sic accipiendâ est, Si citra consensum partium incompetens iudex sententiam dixerit, fortè litis contestatione apud eum facta per errorem, vel si ex consensu partium editus, non etiam datus à magistratu.

*XLIX. De pœna iudicis qui malè iudicauit, vel eius qui iudicem vel aduersarium corrumpere curauit.*

Quæri potest an etiam quod iudex competens malè iudicauit, ipso iure nullum sit. Et videtur non esse nullum, quia lex ait etiam si malè iudicatum sit Reipub. interesse nō conuelli rerum iudicatarum auctoritatem, quia status Reip. maximè rebus iudicatis continetur, l. iudex. D. de re iudi. l. seruo. §. cum prætor. D. ad Treb. l. si patronus, §. si quis. D. de bo lib. & sanè ita est, si per errorem & imprudentiam malè iudicauit, vt citra appellationem sententia eius rescindi non possit, sed perinde atque si lis sua esset ei cuius interest in tantum teneatur, in  
quan-

quantum religioni iudicantis videbitur, l. vlt. D. de extra-  
 or. cog. falua tamen exiftimatione, quia dolo caret. Quod  
 fi per ambitionem & gratiam malè iudicauit, etiam fen-  
 tentia valet, fed ei cuius intereft in folidam litis æftima-  
 tionem tenetur & infamia notatur, l. fi filiusfam. in fi. D.  
 de iud. l. 2. hoc tit. Quod fi per turpitudinem & fordes, id  
 eft pecunia corruptus malè iudicauit, hoc casu fententia  
 ipfo iure nulla eft, l. vœnales, infra quand. prou. non eft  
 nec. & iudex infamia notatur, & folidam litis æftimatio-  
 nem ei quem læfit præftat, l. 2. & extra ordinem crimina-  
 li iudicio coerchetur. Is autem qui data pecunia corrupit  
 iudicem vt malè iudicaret, vel aduerfarium vt collude-  
 ret & præuaricaretur, caufa cadit ex Conftit. Antoniani  
 ad Caffium Sabinum, id eft ex l. 1. huius tit. cuius fit men-  
 tio in l. 1. §. pen. D. de calum. Si actor corrupit, amittit acti-  
 onem: fi reus defenfionem. nam in l. 1. actionis verbo cõ-  
 rinetur exceptio. & hoc, re nondum iudicata. Poffi rem iu-  
 dicatam fecundum corruptorem, etiam litem amittit,  
 quia fententia ipfo iure nulla eft, & litis conteftatio ei nõ  
 datur nifi ex No. Iuftiniani feipfum detulerit & acceptæ  
 pecuniæ arguerit aduerfarium vel iudicem. Ex No. Iuft.  
 corruptori cft medicina confeffio.

*L. Sententiam rescindi non posse.*

**I**N hoc titulo proponitur quod & in tit. generali prædi-  
 xerat l. 9. De fentē. & interlo. ipfo iure nullam effe fen-  
 tentiam posteriorem eiusdem iudicis vel fuccefforis e-  
 ius de eadem re inter eodẽm prolata quæ cõtraria eft  
 priori à qua appellatum non eft. Lex posterior potior ha-  
 betur priore. at fententia prior potior eft posteriore. De-  
 nique nec prætextu omiffæ peremptoriæ exceptiõis fen-  
 tentia retractari & rescindi potest, nifi beneficio appella-  
 tionis aut reftitutionis in integrum.

*LI. De fructibus & litium expensis.*

**D**atur hic titulus vt intelligamus iudicem non tantum de re principali, sed etiam de eius rei fructibus & de sumptibus litis sententiam debere proferre. & statim initio proponitur fructus intelligi deductis iustis impensis, proponitur regula iuris à qua nullus casus excipi dicitur in l. fundus. D. fam. etc. & tamen vnus excipi debet ex l. vltim. infr. de fun. rei pr. Et iustæ impensæ dicuntur quæ sunt necessariae vel vtilis. l. heres. D. de pet. her. Factæ conseruandæ, tuendæ, curandæ rei & fructuum quærendorum aut redigendorum. His impensis prius satis fit ex fructibus, deinde reliqui fructus restituntur si in causa restitutionis, diuiduntur si in causa diuisionis fuerint. Et rei vindicationem qua agitur aduersus bonæ fidei possessorem, l. 2. docet, sequi etiam fructus post litem contestatam perceptos aut percipiendos, & hodie fructus simplos, non vt ex XII. tabul. duplos. Nam aduersus malæ fidei possessorem, fructus retrò computantur, maximè si agatur interdicto vnde vi, vel petitione hereditatis, vel si speciali iudicio nominatim petantur. In expensas quoque litis iudex condemnationem facere debet & in damna, vt præstet ea victori qui vincitur, l. vltim. infr. quand. prouoc. non est nec. §. Hæc autem. Instit. de pœna tem. lit. & l. 4. hoc titu. illo loco, pro pecuniaria causa, post dispendia, post sumptus. Sic enim ex Veteri & prima omnium editione Moguntina restituendus est, & ex Basil. in quibus est τὰ δαπανήματα καὶ τὰ ζημιώματα. Ex condemnatione igitur actori vel reo qui vicerit redduntur præter rem & fructus, etiam expensæ litis, & damna, vt itinerarij sumptus. Est etiam in conuictum actorem actio calumniæ, quæ fuit in decimam partem litis, longè diuersam à decima de qua in l. penul. quæ est decima expensarum non litis, vt docui initio XII. Obseruat. debet autem de expensis litis iudex pronuntiare, id est vel ab eorum præstatione absolueret, vel in eorum præstationem condemnare, & absolueret ex causa. vt d. l. penultim. & Nouell. 82. Si nihil pronuntiauerit,



uerit, neque victori in victum expensarum nomine vlla actio est, l. 3. hoc tit. aliter atque si fortè de fructibus iudex nihil pronunciauerit. nam integra est actio de fructibus. Non est etiam ius appellandi victori ob nō habitam rationem expensarum litis, l. vlt. infr. quan. pro. non est nec. sed iudex eo nomine victori tenetur, l. properandū. §. si. autem alterutra, suprā de iudic. Aliquando victor appellat si sententia ei non satisfaciat ad plenum (vt D. Augustinus ait epist. 160. solere homines quando cum inimicis eorū conuictis lenius agitur, à mitiore sententia prouocare) non etiam si expensarum litis ratio habita non sit & victus appellauerit. imò nec si sententia non satisfaciat ad plenū cū fortè absens ex contumacia causam tenuit, quo casu etiam victor victo refundit litis expensas, d. l. properandum. §. si. autem: ex gestis. Valdè notanda est Constitutio l. vlt. vt qui ex priuilegio victi non agnoscut expensas litis aut minores agnoscut, etiam victores à victo licèt idem prouilegium non habeat, nullas aut minores reposcant.

*LII. De re iudicata.*

**R**es iudicata est lis siue negotium, de quo sententia lata est. Vel, causa quæ transijt ad condemnationem aut absolutionem. Sententia condemnatio ipsa vel absolutio. Res iudicata vno verbo iudicatum. nec igitur idem est iudicatum & sententia. Vt autem sententiam à iudice rescindi & retractari non posse, docuit tit. 50. ita docet de re iudicata ex parte aliqua litigantium rursus agi non posse, & obstare agenti exceptionem rei iudicatæ, vt sit aliquis litium finis, l. 2. quæ nec prætextu computationis ait rem iudicatam instaurari posse, prætextu ἀνελεγχρισμῶν, vt Græci interpretantur, putà si qui iudicio separatus est, ideò se superatum dicat, quod in exequenda lite rationes suas malè supputasset & subduxisset, & desideret rationibus suis retractatis ex integro causam agi. hoc enim est analogarismus, cuius obtentu l. 2. ait rem iudicatam instaurari non posse, & rectè Theodorus

dorus, litem finitam sub obtentu compensationis omiffæ in integram restitui non posse, sicut nec sub obtentu omiffæ exceptionis perēptoriæ, sed actioni iudicati opponi cōpensatio potest posita exceptione doli, l. 2. supr. de compens. sicut in specie l. 1. iudicio conditionis furti uæ condemnato fure, si probauerit rem furtiuam rediisse in potestatem actoris. & his casibus igitur & alijs quibusdam, etiam post rem iudicatam opponitur exēptio peremptoris non ex noua tantum sed etiam ex præterita causa. Additur in l. 4. nec prætextu nouorum instrumentorum postea repertorum, res iudicatas restaurari posse, qua de re scripsimus satis alio loco. Et generaliter l. 5. rerum iudicarum auctoritatem non pati vt ea quæ semel finita sunt, instaurentur. quæ est summa definitio huius tituli, quæ trahitur etiam ad publica monumenta, l. vltim. quam propriè pertinere ad gesta à Marcellino V. S. Tribuno & notario confecta contra Donatistas, constat ex l. 55. Cod. Theod. de hæc. & D. Augustini epist. 158. 159. 160.

### LIII. De executione rei iudicatæ.

QVod dixit titulo superiore rem semel iudicatam instaurari non posse, ex eo sequitur quod in hoc titu. proponitur eam exequendam esse, quod sit ex re adducta ad effectum & emolumentum. & post rem iudicatã igitur, l. 1. nec tamē statim, sed post tempus quod humanitatis gratia in actionibus personalibus de pecunia debita lex condemnatis & confessis dedit, l. vlti. modicum tempus XII. tab. nempè 30. dierum, qui iusti dicuntur, quod eis ius sit differre executionem rei iudicatæ, vt in l. Ciceronis, Præter Ideæ matris famulos, eosque iustis diebus ne quis stipem cogito. Immodicum ex Constit. Iustiniani. idcirco nec in vsu est iudicato dari menses quatuor, idque veteribus displicuisse etiam distinctio Patricij apud Harmenopulum ostendit, qui locupletioribus dabat quatuor menses, vt ex venditione rerum suarũ pecuniã in condemnationem deductã conficere possent, pauperiores

periores censabat statim exigendos esse. Ante Iustinianum ex a. a. leg. constituti erant duo menses, l. 3. §. vlti. tit. seq. l. i. C. T. l. cod. tit. Non datur autem ea dilatio nisi petenti, l. penul. sup. tit. prox. vt Theodor. ait in l. 3. huius tit. *ζητώτι καιρόν καταβολών τῶν ἀπό τῆς καταδίκης.* & in l. i. tit. seq. *ἐζήτησεν ὁ καταδικασθεὶς τὰ διδόμενον τῶν καταδικασθῆναισι πενήμιον.* Post tempus iudicati faciendi si iudicatus solvere superfederit, ex mora pecuniæ in condemnationem deductæ debet vsuras centesimas, vt tit. seq. & si nouata non fuerit causa iudicati, vt l. 2. & fit executio rei iudicatæ captis pignoribus per officium iudicis, nec tamē occupatis à creditore, licet ei dari dicantur, vt apud Theodorum, *τὰ ἑνέχυρα δὲ τοῦ τῶν νικησάντων, & alio loco, τῶν ἔχοντῶν τῶν νικησάντων.* & in l. 3. hoc titu. quidam Codices habent data, alij captæ, & in l. i. infra si in cau. iud. pign. cap. sit. alij habent datas, alij non habent, & in vtraque posteriorem lectionem magis probo. & à capione distractis publicè sub hasta post duos menses l. d. bitoribus, D. de re iud. vt idem Theodor. ait, *εἰ ἐντὸς δύο μῶν δραμόντων μετὰ πλὴν τῶν ἑνέχυρων ἐκάληψιν, οὐδὲ ὡς σπυροὶ καταδικασθέντες τὰ τῆς καταδίκης πιπράσκοντα τὰ ἑνέχυρα.* Emptore non inuento forte ex compacto vel ambitione iudicati, pignora ei addi cuntur secundum quem iudicatum est, l. 3. hoc titul. vbi ambitionem vocat gratiam & amicorum copiam, non *περιδρομή*, vt Theodorus interpretatur, compactum verò *κακουργίαν* & calliditatem, vt l. 3. infra si in cau. iud. Notandum etiam, nomina iudicati pignori capi posse si deficient aut non sufficiant res corporales, vt l. 5. non etiam annonas & stipendia militum, l. 4. quoniam Reipub. interest militibus non auferri stipendia sua ne deserant militiam, & publica vtilitas communisque salus vtique semper præferenda est priuatæ, & eleganter

Theodorus in d. l. 4. *δινομοθέται τὰ κοινῆ πα-  
ση ἢ πολιτεία συμφέροντα προλιμῶσι τῷ συμ-  
φέροντος ἐνὶ ἡ κρηδύσι.* Nec obstat l. 40. D. de  
re iudi. quia non loquitur de stipendijs militum, sed de  
præmijs athletarum. vnde nec velim l. 4. trahi ad anno-  
nas clericorum. Nam & Theodorus speciem ponit in  
milite, qui sub armis meret his verbis, *ἔαμ καταδικα-  
σθῆναι ὑπὸ τῆς ἐνὶ ἡ κρηδύσι.* Fit autem executio per of-  
ficium siue apparitionem datam à magistratu rei iudica-  
tæ ab eodem magistratu vel à iudice ab eo dato, l. 2. inf. si  
in cau. iud. & fit extra ordinem, l. si pignora. D. de euct.  
quia ordo 12. tabul. in desuetudinem abiit, summa officij  
executoris hæc est, vt exigat, capiat, distrahat, addicat, nō  
etiam iudicet aut iudicatum retractet vel interpretetur,  
l. 6. & penul. In actionibus realibus hæc exequendi ratio  
cessat. §. 1. Inst. de offic. iud. l. qui restituere. D. de rei vind.  
& in interdicto de libero homine exhibendo, l. vlt. §. 1. D.  
de lib. hom. exh. Puto & in actionibus personalibus, qui-  
bus rei nostræ possessionem auocamus, veluti commo-  
dati & depositi, quia legitima tempora non obseruātur,  
sed post moram periculum pertinet ad iudicatum, & ex  
die litis contestatæ veniunt fructus, vt l. 7. hoc tit. l. 2. su-  
pr. de fruct. & lit. exp. Vide quæ ad tit. 71.

#### LIIII. De vsuris rei iudicata.

**QVI** exequitur rem iudicatam post legitimum tem-  
pus quod condemnatis & fideiussoribus eorum  
mandatoribusque Iustinianus præstat, l. 3. §. vltim. olim  
soli reo principali, l. 1. D. iud. sol. & connumeratur à die  
prolatæ, vel si appellatum sit bona fide, nec postea factū  
per eum qui appellauit vt tardius iudicaretur à die con-  
firmatæ sententiæ, etiam in exequenda re iudicata &  
exigenda sorte siue pecunia principali in condemnatio-  
nem deducta, rationem habere debet vsuræ centesimæ,  
quæ ipso iure capiti accedit adiungiturque tam in fisca-  
libus

ibus, quàm priuatis causis, abolita bina centesima quæ olim obtinuit, l. i. C. Theod. cod. tit. aut semisse, ex l. eos. §. ceteros, supr. de vsur. quæ prior est l. 2. huius tit. qui pè cùm data sit Iustino II. Lex verò 2. Decio Coss. At vt definitur l. 3. fortis tantùm vsuræ centesimæ debentur post spatium legitimi temporis, non vsurarum in condemnationem deductarum, abrogata d. l. i. C. The. cod. tit. quia siue fiat stipulatione siue iudicato anatocismus prohibitus est, l. vlt. sup. de vsur. qui olim permittebatur & erat finis veterum vsurarum & initium nouarũ. Quare in sortem & in vsuras facta condemnatione debitas ex stipulatione, etiamsi in sententia iudicis consolidata sit quantitas sortis ac vsurarum, id est, in vnam summã redacta, eam consummationem ita diuidimus, vt post tempus iudicati quantitati sortis accedat vsura centesima, non quantitati vsurarum, ne etia. n. minoribus vsuris quales sunt plerunque debitæ ex contractu, secundũ d. l. eos. succedant grauiores quales sunt vsuræ rei iudicatae.

*L V. Si plures vna sententia condemnati sint.*

**P**ertinet etiam hic titul. ad executionem rei iudicatae, quia docet pluribus condemnatis executionem fieri pro virilibus portionibus diuisa sententia in personas, nec ex pluribus vnum posse eligi & exigi in solidum, si simpliciter omnes in vnam summam condemnati sint, hoc modo Gaium & Seium & Sempronium L. Titio in C. condemno. Denique iudicato non fieri duos reos debendi, nisi hoc fuerit nominatim expressum, vt l. bona. §. i. D. de iur. fisc. qui tamen fiebant contractu vel testamento, etiamsi nominatim expressum non fuisset. quia in contractibus & testamentis quod agitur pro expresso habetur, Sententiæ suæ formulæ constringuntur. Et hoc vtique verum est, etiamsi ex priore contractu conrei fuerint. quod planè demonstrat iudicato prioris obligationis nouationem fieri. & proficere iudicatum singulis

gulis qui ante conrei fuerunt, proficere, inquam, cōdem nationem quatenus minoris, non quatenus tanti est.

*LVI. Quibus res iudicata non nocet.*

**H**IC titulus docet nullam esse executionem rei iudicatæ in eum qui per se vel per procuratorem iudicio nō interfuit, licet eius nomine lis acta sit inter alios. nec igitur ei nocere actionem nec exceptionem rei iudicatæ, & vt ait l. Claudius. in fin. D. qui pot. in pign. sine præiudicio prioris sententiæ ei qui non litigauit, id est qui non per contumaciam iudicio abfuit, totum ius integrum relinqui, vt l. i. hoc tit. eum qui non litigauit agere sine præiudicio rerum iudicatarum, id est sine metu præscriptionis rei iudicatæ. Præiudicium illud absentibus non esse præiudicium. Et l. is qui fundum, D. de vsufu. leg. non posse arbitrum inter alios iudicādo alterius ius mutare. Regulæ locus est etiam in causis criminalibus. l. penul. quæ coniungenda est cum l. 9. infr. de accus. & obtinet quidem hæc regula sæpè, non semper, l. sæpè, D. de re iud. l. i. §. vlt. D. de Carb. ed.

*LVII. Comminationes, epistolas, programmata, subscriptiones, auctoritatem rei iudicata non habere.*

**H**IC verò docet effectum & executionem rei iudicatæ non habere, aut non esse sententiam, comminationem nudam iudicis quam fecit citra formam decreti, & nullam parere obligationem, l. i. & 4. vel, vt Symmachus ait in epistol. Sententiam sub comminatione depromptam effectu atque executione vacuari. neque verò alia ratione programma, id est edictum iudicis fortè contra latitantem propositum, vt l. vltim. infr. de req. reis. l. in peremptorio. D. de iudic. vim rei iudicatæ non habet, quàm quòd comminatio potius quam sententia sit, l. penul. vt contra comminatio quæ formam decreti habet, & causa cognita interponitur, sententiā potius est, l. tutor q. reper-

repertorium, § si deponi. D. de adm. tut. Non est etiam sententia quod iudex per nuntium iubet aut per epistolam, non quod subscribit ad libellum. denique non omnis vox, non omnis voluntas iudicis sententia est, sed ea tantum quæ causa cognita ab ipso iudice de libello clavis per scripto literis recitatur, & absolutione vel condemnatione rem qua de agitur finit. Aliud est epistola, aliud libellus, l. & in epistola, suprâ de fideic.

*LVIII. Si ex falsis instrumentis vel testimonijs iudicatum erit.*

**S**equitur in hoc titulo, suspendi executionem rei iudicatæ ex falsis instrumentis vel testimonijs. Testimonia sunt dicta testium relata in literas. at trahitur idem etiam ad falsos testes, l. Diuus. D. de re iud. & falsum iurandum quod iudex secutus fuerit. l. admonendi. D. de iureiur. & falsas allegationes, l. si prætor §. penul. D. de iud. & suprâ titu. si fal. a il. exc. sit. Et hoc quidem iuris ita procedit, si quis probauerit falsa instrumenta esse, & eorum instrumentorum fidem secutum iudicem ita iudicasse, & hoc modo circumuentam iudicis religionem fuisse, l. 3. nam si varijs in iudicio prælaris instrumentis, quibusdam veris, quibusdam falsis, iudex ex veris iudicauerit, non ex falsis, rata sententia est. at si ex falsis, ipso iure citra appellationem vel prætoriam restitutionem rescinditur, l. 2. quia habet, vt eleganter Theodorus ait, ἀντόθεν τὸ ἀνίχυρομ. & in d. l. Diuus. in integrum restitutio est παλινδικία, vt l. 3. §. Diuus. D. de iur. fisc. non iuris amissi redintegratio, quia amissum non est re iudicata ex falsis instrumentis.

*LIX. De confessis.*

**D**atur hic titulus vt intelligamus eandem esse rationem exequentiæ rei confessæ & rei iudicatæ. quod etiam attigerat suprâ l. vltim. de exec. rei iudic. nam confessio est contra se iudicatio, vnde consequens est & confessum

fessum pro iudicato haberi, quia ipse quasi de se sententiam fert. Sed hoc exigimus, ut in iure confiteatur, id est, & βήματα, vel ubi magistratus est competens post cōventionem nam confessio quæ fit extrajus vel in iure incompetenti, pro iudicatione non habetur, nisi ex Nouell. de testibus. rogati interfuerint nisi testes quinque. nec alia ratione qui ante reatum sibi mortem consciuit, etiam si hoc fecit metu furri reatus, non habetur pro conuicto, quàm quod hoc non fecit in iudicio, id est, in reatu ipso, l. 3. D. de bon. eor. qui ante sent. Etiam illud exigitur ut sequatur sententia iudicis, l. 5. D. eod. l. 5. D. de cust. reor. & ut confitetur non erret in factō, non etiam ut non erret in iure, l. 3. D. eod. nam si nesciens heres quantum esset in bonis vel ære alieno, in iure confiteatur se debere legata integra & ἀπαλιδίωρα, ut Theodorus loquitur, ex sua confessione non tenetur: si peritus facti, ignarus verò legis Falcidia, ex sua confessione tenetur.

*LX. Inter alios acta vel iudicata, alijs  
non nocet.*

**Q**UOD dixit de re iudicata tit. LVI. in hoc titul. porrigit ad omnia alia acta siue gesta habita inter alios, veluti solutionem, transactionem diuisionis causa, pactiōnem, adde iurisiurandi delationem, ne noceant absentibus. Symmachus in epistol. Quando absentibus atque ignorantibus inter alios gesta nocuerunt? Nihil propriè in hoc titul. agitur de re iudicata, & abundant igitur in Rubrica hæc verba, *Vel iudicata*, sed in eo, ut dixi, quod de re iudicata titulus LVI. trahitur ad alia gesta, sicut quod de re iudicata titul. LII. ad alia gesta, l. vltim. eod.

*LXI. De Relationibus.*

**R**ES à minore iudicio ad maius iudiciū vel ad principis cognitionem transfertur duobus modis, relatione & appellatiōe. Relatio, quæ & ipsa consultatio dicitur,



citur, fit ad principem postquam partes allegationibus  
 renuntiaverunt ante sententiam à iudice qui ambigit qd  
 statuere debeat ea de re qua de apud se agitur, missa opi-  
 nione sua, vt Nou. 15. c. 1. quod hodie tamen genus relati-  
 onis sublatum est Nouel. 125. vel etiam post sententiam  
 appellatiõe interposita, nec recepta vt princeps æstimet  
 an sententia sua sequenda sit, l. pen. C. Th. co. tit. Appel-  
 latio fit à partibus. Ad relationem rescribit princeps vel  
 patricij qui ab eo electi sunt, vt relationi respondeant.  
 iuxta l. 3 4. tit. seq. Ad appellatiõnem consultat, l. 2. sup. vt  
 lit. pend. Optatus 1. Relatio missa est rescriptum venit. &  
 2. Cruentas operati sunt cædes & tam atroces vt de tali-  
 bus factis ab illius tēporis iudicibus relatio mitteretur.  
 Et Imp. l. 2. sup. de offi. vic. Relationes iudicum libenter  
 audimus. At quod de his in hoc titulo constituitur hoc  
 est, vt sit plena instructio, plena & integra relatio, plena  
 opinio, id est vt omnem causam complectatur, vt l. 1. &  
 3. hoc tit. l. 15. tit. seq. l. inter pœnas. D. de interd. & rel. &  
 cur in cognitione principis non datur dilatio, l. 5. supra  
 de dilat. nisi quia non, nisi ad plenum instructa causa re-  
 mittitur ad principem? Item vt exemplum relationis &  
 opinionis edatur partibus, vt l. vltim. D. quand. app. fit, l.  
 penult. D. de app. rec. Vt adiungantur acta & refutatoriæ  
 preces, id est refutationes relationis, opinionis atque ge-  
 storum si partibus imperfecta aut falsa videantur, vt l. e-  
 os. §. super his, l. quoniam. 1. l. à procos. tit. seq. compositæ  
 breui sermone, vt l. vlt. §. in refutatorijs tit. sequ. maximè  
 re delata ad sacrum auditorium. Symmachus in episto.  
 ad Theodosium. tunc oblatis prouocationis libellis sus-  
 pensâ sententia cuius meritum perennitas vestra lectis  
 gestis ac refutatorijs cohærentibus æstimabit. Ego in re-  
 ferendo prolixus esse non debui. Et vt post sententiam  
 iudex promissâ relatione non terreat partes ne appel-  
 lent. Sic rectè legit Ho. oander l. 1. vt lex co titu.  
 seq. & idem Symmachus, Promissâ  
 relatione discedo.

LXII. De appellationibus & consultationibus.

**R**ES ad maius auditorium transfertur non relatione tantum, verum etiam appellatione. Sed relatione ante vel post sententiam, appellatione non nisi post sententiam, l. vltim. supr. de sent. & inter l. penul. inf. quor. appe. non rec. cuius effectus hic est, vt sententiam extinguat, l. i. in fin. D. ad S. C. Turpil. etiam si non recipiatur ab eo qui iudicauit, l. 3. hoc titul. & vt vim quoque suam exerceat aduersus rescripta principis, vt si post missam relationem ad principem, & elicitum à principe rescriptum ad id iudex conformarit sententiam suam, l. 2. hoc titu. l. i. §. i. D. cod. l. Staius. D. de iur. fisc. Et est appellatio à sententia minoris iudicis ad maiorem prouocatio, plerumque perlata longius, vt non malè Hesychio sicut *ἐκκλησιαι, δίκαι αὐτῶν ἐπὶ ξένῃς λεγόμεναί, ἢ οὐκ ἐπὶ τῇ πόλει.* Vel appellatio est, vt interpretes Apollonij, *ἢ μετὰ θάσιν ἀπὸ δίκης εἰς εἰς δίκης ἕξιν, quæ* aut illico fit viua voce inter acta, aut intra dies X. datis libellis appellatorijs & intra dies XX. acceptis redditisque libellis dimissorijs. A sententia. Nam ab interlocutione rarò solet appellari, l. 2. D. de appel. recip. itemque ab executione sententiæ, l. 5. infr. quor. appell. non rec. & quæ à nominatione legitimè facta interponitur appellatio, de qua l. 4. 7. 11. 27. hoc titu. l. i. tit. seq. l. 4. titu. 66. querela potius dicitur quàm appellatio, l. 12. Co. Theod. eod. quoniam appellationis verbum in maioribus rebus dici oportet, quamquam & ipsa appellatio querela sit quæ in maiori auditorio instituitur aduersus iniquitatem prioris. Appellatio est species. Querela genus. Nam & cum sententia dicitur ipso iure nulla, hoc non appellatio, sed querela appellatur, l. 3. suprà quomodo & quando iudic. Consultatio verò in hoc titulo longè aliter accipitur quàm in titu. superiore, l. 1. & 3. In illo consultatio est relatio iudicis ad principem, in hoc deliberatio, con-

conuentus, consilium siue sententia quam princeps ex appellatione cum Consilio conlocutus dixit, quæ *συλλεσις*, in Basī. vt Psal. 1. *βελήμ* quod dixere LXX. teste Eusebio Symmachus interpretatur *συλλεσις*, vel quam dicunt secundum causæ quantitatem & iudicum à quibus appellatum est dignitatem, vnus vel duo ex Senatoribus siue proceribus qui sunt in comitatu principis, vel vniuersus Senatus more & ritu consultationis, id est more regio, qualis seruetur præsidente ipso principe, vt l. 32. 37. & 38.

*LXIII. De temporibus & reparationibus appellationum seu consultationum.*

**T**itulus est de temporibus appellationum non his intra quæ interponendæ appellationes sunt, quæ iam definiuit titulo superiore, sed de his intra quæ interposita appellatio introducenda & exercenda est Neque verò l. 1. accipienda est de his intra quæ appellandum est, quasi velit à nominatione intra duos menses appellandum esse, quia non duo menses huic rei sunt constituti, sed idem dies qui in sententijs, l. 1. D. quan. appell. sit. & l. 1. mens hæc est, ex eo die interponendæ appellationis à nominatione, id est interpositæ (vt litis contestandæ & rei iudicandæ dicimus) perfequendæ gratia duum mensium tempora computari ei qui nominatus est, ex quo cognouerit se nominatum esse, quod & l. 19. Cod. Theo. de appell. hæc verba confirmant, negotia perorentur. Ita que in sententijs & nominationibus eadem tempora seruantur ad interponendam appellationem, non etiam ad instituendam & exequendam eam. Nam in nominationibus duo menses obseruantur, l. 1. In sententijs sex aut tres, qui etiam reparari & redintegrari possunt, l. 2. Olim in sententijs alia quàm definiat l. 2. tempora finita erant, vt dixi Obseru. 12. c. 4. & 16. cap. 7. quibus elapsis poterat à iudice peti reparatio, id est redintegratio, renouatio, instauratio lapsi amissique temporis & litis,

& im-

& impetrata reparatio denuntiari debuit aduersario, vt in Co. Theo. eod. tit. Quod si reparatum sibi tempus appellator etiam præterlabi sineret non inducta causa appellationis, rursus à principe poterat extra ordinem dari reparatio temporis etiam post secundum lapsum. Post tertium lapsum non dabatur reparatio vlla ex causa, & sententia appellatione suspensa conualefcebat & ad finem perducebatur perinde ac si appellatum non esset. Hodie ex l. 2. & post quartum lapsum datur reparatio temporis, & omnino res ita procedit. Ex quo sciuit quis se condemnatum esse, vt l. 4. supr. de lib. cau. causam appellationis inducere debet intra sex menses ex p. uincia longinqua, intra tres ex eadem aut contigua secundum distinctionem l. vltim. videlicet si à iudice appellauerit, si ab arbitrio delegato ab aliquo iudice, intra duos menses, secundum distinctionem l. 2. Post lapsum sex aut trium aut duorum mensium, adhuc habet appellator mensem vnum iure legitimo ad instituendam & persequendam quam interposuit appellationem, & post hunc secundum lapsum, habet etiam alterum mensem, & post tertium lapsum, æquè alterum mensem, post quartum verò lapsum si à iudice appellauerit non si ab arbitrio delegato, potest extra ordinem à principe, ex aula, vt ait l. vltim. impetrare reparationem trium mensium, quàm aduersario denuntiare aut insinuare in foro præf. prætorio necesse non habet, & numerantur tres menses ex die petitiæ reparationis, sed ex summo die quarti lapsus licet ante diem petita sit reparatio. Et post quartum lapsum euanescit causa appellationis, & conualefcit sententia à qua appellatum est, & qui causam appellationis inducere volet, tanquam omnibus temporibus causa prolapsa primo loco, id est statim initio litis licet sit peremptoria præscriptione repellatur opposita ab aduersario vel à iudice, l. 2. in fin. Nam in causa appellationis iudex supplet partes absentis, l. vltim. supr. titu. prox. Menses computantur ex numero dierum non ex Calendis, l. 2. Co. Theod. de decur. & singulis adscribuntur dies

XXX. ita tamen ut si dentur sex aut tres aut duo, extremo mensi superaddamus unum diem quo qui venerit audiatur, l. ubi lex. D. de regul. iur. si detur unus tantum, ei etiam addamus unum diem, qui temporalis dicitur & fatalis ad interitum causæ, quia eo die lite non acta, lis agit animam, l. ultim. §. 1. Et generaliter ut legimus in Glossis vet. *ἡ πρόθεσις ἡμέρας*, id est, quæcunque finita legibus & præstituta dies est, fatalis dicitur, idemque est fatalis & finita dies. Quia omnis finitio diei ei cui condita est adfert periculum aliquod si fallat ad conditum. Non est omittendum huius tituli l. ultim. §. in his. abrogari quod de biennio l. in offerendis, supra titu. prox. ut causa quæ more consultationis disceptanda est ab uno vel duobus Senatoribus, intra biennium introducat & eis insinuetur. Nam pro biennio substituit annum intra quem acta apud eum contra cuius sententiam appellatum est & refutatorij libelli & literæ iudicis siue apostoli tradantur scrinio competenti epistolarum vel libellorum, ut l. 6. §. super his, l. 32. supr. titu. prox. l. 3. hoc titu. & ut intra eum annum causa appellationis introducat. Citius autem mittuntur acta & refutationes quam introducat appellatio, d. l. 3. nam appellationem introduci satis est sub finem statuti temporis hoc est summo die fatali vel quatuor antecedentibus vel quinque sequentibus, pro uno fatali die hodie institutis decem, l. ultim. §. & cum antea. Acta verò cum refutatorijs partium literisque iudicis à quo appellatum est, aut mitti debent statim post interpositam appellationem, aut circiter medium temporis ipsò etiam medio die connumerato, d. l. 3. Etiam illud omittendum non est, cum contra quæ appellatum est cessante vel absente appellatore *μονομαχῶς* posse præferre diem appellationis, & causam introducere, d. l. ultim. §. nulli, l. ultim. titu. sequ. l. in offerendis. supra titu. prox. & inductam in sacro auditorio perpetuari, id est quandoque otium fuerit principi vel amplissimo ordini definiri posse. Alij auditorio non sacro ad finiendas lites legibus præscripta esse tempora.

Et, vt dixi, introduci & finiri appellationem *μονομερῶς*, quia iam semel lis contestata fuit priore iudicio, & vero priore etiam iudicio post litem contestatam causa peragi potest *μονομερῶς*. l. vlt. supr. quom. & qu. iud.

*LXIV. Quando prouocare non est  
necesse.*

**N**ON repetuntur in hoc titulo causæ ex quibus ante obiter dixit ad rescindendam sententiam appellatio ne opus non esse, l. 1. & 3. de sen. ex per. res. l. 2. si à non cōpe. l. 2. sup. si ex fal. instru. iud. nisi vna in l. 1. de qua in l. 1. sen. resc. non poss. sed adduntur pleræque aliæ: quorum omnium ratio hæc, quod sententia ipso iure rescindatur. Illa summè notanda, vt victor victo appellante necesse non habeat & ipse appellare quod nulla aut minor expensarum litis & detrimentorum ratio habita sit, quoniam hoc sententia iudicis ad quem victus appellauit suppleri potest. Nec etiã quod victus tardior sit in inducenda appellatione, quia & citra appellationem victor diem appellationis anteferre potest, aduersario denuntiato.

*LXV. Quorum appellationes non recipiuntur.*

**I**N superiore titulo reprobatur superstitiosa, superflua, superuacua appellatio. Sic vocatur l. 6. & l. vltim. eod. titu. In hoc reprobatur moratoria, frustratoria, importuna, quæ ludificatio potius est, l. 1. Cod. Theod. eod. & importuna dicitur l. 6. hoc titu. l. 7. C. Theod. eod. Appellationem superstitiosam recipere verecundiæ est, l. 42. C. The. de appell. Appellationem moratoriam recipere ignauiæ, d. l. 6. aut ignauiæ verecundiæ, hæc pœnam, illa laudem meretur. Et moratoria est appellatio si ex contumacia condemnatus appellauerit, quia non ignorat se meritò litem amisisse, item si confessus & conuictus de crimine, si debitor liquido conuictus, si apparitor ex delicti causa condemnatus à proprio iudice cui paret, si qui contra ordinem iuris non ferebat aperiri tabulas testamenti

stamēti aut heredem scriptum mitti in possessionem ex edicto D. Adriani. Item si quis appellet ab executione executore non excedente sententiæ modum, l. 18. C. Th. eo. vel si ab articulo, id est ab interlocutione, l. 5. hoc titu. Ab omni causa licet appellare, non ab articulo causæ, puta quod non detur dilatio instrumentorum causa, vel locus ad agendum, vel exceptio iusta non admittatur, l. 36. suprà de appell. quod etiam iudices vulgò interloqui solebant, l. vlt. sup. de sent. & interl. Ab executione sero appellatur, ab articulo properè, quia post cognitionem totius causæ interposita appellatione & vitia interlocutionum corriguntur. At iure Canonico à quacunq; interlocutione ex causa appellari potest, c. non ita. 2 q. 6. quo iure vtitur, quia facilè iudices amplectuntur ea omnia quibus litium modus excrefcit, aut litium vita proceditur, quæ causa etiam efficit, vt conuentionem quæ probatur l. vlt. §. vlti. sup. de temp. ap. aut quando cunq; factam reuocationem appellationis vix aut ne vix quidem admittant, imò nec iurifurandi dilationem.

*LXVI. Si pendente appellatione mors interuenerit.*

**P**Endente appellatione l. penultim. ait, pendente in numero cognitionum, id est re nondum iudicata ex appellatione, quomodo & rei ipsi pendere dicuntur, qui nondum discrimine liberati sunt. Et notandum quod ait d. l. penu. appellationem pendentem in numero cognitionum peragi suo ordine, id est seruato ordine introductionum. Quod & hodie obseruatur. Mors autem in hoc tit. id est mors eius qui appellauit vel eius cōtra quē appellatum est vel mors hominis de cuius proprietate lis est. ac primum l. pen. ostenditur mortuo homine quo de agebatur, pendente appellatione, vel etiã pendente prior iudicio, litē durare propter peculium, vt propter fructus & partus & stipulationem de euictione, l. vtique. D. de rei vind. Mortuo autem eo qui appellauit à nominatione, lis penitus extinguitur, l. 4. Mortuo eo qui appel-

lavit à sententia in negotio ciuili, lis transfertur in heredem perinde ac si priore iudicio mors ei contigisset, l. 1. In negotio criminali, ita distinguimus, Aut priori sententia contra quam appellauit bona eius expressim publicata sunt, aut tacitè. Si specialiter, morte quidem eius crimen, id est causa capitis extinguitur, sed quæstio bonorum specialiter publicatorum non extinguitur. Si tacitè, vt si deportatus sit nullo alio adiecto, morte eius & crimen & quæstio bonorum extinguitur, & bona transmittuntur ad heredes atque ita in multis partibus iuris multum interest exprimaturliquid an tacitè intelligatur. Nam vno ex his perempto quæ sunt expressa, non perimitur etiam alterum. Perempto expresso, perimitur etiam quod ei tacitè infuit, & hæc distinctio proponitur l. 3. & confirmatur l. 1. D. eod. l. vltim. infr. si reus vel acc. mor. fue. Repetitio bonorum scelere quæditorum nunquam perimitur, nec si priori sententia absolutus sit reus, sicut nec bonorum specialiter publicatorum priori sententia. In specie l. 2. perimitur, quia ob signatio bonorum absentis rei non est publicatio, adnotatio inter reos non est cōdemnatio, licet ab ea appellari possit, & in ea lege ponimus absentem vita decessisse intra annum. Lex vltima vbi accipienda sit ostendi lib. de diuer. temp. c. 16.

*LXVII. De his qui propter metum iudicis non appellauerunt.*

**E**Tiam qui propter metum iudicis non appellat intra constituta tempora, iudicatum facere cogitur, quia vanus est metus. Qui verò propter violentiam & terrorem, quem infert iudex, non appellat voce aut libello, factis habet intra constituta appellationi tempora id publicè contestari, vt contestatio pro appellatione cedat, l. cū quidam. D. de appell.

*LXVIII. Si vnus ex pluribus appellauerit.*



**S**I plures vna sententia condemnari sint, ex tit. 55. intelleximus periculum sententiæ diuidi. Ex hoc intelligimus victoriam esse communem ex appellatione, si ex condemnatis quidam appellauerint, quidam non appellauerint, si modò vna eademque omnium causa defensionis fuerit. Præuocantem esse victoriæ quàm condemnationis communicationem.

*LXIX. Si de momentanea possessione fuerit appellatum.*

**M**omentaria possessio est, quæ ex interdicto prætoris celeriter reformanda & restituenda est, non tantum si agatur interdicto vnde vi, sed & si alio quolibet interdicto adipiscendæ vel retinendæ possessionis, l. momentariæ, infr. vnde vi. Nam reformationem desiderat non tantum quæ vi erepta, sed & quæ quolibet modo impedita, interturbata, inquietata est, vt docui l. si coloni, infr. de agr. cens. & l. Obser. cap. 20. & celerem reformationem. & ob id ipsum omne interdictum quod de possessione est, omnisque ratio reformandæ, repetendæ, vindicandæ, tuendæ possessionis, momentum dicitur, & momenti actio. & à sententia quæ causam possessionis diremerit, non licet appellare, ne quod beneficio celeritatis inuentum est, subdatur iniurijs tarditatis, l. 22. C. Theod. quorum appell. non rec.

*LXX. Ne liceat in vna eademque causa tertio prouocare, vel post duas sententias iudicium, quas definitio præfectorum prætorio roborauerit eas retractare.*

**O**lim in vna eademque causa semel duntaxat non iterum licebat appellare, id est, gemino iudicio superatus non poterat appellare, vt si à Duumviro appellasem ad Præsidem prouinciæ, non poteram à Præsidente appellare, l. 1. C. Th. de poss. ab eo quibus prouoc. transf. & in

edicto Athalarici Regis apud Cassiodorum IX. Appellari à subiecto iudicibus ordinarijs in vna causa secundò non patimur. Hodie ex Constitut. Iustiniani posita sub hoc tit. etiam secundò non item tertio licet appellare, id est, bino, non item trino iudicio superato, vt si à Duumuiro appellauit ad præsidem prouinciæ, à præside possum appellare ad præf. vrbi, sed non etiam à præfecto vrbi. At si fortè præfect. vrbi iudicem dederit qui ex appellatione cognosceret, licet ab eius sententia non possit appellari, potest tamen recusari, si modo, vt l. vlt. sup. de senten. & int. ante litem contestatam recusetur, inuocato præfecto qui eum dedit. Nam vt à sententia iudicis dati appellatur qui dedit, l. i. D. quis à quo appel. ita recufationem iudicis dati fieri oportet ad eum qui iudicem dedit. Ceterum recusatio ipsa pro appellatione non computatur, quia fit ante litem contestatam. Et hæc est sententia vltimæ partis huius legis. At retractatio à sententia præf. prætorio pro appellatione cedit. & ideò si à Duumuiro appellauit ad præsidem prouinciæ, & à præside ad præf. prætorio, iam non possum retractare quod præf. prætorio iudicauit, quia videor tertium appellare.

### LXXI. *Qui bonis cedere possunt.*

**P**ERTINET hic titu. ad executionem rerum iudicatarum, siue priore iudicio siue ex appellatione iudicatæ sint. Nam executio ex causa debitæ pecuniæ fit tribus modis. Ac primum quidem captis ac distractis pignoribus, quod fit extrà ordinem iussu magistratus, non lege aut edicto certo, vt docui tit. 53. neque verò ita pignus prætorium constituitur, sed pignus quod vicem obtinet conuenti pignoris, l. i. infr. si in caus. iud. pign. & hoc si is qui iudicatus est præsto sit vel si defendatur. At si latitet vel non defendatur, alio modo fit executio, nempe ex edicto prætoris eo qui vicit iudicati seruandi causa misso in possessionem omnium bonorum eius qui iudicatus est, l. 2. & 3. infrà qui potio. in pignor. quo genere pignus

Prætorium constituitur, eamque possessionem sequitur  
 proscriptio & distractio bonorum sub hasta, quæ irro-  
 gat infamiam ei cuius nomine fit quasi decoctori. & hic  
 ordo edicti proximus est ordini XII. tabul. quamobrem  
 & proscriptio distractioque bonorum, quæ fit ex edicto  
 usurpato nomine XII. tabul. sectio appellatur & morti  
 comparatur, l. actione. §. i. D. pro socio. Lex XII. voluit  
 decoctoris sanguinem effundi, Prætor maluit suffundi  
 publicè distractis bonis voce præconis. Quod si iudica-  
 tus parum aut nihil habeat in bonis, alio modo execu-  
 tio fit, quæ etiam descendit ex XII. tabul. putà iudi-  
 cato detruso in carcerē. prima ratio exequendi est extra-  
 ordinaria, reliquæ ordinariæ. Sed ut & hanc iniuriam  
 carceris & illam quoque proscriptionis & distractionis  
 infamiam debitor euitet, lege Julia ei conceditur om-  
 nibus bonis suis præsentibus & futuris creditoribus  
 cedere, non ut ea sibi habeant, quæ debitor cedit,  
 non dat in solutum, sed ut ea publicè vendant & pre-  
 tium ex venditione redactum inter se partiantur pro  
 rata crediti, l. 4. & rationem hanc Theodorus reddit,  
 ἵνα μὴ τοιαύτω χόνησιν ἀδίστα τὰ ἄξια πολλὰ  
 καὶ συμπαγνίαις εἰς ὀλίγα δέχωνται. neque obstat  
 l. ult. in fi. quæ hoc duntaxat vult in causâ quidem electi-  
 onis, de qua in ealege agitur, nullum esse discrimen in-  
 ter hypothecarios & chirographarios creditores. Cete-  
 rum in partiendis rebus debitoris ius cuique suum esse  
 seruandū, ita scilicet ut hypothecarij hypothecas suas  
 salvas habeant, ut l. 6. tit. seq. ceterarum rerum pretium  
 inter eos diuidatur, electa cessione bonorum. Quæ autē  
 cessionem bonorum sequitur venditio, non irrogat de-  
 bitori infamiam, quia non fit eius nomine, sed credito-  
 rum quib. cessa sunt, l. debitores, sup. ex quib. cau. inf. ir-  
 rog. Et hæc sunt duo commoda cessionis bon. l. vltim. &  
 quod ait l. i. tantum. liberationem excludit, nō alia com-  
 moda. nam & tertium commodum cessionis hoc est, ut  
 post eam debitor conuentus habeat exceptionem, si non

cessit bonis. §. vlt. Inst. de replic. nisi quid ei postea facultatis ad soluendum accesserit, quo prætor moueri possit, l. 3. tit. sequ. Cessio inter ciues Romanos ex lege Iulia, vt opinor, fiebat in iure solemnibus verbis, vt quælibet alia cessio qua dominium adquiritur, hodie fit nuda voluntate etiam extra ius, l. 6. hoc tit. l. vlt. D. eod. & reuocatur etiam nuda voluntate re integra, l. 2. hoc titu. nec necesse est petere à principe, quod lex Iulia defert. nã quod ait l. vlt. in princ. ad iustitium quinquennij, quam Græci ἀναχωσὴν & ὑπερημερίαν vocant, potissimum respicit. Hanc à principe impetrari necesse est, non cessionem bonorum. Rectè Accursius electa dilatione quinquennij cessionis auxilio renunciari. Rectè etiam ex l. vlti. infra de cùst. reor. adnotabis & in causa criminali cessionis bonorum locum esse.

*LXXII. De bonis auctoritate iudicis possi-  
dendis, seu venundandis, & de se-  
parationibus.*

**P**ossessio bonorum omnium pecuniæ iudicati, quæ ei qui pro partibus suis sententiam consecutus est, & alijs creditoribus datur, si intra tempora iudicati non faciat iudicatum, & quam auctor præstigans iungere quæstioni de possessione, præmisit quæ ante scripta sunt de rebus iudicatis, vel datur ex cessione ipsius iudicati siue debitoris, de qua titulo superiore proximo, vel ex edicto auctore prætoris iudicati siue crediti seruandi causa, de qua in hoc titu. videlicet si debitor fraudationis causa latitet nec defendatur, l. pen. & vltim. hoc tit. l. pen. tit. vlt. vel si ei successor nullus extet, l. 5. & 6. hoc tit. Vtramque sequitur venditio bonorū postulata à prætoris tracto iusto aliquo tempore, cuius ipse prætor iustus arbiter est, l. penult. nam quod lege definitum non inuenitur, meritò tribuitur arbitrio iudicis. & verum est quod Alciatus notauit à l. vltim. §. sin autem. hæc verba, à nobis, abesse nec deesse. & verò d. l. vlti. in longum tempus

pus plerunque trahi venditionem satis ostendit, dum ponit re integra creditores qui non petierunt se mitti in possessionem intra quadriennium, admitti in comunione[m] petita[m] ab alijs bonorum possessionis, quia in rem datur, non in personam, & agrè igitur perueniri ad venditionem, quæ etiam quod fiat nomine debitoris tanquã decoctoris, ignominiosa est, atque ideò non acceleranda. Quæ sequitur cessionem bonorum, quia nomine debitoris non fit iam exuti bonis, ignominiosa non est. Cessa verò aut data possessione omnium bonorum debitoris, vt sit apud creditores iure cessæ possessionis vel prætorij pignoris, dico venditionem tandem ad extremum cum prætori iusta causa visa fuerit creditoribus permitti, non etiam eis iure dominijs bonorum additionem fieri posse, l. 4. infra tit. prox. l. 6. & 8. hoc tit. l. 1. supra ne pro dote mul. bo. ad. Vtroque genere debitor liberatur, l. 3. hoc tit. l. vltim. tit. vltim. ab his qui ante cessionem vel bonorum possessionem cum eo contraxerunt, non ab his quibuscum postea contrahit, d. l. 3. & non ipso iure, l. 1. supra tit. proxim. Sed posita exceptione, Nisi bonis cessit, vt Vet. lib. habent in §. vltim. Institut. de repl. & Basil. d. l. 3. ἀλλ' ἐι μὴ ἤξισεν, & in Theophilo d. §. vlt. scribendum ἤξισεν non ἔξισεν. At satisfieri prius debet priuilegiarijs & hypothecarijs, quàm non priuilegiarijs & chirographarijs, tum ex residua pecunia reliquis pro rata debiti quantitate. Illud quoque certum est, eorū quibus ab herede legatum est, quam eorū quibus ab herede heredis causam esse potiore[m], l. 1. Ad separationes pertinet l. 2. & 7. bonorum scilicet & creditorum defuncti à bonis creditoribusque heredis, vt in defuncti bona eant creditores defuncti, in heredis creditores heredis. Alia tria separationum genera notantur in Dig. eo. titu. & quintum l. 3. proinde. D. de minor. *Auctoritate iudicis*, id est, sententia prætoris.

## LXXIII. De priuilegio fisci.

Non alia de causa subiicitur hic titulus duobus superioribus, quàm quod ex cessione debitoris vel ex dicto prætoris possessis & venditis omnibus bonis debitoris habenda sit in primis ratio eorum creditorum qui priuilegij sunt, id est qui priuilegium exigendi habent, quod Plinius *πρωτοπροξικη* vocat quasi *πρωτην ε.σ. προξικη* qui ceteris creditoribus præferuntur in auferenda pecunia sibi debita, dilata interim exactio ceterorum qui priuilegium non habent. quæ causa etiam efficit ut in Digestis titu. de cess. bon. & titu. de reb. auct. iud. poss. de priuilegarijs creditoribus agatur. Ex his est fiscus de quo est hic titulus. Paulus V. Sent. Priuilegium fisci est, inter omnes creditores primum locum tenere. quæ sententia ut intelligatur sciendum est alios esse creditores hypothecarios, alios chirographarios, qui & personales dicuntur. & qui hypothecarij sunt etiam personales sunt, quia hypothecaria actio sine personali non consistit, quæ directa & principalis actio est. At qui personales sunt non continuo etiam hypothecarij sunt. nam personalis actio sine hypotheca consistere potest. Ex chirographarijs autem alij speciali quodam iure suo priuilegij sunt, alij non. Ex hypothecarijs, excepta causa dotis, nulli suo iure priuilegij sunt. Fiscus est semper hypothecarius creditor, nec tamen priuilegiarius in actione hypothecaria iure quodam suo proprio contra alios creditores hypothecarios, nec nisi priuilegio temporis, ut quilibet alius creditor hypothecarius, quia in hypothecis priuilegium æstimatur ex tempore non ex causa debiti, non ex persona creditoris. & excepta dotis causa & alijs quibusdam, utique qui prior est tempore & hypothecæ iure potior est. quod & de fisco ita proditum est, l. 2. hoc titu. l. si pignus, l. ult. D. qui pot. in pign. At in actione personali fiscus priuilegiarius est suo quodam iure, non spectata prærogatiua temporis, & hoc est quod ait Paulus, Priuilegium fisci est inter omnes creditores, &c. inter omnes scilicet chirographarios etiam si forte quidam priuilegij sint, quia priuilegia sua exercent

aduer-

aduersus alios, non etiam aduersus fiscum, id est, non nisi post fiscum priuilegarij sunt, quales sunt qui pecuniam crediderunt nauis fabricandæ vel instruendæ causa, l. qui in nauem. D. de reb. auct. iud. poss. quibus tamen fiscus anteponitur, l. quod quis eo. id est, possessis bonis debitoris, prius satisfieri fisco debet, quã ei qui credit nauis fabricandæ vel armandæ causa. Aliàs verò priuilegiarius priuilegiario non præfertur, sed melior est condicio occupantis, id est, eius qui prior suum recepit. Quod si prior creditor non priuilegiarius occupauit, integrum est priuilegiario quod ei solutum est extraordinario iure auferre, l. 3. hoc titu. Porrò aliud est priuilegium fisci, in tacita hypotheca, l. 2. suprâ de seru. pig. da. man. quam habet in ijs rebus quæ tempore contractus in bonis debitoris fuerunt, non etiam in his quæ eius esse desierunt, & per venditionem fortè & traditionem in alterius dominium transferunt, l. 4. nam tacita hypotheca fisci consistit in bonis tantum debitoris, non in alienis bonis, etiam si iam olim debitoris fuerint, ac ne in bonis quidẽ vxoris eius, l. 1. quia inter virum & vxorem nulla bonorum communio est, & res vxoris non minus viro alienæ sunt quam res cuiuslibet extranei. Et notandũ quod ait l. 1. bona eius, qui fisco obligatus est ob reliqua administrationis primipili, à fisco rectè occupari iure hypothecæ, non etiam res vxoris eius. quod intelligendum est de rebus quæ sunt extra dotẽ. nam dos vxoris cum sit in bonis mariti, ex causa reliquorũ primipili, id est, ex administratione militaris annonæ gesta à centurione primipili, occupari à fisco potest non vtique statim cū & dos vxoris sit, sed in subsidium & extra ordinẽ, si fiscus ex bonis ipsius debitoris vel fideiussoris eius reliqua primipili seruare non possit, l. 4. infr. in quib. cau. pign. tac. contr. quod etiã obtinere in quolibet munere publico, ex contrario argumentũ præstat l. 3. supr. Ne vx. pro mar. Dixi actionẽ fisci personalẽ præferri omnibus alijs actionibus personalibus nõ inspecta ratione tẽporis, quia in actionibus personalibus priuilegia nõ æstimãtur extẽpore  
sicut

sicut in hypothecarijs, sed ex causa debiti, l. priuilegia. D. de reb. auct. iud. poss. Fiscus actionem hypothecariam non præferri antiquioribus actionibus hypothecarijs, sed inferioribus tantum. Adde fiscus act. hypoth. præferri omnibus actionibus personalibus antiquioribus vel priuilegiarijs, l. 3. hoc tit. quod idem habet etiam quilibet alius cui hypothecaria actio competit contra chirographarios creditores, l. 6. sup. tit. prox. l. eos, inf. qui pot. in pig. Et ideò si debitor fisci idemq; debitor priuati creditoris chirographarij, prius soluerit creditori chirographario, fiscus iure tacitæ hypothecæ vel etiam persecutione extraordinaria iure sui priuilegij quod habet in actione personali, pecuniam solutam creditori chirographario persequi potest, non per actionem, sed cognitione præsidis aut procuratoris ex iusta causa, puta si debitor soluendo non sit, l. 5. & sine vsuris, d. l. 5. Ratio hæc redditur in l. denique. D. de iure fisc. quia res, non persona conuenitur, id est, quia fiscus rem persequitur, non personam, & in persecutione in rem vsuræ non veniunt, l. si nauis. D. de rei vind. & eadem penè est ratio l. 5. quia creditor chirographarius cui prius debitor pecuniam soluit, eam pecuniam non sumpsit scænore vt in sortem & in vsuras teneatur actione personali, sed suam recepit, id est, pecuniam sibi debitam, quæ auferri ei non potest nisi extraordinaria persecutione, in quam vsuræ venire non possunt.

### LXXIIII. De priuilegio dotis.

**E**ST etiam creditoribus permessa possessio & venditione bonorum debitoris, in actionibus personalibus priuilegiaria mulier, quæ dotem suam repetit soluto matrimonio, l. si sponsa. D. de iure doti. l. 1. D. solut. matrimon. Multa legibus fauore dotium introducta sunt, l. si ego. §. si res. D. de iur. doti. l. vltim. sup. ad S. C. Velleia. & hoc maximè, vt priuilegium habeat inter personales actiones, quod tamen Constitutio huius tituli ait non transire in heredem alium scilicet quam filiam, vt Nou.



91. eademque interpretatio adhibetur rectè ad l. maritū. D. sol. matr. At cur l. vlt. infr. qui pot. in pig. hab. ait actionem dotis præferri omnibus penè personalibus actionibus: Cur penè? an quia non actioni publicæ antiquiori, l. 9. supr. de iur. dot. non impensæ funeris, l. pen. D. de relig. non pecuniæ depositæ ad mensam quæ extrat, l. si hominem. §. quotiens. Depos. non impensæ auctionis inuentarijve faciendi, l. quod priuilegium, cod. quibus tamen causis hodie dotis causa proculdubio præferenda erit iure tacitæ hypothecæ, secundum definitionem l. 9. infr. qui pot. in pign. nam Iustin. mulieri agenti de dote etiam orbæ tacitam hypothecam dedit in rebus dotalibus & rebus omnibus mariti. ac prætereà in hypothecarijs actionibus priuilegium inter omnes creditores hypothecarios etiam antiquiores & tacitam vel expressam hypothecam habentes, l. vlti. infrà qui pot. in pig. Nou. 97. non tamen aduersus fiscum, vt opinor, nisi ex priuilegio temporis, l. 3. infrà de primipilo. l. 2. suprà titu. proxim. in qua quod de hypotheca cauta mulieri, idem hodie dici velim de tacita Non alij mulieri agenti de dote antiquiore, d. l. vltim. Nouel. 91. Non etiam ei qui pecuniam credidit ad comparandam rem aliquam sub pignore eiusdem rei, si tempore prior fuerit. Nouel. 97. Non item ei qui pecuniam credidit ad comparandam militiam eo pacto vt in ipsius militiæ pignore potior esset. cui nec antiquior mulier præfertur, ex eadem Nou. 97. His exceptis mulier etiam antiquioribus creditoribus hypothecarijs quibuscunque præfertur: & plus habet quàm fiscus, qui in hypothecis non habet nisi priuilegium temporis. & vitium adfert regulæ iuris, quæ statuit in hypothecis priorem tempore nisi potioiorem iure. Denique ex hypothecarijs creditoribus sola mulier quæ de dote sollicita est speciali iure suo, quod Iustinianus indulsit, priuilegiaria est.

LXXV. De reuocandis ijs quæ in fraudem  
alienata sunt.

**I**N hoc titulo agitur de actione in factum quæ Pauliana dicitur, & competit creditoribus post possessionem & venditionem bonorum pecuniæ iudicati, transacto legitimo tempore iudicati faciendi si latitet nec satisfaciatur, nec defendatur, & bona quæ vaneunt quæque sola retinuit post iudicationem non impleant creditores, ad reuocanda ea quæ in fraudem eorum alienauit sui patrimonij deminuendi causa vt ex eo minus creditores ferrent, rescissa alienatione. & competere eam post possessionem & excussionem & venditionem bonorum iudicati vel cuiuscunque debitoris intra annum vtilem, probat l. 1. & penult. huius tituli, & l. 6. §. vltim. l. ait prætor. §. 1. & §. annus. D. eod. §. item si quis in fraudem. Instit. de actio. vnde satis apparet quam benè hic titulus cohæreat superioribus. Notanda est differentia inter causam lucratiuam & non lucratiuam, l. penult. Notanda l. vltim.

de qua Obseru. XII. cap. V. Notanda l. 4. quæ ait actionem Paulianam non dari his qui debitori heredes extiterunt. quia scilicet  
& confusione creditores  
esse desierunt.

# CODICIS IVSTINIA- NI LIBER VIII.

## TIT. I. De Interdictis.



**O**H A E R E T hic titulus cum posterioribus titulis libri superioris manifesta ratione. nam illi fuerunt de possessione & eius effectis, hic autem & qui sequuntur aliquot sunt de interdictis quae possessionis aut quasi possessionis causam continent, possessionis puta fundi vel aedium, quasi possessionis veluti ususfructus aut iuris alterius, ut l. ait praetor, § item ei qui. D. ex quib. cau. mai. Et nihil sunt aliud interdicta, quam decreta quae praetor facit de possessione vel quasi possessione, cum statuit apud quem possessionem rei controuersae inter duos esse oporteat interim dum litigabitur de proprietate apud iudicem pedaneum, quae & mox dat inter eos ut & de proprietate cognoscat, id est uter rei dominus sit. Itaque interdicta non perpetuam possessionem addicunt, sed temporariam, quoad de proprietate iudicatum sit, l. i. §. vlti. D. de aqu. cor. & aest. nam possessione cadit qui interdicto eam obtinuit vel retinuit, si in causa proprietatis contra eum iudicatum sit. Item interdicta causam proprietatis non finiunt sed praeparant tantum, d. l. i. §. vlt. & ordinant, ut sciatur in causa proprietatis quis rei quis actoris partibus fungatur, & consequenter cui incumbat onus probandi. nec enim possessori incumbit qui interdicto vicit sed petitori, l. 3. hoc tit. Non inficior quaedam esse interdicta quae causam proprietatis finiunt. sed sunt admodum pauca. ut interdictum quod datur ei cui princeps permisit ducere in praedium suum certum modulum aquae publicae ex castello vel riuo aut fistula publica. Hoc interdictum quo praetor vetat vim ei fieri quo minus aqua ducat pro modulo quem ei princeps assignauit, non

tantulum

tantum possessorem facit eum cui ius aquæ princeps adsignavit, sed etiam finit quæstionem adsignationis, id est an ius aquæ adsignatum ei sit, & quasi possessionem perpetuam eius iuris tribuit. denique hoc interdicto finitur totum, d. l. 1. §. vltim. id est dato hoc interdicto nihil amplius finiendum restat, nulla superest actio secunda. Nulla sunt interdicta quæ proprietatis duntaxat causam contineant, plura quæ possessionis duntaxat, nonnulla quæ possessionis & proprietatis, vt illud quod proposui modo, itemque interdictum de itinere actuq; privato reficiendo, quod & quæstionem possessionis continet, id est an vsus sit seruitute qui hoc interdicto vtitur, & proprietatis, id est an habeat seruitutem, l. 3. §. hoc autem. D. de itin. actuq; pr. vnde manifestum est, quod ait l. 2. §. quædam. D. de interd. Hoc interdictum proprietatis non possessionis causam habere, sic esse accipiendum, non solius possessionis temporariæ. Similia his sunt quædam quæ quasi proprietatis causam continent, veluti de religiosis locis, interdictum de mortuo inferendo in sepulchrum quod est in fundo meo. eamque in eo non tantum quæritur an sim in possessione inferendi mortui in sepulchrum, sed etiam an sim quasi dominus sepulchri. nec enim sepulchri possum esse dominus vt fundi, propter religionem, sed possum eius esse quasi dominus, d. §. quædam. l. sunt personæ. D. de religiof. idem de sacello dici potest quod est in fundo meo, vt si quis me eo vti prohibeat, simile interdictum mihi detur, in quo & de possessione & de iure dominij quærat, an sacellum sit quasi meum. & hoc est quod ait d. §. quædam. De locis sacris vel religiosis. Eiusdem condicionis est interdictum de liberis vel libertis exhibendis. quia in eo quæritur non tantum an exhibendi sint, quæ possessionis est quæstio, sed etiam an mei sint liberi vel liberti, id est quasi mei. nec enim liber homo. propriè in alterius domino esse potest. & notandum vt aliarum rerum est possessio, aliarum quasi possessio, ita aliarum esse proprietatem, aliarum quasi proprietatem. His addit Accursius

curfus interdictum de arboribus cædendis. malè, quia in eo non quæritur de iure dominij, sed de possessione tantum, an arbor quæ imminet in prædium meum possessioni meæ noceat. At alijs quæ retuli suprà, exceptis quæ totam rem finiunt, verum est alia interdicta non finire, sed præparare tantum proprietatis causam, non finire igitur rem totam, sed postea superesse iudicium a petitorium. Illud etiam notandum est, præto-rem reddito interd-cto non dare iudicem qui de possessione cognoscat, de qua ipse iam interdicendo iudicauit, sed qui proprietate cognoscat. Et hæc est mens Theophili grauissimi auctoris in Institut. non etiam interd-cto addici iudicem qui de possessione iudicet. Hoc enim vult, præto-rem interdicentem de possessione instruere siue  $\xi\nu\ \mu\iota\ \xi\epsilon\tau$ , quo verbo vtitur, iudicè datum de proprietate quo eam causam ordine exequi & peragere debeat: denique interdictum esse ordinationem siue rhythmum futuri de proprietate iudicij, quo prætor constituit quis in iudicio prætorio futurus sit actor, quis reus. Rursus notandum, præto-rem inter eos qui de possessione contendunt protinus suam operã interponere datis interdictis, quæ & ob id momenta dicantur, & momentariæ possessiones, quod protinus interponantur sine vlla cunctatione, quoniam, vt idem Theophilus ait, ea sapè contro-uerfia procedit ad cædes & vulnera & plagas, id est, verbera & percussiones sine vulnere, vbi malè Latinus i-nterpres, plagas inferre, ad manus venire, cum & vulnera inferre sit ad manus venire, & id si voluisset Theophilus dixisset  $\epsilon\iota\epsilon\ \chi\epsilon\acute{\iota}\rho\alpha\zeta\ \epsilon\lambda\theta\epsilon\acute{\iota}\nu$ , vel  $\epsilon\iota\epsilon\ \chi\epsilon\acute{\iota}\rho\alpha\zeta\ \acute{\iota}\nu\alpha\iota$ . Prætoris autem est, non pati vt ad anima prosiliant quos potest sua iurisdictione componere, l. 13. §. sed si inter duos, D. de vsuf. Postremo loco adnotabo, in reddèda ratione nominis interdicti variasse auctores, vt more Stoicorum solent in ea re esse liberi, alij quod sola prohibitoria propriè sint interdicta, alij quod inter duos dicantur, alij quod interim, vt Isidorus & Anianus, quæ si for-

re verior est. quia interim duntaxat valēt quoad de proprietate iudicatum sit.

## II. *Quorum bonorum.*

**P**ost generalem titulum de interdictis, dantur speciales, hic & is qui sequitur de interdictis adipiscendæ possessionis, tit. 4 & 5. de interdictis recuperandæ, tit. 6 de interdictis retinendæ. Adipiscendæ sunt, quæ competūt his qui ante nacti non sunt possessionem, & ex hoc genere est interdictum *Quorum bonorum*, quod competit ei cui prætor dedit bonorum possessionem ex testamento vel ab intestato. Hæc datur de plano cuilibet petenti nulla ab eo probatione exacta cuiusquam rei, & ius tribuit tantum persequendi patrimonij quod cuiusque cum moritur fuit, non corporalem possessionem rerum. nec enim bonorum possessio sic accipitur, ut rerum possessio. hæc est facti & corporis, illa iuris, & ius successionis, non detentio rerum. Ergo postquam agnovi bonorum possessionem, si velim rerum hereditariarum possessionem quam alius tenet adipisci, uti debeat adversus illum interdicto quorum bonorum, ut in me confestim transferat possessionem, omnibus frustrationibus amputatis. ut ait l. 3. id est, remota denunciatione solemni & observatione temporum. Sic enim ea verba accipienda sunt, ut hæc l. 4. tit. superioris, ruptis veterib. ambagibus, quæ est eorundem Imp. & ita accipienda esse perspicuè docet l. 6. C. Th. de denun. vel edit. res. At notandum, agentem interdicto *Quorum bonorum* non aliter adepturum possessionem rerum, quam si iudici probaverit se esse fratrem, si tanquam frater petierit bono. possessionem Vnde legitimi, ut l. 3. vel se esse filium, si tanquam filius præteritus petierit bono. possessionem contra tab. ut l. 1. quæ hoc etiam exigit ut probet se bono. possessionem agnovisse cum re, quod est in l. 2. integrum esse negotium, ideoque initio d. l. 1. hæc verba, hereditatem petiturus, sic excipio de adipiscenda possessione rerum hereditariarum acturus, iudicibus allega de fide intentionis,

nis,

nis, id est, ut subijcit, proba te esse filium. proba te bonor. possess. agnouisse. Vnde apparet interdictum Quorum bonorum dari bon. possessori, non heredi qui iure civili heres exitit. Nam prætor suos tantum successores tuetur, & idè illo loco l. i. Hereditatem vel bon. possessione illud vel adiectum est, ἐν τῷ παρ' ἀλλήλων.

III. *Quod legatorum.*

**I**N hoc titulo proponitur aliud interdictum, quod ipsum etiã est adipiscẽ de possessionis, & vocatur Quod legatorum, quia edicti quo promittitur verba hæc sunt: Ut quod legatorum nomine quis sine voluntate eius ad quem ea res pertinet, possidet vel dolo malode sit possidere, id illi restituat, si satisfdatum ei sit, vel si per illum non fiat ut satisfdetur legatorum nomine. Eius autem ad quem ea res pertinet, id est, heredis aut bonorum possessoris cuius interest. Et heredis aut bon. possessoris interest non occupari legata sine voluntate sua, cum lex Falcidia locum habet, puta hereditate legatis onerata vel exhausta, quia ante Iustinianum heres Falcidia retentionem tantum habuit, non vindicationem. & idè legatario occupante vacuã possessionem rei legata non ex voluntate heredis, heredi necessarium erat interdictum Quod legatorum, ut recepta re legata per eius retentionem sibi seruaret Falcidiam, l. i. hoc titu. quæ & de fideicommissario idem statuit. Vnde quod ait Vlpian. 67. ad edictum, quo libro tractauit de interdicto Quod legatorum, Per omnia exæquata sunt legata fideicommissis, ut iam diu dixi, pertinere duntaxat ad interdictum Quod legatorum & legem Falcidiam. Nec enim dicit, per omnia & in omnibus. Ergò per omnia, non in omnibus, sed in lege Falcidia tantum & interdicto Quod legatorum, quod Falcidie ex legatis aut fideicommissis seruandæ causa heredi aut bonorum possessori competit. Cur non etiam in donationibus causa mortis, ut l. i. §. si quis ex mortis. D. eod. Quia ex his Falcidia ipso iure deducitur ex Constitutio. Seueri, propterea quod heres-

di non suppetit facultas retinendæ rei quam donando in defunctus corporaliter transfudit in donatarium, & superuacuum ei est interdictum Quod legatorum, qui ipso iure Falcidiam habet, & eadem ratione si rei legatæ possessionem non occupauerit legatarius post mortem testatoris, sed mortis tempore apud eum fuerit, quia hoc etiam casu heredi competit vindicatio Falcidiæ, propterea quod retinendæ rei legatæ facultatem non habuit, cessat, id est superuacuum est interdictum Quod legatorum, quamuis eo uti non prohibeatur si malit retentione Falcidiæ quàm vindicatione uti. Unde consequens est hodie superuacuum esse interdictum Quod legatorum, quæ heredi generaliter à Iustiniano promissa est data vindicatione Falcidiæ, nec tamen ab eo repelli heredem qui voluerit uti, oblata satisfactione legatorum nomine.

#### IV. Vnde vi.

**I**N hoc titulo proponitur interdictum quod recuperandæ possessionis causa competit ei qui per vim de possessione fundi vel ædium deiectus est, aduersus eum qui vim fecit etiam si sine dolo malo aut culpa deserit possidere, quod appellatur Vnde vi, & generale interdictum restitutoriam, quod generalis iurisdiclio dicitur, l. ultim. quod non. tantum pertinet ad possessionem vi v furpatam armata aut non armata, ut ait l. 8. sed etiam ad alio modo v furpatam possessionem sine vi. veluti errore aut incuria domini, l. 5. vel sub specie rescripti principis vel præcepti iudicis quo fortè protinus iubetur quis rem sibi debitam exigere, arripere, accipere, ut l. 6. & tituli seq. l. 2. Nec enim eo rescripto intelligitur esse remissus ordo iuris, argè. l. si quando, in princip. supr. de inoffi testam. sicut nec conuentione debitoris, ut l. 3. infr. de pig. ut etiam non conuento possessore, nec iniurato rescripto rem debitam occupare possit impunè. Pertinet etiam ad possessionem vacantem occupatam absente domino sine iudicis auctoritate ab eo qui sciebat rem neque suam esse



se neque sibi debitam, ex l. ult. & tam ad res mobiles quàm immobiles vi occupatas, & tam suas quas alius possidebat quàm alienas, ex l. 7. quæ trahitur etiam ad eos qui possessionem quam alij possidebant non restituentes domino rectè & suo tempore repètenti eius sibi ipsi causam mutare tentant, l. pen. vt omnibus his casibus actori in duplum ciuilitè teneantur momenti interdicto generali, qui alienæ rei possessionem alienam aut vacantem absente domino impulsu suo furore & audacia sola occuparunt sine iudice, qui rei suæ, vt eius rei dominio excidant redacto in fiscum, extrà causam criminis quo tenentur quicumq; vim faciant legibus Iulij vel extrà ordinem inscribente actore. Qui sine vi interturbant possessionem alienam, criminaliter non tenentur, nec hoc casu momentariæ possessionis causa inscriptionem exigit, sicut nec subreptæ vel directæ, vel abactæ, vel celatæ, vel interuersorum finium modicæ rei.

*V. Si per vim vel alio modo absenti possessio perturbata sit.*

**H**IC tit. pars est superioris, & propriè pertinet ad possessionem alienam quam quis per vim vel alio modo abstulit & interpolauit absenti possessori, & quodam modo coheret cum l. ultim. titu. sup. hac ratione, quoniam & illa lex & Constitutiones huius tituli. tractant de possessione occupata absente domino, sed illa de possessione vacante, eæ constitutiones de possessione quam absens per alium retinebat putà seruum aut colonum, aut libertum, aut propinquum, aut amicum, alius occupauit per vim expulsis hominibus possessoris vel alio modo veluti sub specie rescripti aut iudicati, vt l. 2. Et interdictum recipiendæ possessionis quod ex hac causa competit, pleraque singularia habet. Vt expulsis hominibus qui absentis nomine possidebant statim operam dante iudice interdictum detur, etiam si causæ dictio eis mandata non sit. Regulariter, nemo agit alieno nomine si-

ne mandato de redintegrandâ possessione rectè agit qui nomine absentis possidebat. Et vt l. vltim. sup. titu. prox. ab actione furti qua tenetur etiam qui rem alienam attrahat, quam dominus possidebat cum id se inuito domino facere existimare debuit, argumentatur ad actionem momenti siue interdictum vt & hoc teneatur qui absente & ignorante domino vacantem possessionem occupauit, ita quod ait hoc loco de actione momenti, vt possit perturbata possessione qui alieno nomine possidebat absente nec mandante domino eam intendere, confirmari potest exemplo actionis furti, qua ex lege Hostilia licebat sine mandato cuiuslibet experiri nomine eius qui erat apud hostes, vel aberat Reip. causa, vel nomine eius qui in tutela erat hominis capti ab hostibus vel absentis Rei pub. causa. §. 1. Institut. de his per quos ag. poss. Item singulare hoc est, vt seruis qui expulsi sunt postulantibus detur interdictum momentariæ possessionis, vt l. 1. & 4. Cod. Theod. eod. l. vltim. supr. qui leg. per. qui regulariter in iudicium ciuile non admittuntur, & exemplo actionis momenti etiam tentari potest re domini absentis, furto sublata seruum furti agentem à iudice admittendum esse. Id etiam singulare est, vt interdictum recipiendæ possessionis quæ absenti interuersa est, vel vt l. vltim. suprâ titu. proxm. quæ vacans absente domino occupata est, perpetuò competat. Nec alia ratione opinor Cassiodorum VII. Var. scribere, vigilibus iura momenti esse dilatata, quam quod vice absentium sint, l. si maritus. 2. §. legis, D. ad legem Iul. de ad. & hoc est quod ait d. l. 4. Cod. Theod. Vnde vi. in militia constitutis vel absentibus.

### *VI. Vti possidetis.*

CONstitutionis huius tituli duas facio partes. Secunda est de iudicio petitorio. Prima de possessorio, id est interdicto retinendæ possessionis, quod vulgò Vti possidetis appellatur à primis verbis, quæ & Constitu-

tio ipsa proponit statim ab initio. Pertinet autem hoc interdictum ad res immobiles. Aliud est de retinenda possessione rerum mobilium, & appellatur etiam à primis verbis Vtrubi. Et inter ea olim hæc differentia fuit. Vti possidetis interdicto vincebat qui tempore redditi interdicti nec vi nec clam nec precario ab aduersario possidebat, Vtrubi interdicto qui maiore parte anni retrorsum numerati, vt Paulus ait V. Sent. *εις τὸ πρὶν ἀνακλωμένως*, vt Theophilus noster, nec vi nec clam, nec precario ab aduersario possederat. Postea cœpit utroque interdicto vincere non qui tempore redditi interdicti, non qui maiore parte anni, sed qui tempore litis contestatæ possidebat, s. hodie: Instit. de interd. dum super hoc ab aduersario inquietabatur, vt ait l. i. D. Vtrubi. quæ verba Triboniani sunt, & significant tempus litis contestatæ, ex quo apparet verum esse quòd vulgo iactatur, eum cum quo actor litem contestatur ex causa interdicti ad retinendam possessionem si rem defendat actorem eundemque possessorem inquietate. Hodie verò in Gallia hoc aut illo interdicto neque is vincit qui tempore redditi interdicti, neque is qui tempore litis contestatæ, neque is qui maiore parte anni, sed qui toto superiore anno ipse auctioris eius nec vi nec clam nec precario ab aduersario possedit. & ne vis fiat solet plerunque res sequestrò deponi, quod olim non fiebat nisi in iudicio petitorio, neque eo qui interdicto vicisset satisfadante de re conseruanda & restituenda petitori si vicisset, neque petitore oblata satisfadatione possessionem in se transferente, secundum ordinem edicti perpetui, De satisfadando, quem & in alijs plerisque causis obseruari docui ad Paulum l. sent. tit. XI.

VII. De tabulis exhibendis.

**I**Nterdicta quæ sunt proposita superius, vel restitutoria sunt vt interdictum Quorum bonorum, Quod legatorum, Vnde vi, vel prohibitoria vt Vti possidetis Se-

quantur exhibitoria, quæ licet figura verborum exhibitoria sint, vi tamen ipsa sunt restitutoria. Nam vt in actione exhibitoria verbum exhibere restituendi vim effectumque in se continet, sic & in interdicitis exhibitorijs vt actori scilicet restituatur, quod exhiberi desiderat l. 1. §. in hoc interdicto. D. de liber. exh. & hic si quæras, quid distet actio exhibitoria ab interdicto exhibitorio, dicam hoc tantum, quod actione petantur exhiberi res quæ nostræ sunt, l. 3. §. si ipse testator. D. de tab. exh. & quas mox nostras esse dicturi, id est vindicaturi sumus. Interdico res quæ nostræ non sunt, vt tabulæ testamenti in quibus aliquid nobis relictum est, quæ non sunt singulorum sed vniuersorum quibus quid illic adscriptum est, l. 2. in principio. D. de test. quemadm. ap. nec eas vindicaturi sumus, & liberi homines quæ nullius dominio subiecti sunt nec vindicari possunt, l. si liber. D. ad exh. & liberi nostri, id est filij vel nepotes quos in potestate habemus qui æquè nostri, id est in dominio nostro non sunt (aliud enim est dominium, longè aliud potestas) nec vindicari possunt, l. 1. §. 1. D. de rei vind. Et ex his quidem interdicitis exhibitorijs primum hoc tit. proponitur interdictum de exhibendis siue proferendis tabulis testamenti, quod & momentibeneficium Anianus vocat in l. 1. C. Theo. vic. ciuil. cr. ag. & primis heredibus competit vel secundis existente casu substitutionis, vt in specie legis positæ sub hoc tit. vel legatarijs aut fideicommissarijs quorum interest, l. 3. §. solent. D. eod. aduersus eum penes quem sunt si negat eas exhibere se posse vel debere, l. 1. §. 1. eod. Aduersus eum qui non negat, hoc interdictum non competit, sed extraordinem eas adhibere compellitur. l. 2. §. vlt. Test. quemadm. ap. Dixi hoc interdictum heredibus dari, quibus tamen & vindicatio tabularum competit & actio ad exhibendum, l. 3. eod. Sed vindicatio tanquam suarum, itemque actio ad exhibendum. Hoc interdictum tanquam de instrumentis publico, non proprio suo, l. 2. in principio. eod. Ceteris extrâ heredes hoc tantum interdictum datur,

non

non vindicatio vel actio ad exhibendum, l. 3. §. si quis extrà. D. ad exhib. & hæc ita distingui volo.

*VIII. De liberis exhibendis seu deducendis, & de libero homine exhibendo.*

SEquuntur in hoc tit. alia duo interdicta exhibitoria, & unum prohibitorium. Primum est de liberis exhibendis, quod competit parentibus qui eos habent in potestate aduersus eum apud quem sunt non sua spontè. Dico, qui liberos habent in potestate, quæ quasi proprietatis quæstio & in hoc interdicto vertitur, vt docui tit. i. Dico aduersus eum apud quem sunt. Quoniam hæc sunt prætoris verba, qui tamen de tabulis maluit dicere penes quem sunt. Quia liberi homines apud nos esse possunt, non penes nos, tabulæ etiam penes nos. Post hoc interdictum sequitur interdictum de liberis ducendis, quod est prohibitorium, de quo accipio l. i. ex l. pen. D. cod. Secundum interdictum exhibitorium est de libero homine exhibendo, quod patri datur de exhibendo filio emancipato, matri de exhibendo filio vel filia, vt l. 2. quæ scripta est ad matrem, marito de exhibenda vxore ac ducenda, vt l. 3. quæ scripta est ad Euodium maritum. & generaliter cuiuslibet studioso tuendæ libertatis. est enim quasi publicum interdictum. Sed non creditori de exhibendo debitore latitante qui apud alium est, l. vlt. §. vlt. D. eod. quia creditoris pecuniariter interest, & suppetunt ei alia remedia ex dicto, putà, vt mittatur in possessionem bonorum debitoris. At interdictum de libero homine exhibendo non datur ei cuius pecuniariter interest, l. si liber. D. ad exhib. non iuris sui aut rei familiaris tuendæ, sed effici tantum causa, l. 2. §. iuris. D. de interd. non quod interfit pecuniariter, sed quod interfit hominis hominem beneficio adfici.

*IX. De Precario & Saluiano interdicto.*

**I**N hoc titul. duo proponuntur interdicta restitutoria, Precarium & Saluianum. Precarium est de re petenti precibus concessa restituenda ei qui concessit. & precarium ipsam licet sit gratuitum, sicut donatio & commodatum, non tamen idem omninò quod donatio, quia donatio non reuocatur, precarium reuocatur. Non est etiam idem quod commodatum, imò longè aliud vsus precarius, vt l. 4. suprà de his qui à non dom. man. aliud vsus commodatarius. Nam commodatum reuocari im portunè non potest, precarium quodcumque reuocari potest etiam importunè & intempestiuè & ex contingenti, atque etiam si concessum sit ad certum tempus, ante illud tempus, quia totum hoc descendit ex liberalitate & bona uolentia seu libidine eius qui precario concessit, ideoque ex pœnitentia etiam illicò precarij repetitio est, sicut donati mortis causa uel donati ob rem: alioquin non est precarium, sed commodatum à quo pœnitere non licet. Reuocatur autem precarium interdicto precario, quo etiam heres eius qui precarium rogauit tenetur ex persona defuncti, non ex persona sua si in possessione permaneat, sed interdictio potius de clandestina possessione. Precarium finitur morte alterutrius, Commodatum non item. Ex commodato est ultro citroque ciuilis actio ex precario nulla. Nam præscriptis uerbis quam Constitutiones introduxerunt hoc colore quod precarium ad aliquid esset commodato simile, nò frequentari infrequens eius mentio in titul. de precario, & frequentissima uel tota potius de interdicto precario satis indicat, & quod licet Constitutionibus facta esset bonæ fidei non tamen adnumerata est inter actiones bonæ fidei, actionum & meritò. quia precarium magis est donationi simile, ex qua non est actio præscriptis uerbis. & donatio magis quàm commodatum, sed donatio reuocabilis, donatio imperfecta, l. penultim. D. Commun. prædio. & ebid tutius est interdicto iure ordinario, quàm ex Constitutionibus agere de precario. Alioquin si existeret certa ex Constitutionibus uel ex stipula

tu, necessarium interdictum precarium non esset. Salui-  
 anum interdictum est de pignoribus, & datur locatori  
 ad perfequendam possessionem rerum conductoris pro  
 mercede pignori obligatarum tacite vel specialiter. Qua  
 si Saluianum creditor ad perfequendam possessionem  
 rerum cuiuscunque debitoris pignori obligatarum, &  
 directum aduersus ipsum conductorem vel debitorem  
 tantum, vtile in factum conceptum aduersus possessore  
 quemlibet. Seruiana & quasi Seruiana directa iure pigno-  
 ris aduersus quemlibet, quia est in rem, interdictum au-  
 tem omne personale.

*X. De aedificijs priuatis.*

**Q**Vaedam sunt interdicta de aedificijs priuatis, vt puta  
 Quod vi aut clam, quod est restitutorium, & de no-  
 ui operis nunciatione tria, vnum restitutorium, duo p-  
 hibitoria, & in titul. de damno iufr. interdictum de tol-  
 lendis ruderibus aedium collapsarum in alienas aedes, l. 7.  
 §. vltim. & interdictum de tollendis his quae vi fluminis  
 in aliena aedificia importata sunt, l. 10. §. de his. propter  
 quae superioribus interdictis subijcitur hic titul. in quo  
 potissimum agitur de forma & modo priuatorum aedi-  
 ficiorum, & de refectione & demolitione eorum, de non  
 diruendis promercij causa, & de reficiendis his quae cor-  
 ruerunt aut deflagrauerunt, & de legitimis interuallis  
 quibus abesse debent ab alijs aedificijs priuatis vel publi-  
 cis, l. 9. 11. 12. 13. & in l. 14. quae est vltima, de lite orta inter  
 nunciatorem noui operis, & eum cui nunciatum est no-  
 uum opus, dum ille adfirmat sibi esse ius nuntiandi, &  
 offert praesentem cognitionem, hic verò negat, finienda  
 intra menses tres, intra quos denunciatus non possit nec  
 oblata satisfactione aedificare, vel si finiri aliqua ex causa  
 intra eum diem non potuerit, vt tum denunciatus  
 aedificare possit oblata satisfactione de  
 opere restituendo.

XI. *De operibus publicis.*

**S**VNT etiam de operibus & locis publicis interdicta quædam, l.1. §. quæ sunt. D. de interd. l.1. §. nunciatio. D. de no. op. nunc. & in tit. de loc. pub. fr. & nominati in l. 3. huius tituli. prætoria in quibus iudices habitant vel ius dicunt, & domus publicæ, & l. 19. porticus & angiportus, id est vici urbis aut viæ publicæ iubentur à priuatis possessoribus iuri & possessioni siue vsui publico vindicari, quod vtique fiet per generale interdictum restitutorium, si non extra ordinem. Et ex l. §. rectè dicam dari posse interdictum de opere restituendo quod illicite ædificatum in foro vel palatio, vt l. 16. vel muris aut portis, vt l. 2. D. ne quid in loc. sacr. vt si qua parapetia muris adijciantur, quod nomen restitutor in l. 3. Nam in Basil. est  $\pi\alpha\pi\epsilon\tau\alpha$  per l. sed scribas per u, vt sit parapetia, quod est adplicita vel adfecta muris vel alijs operibus publicis. In C. Th. parapetasia quasi adtensa. Leges autem Græcas quod adnotant quidam deesse sub hoc tit. duas, est omnino falsum, & ex eis quam ponunt tertio loco in hoc titulo est Latina constitutio l. 26. sup. de episc. & cler.

XII. *De ratiocinijs operum publicorum, & de patribus ciuitatum.*

**P**ARS est tituli superioris & hoc habet, ad præsidis prouinciæ officium non pertinere vt excutiat rationes operum publicorum, putà an impensæ respondeat structura, sed ad curatorem Reipub. siue patrem ciuitatis, de quo l. 3. infra de his qui sp. mun. succ. & Obseru. XII. ca. 30. Et vt qui vltra pollicitus est Reipubl. opus facturum suo sumptu, eo perfecto ex sua liberalitate, qua qualicumque contentam esse Rempub. benignum est, non inquietetur quod quantitati promissæ opus non suppetat, vel quod non operi constet virtus quæ permaneat ad vetustatem.



## XIII. De pignoribus &amp; hypothecis.

POSTquam à titul. XXVIII. libr. 3. conditor huius Codicis instituit pertractatè dicere de actionibus, & dixit iam de multis in rem quæ sunt de proprietate rerum & in personam quæ de obligatione personarum, & de misis tam in rem quàm in personam, & de præiudicialibus quæ sunt de statu liberorum & seruorum, & in re esse videntur, & de actionibus ex causâ interdictorum quæ sunt de possessione rerum & in rem etiam esse videntur: ab hoc titulo incipit tractare de eua ante non tractauerat de actione hypothecaria, quæ est de obligatione rerum debitoris mobilium vel immobilium, corporalium vel incorporalium. Et in rem actio, non qua dominus aut quasi dominus rem esse suam vel quasi suam petat sicut actionibus in rem ante propositis, sed qua creditor rem debitoris sui adierat pro debito sibi esse obligatam, & possessionem eius auocet iure pignoris. Et quia pignus aut re contrahitur aut nudo pacto, & ad utramque genus pignoris hæc actio pertinet, quatenus pignus persequitur nudo pacto contractum, prætoriam est actio, quatenus pignus persequitur re contractum, ciuile, quia & pignus re contractum ciuile negotium est. & hanc distinctionem adhiberi volo ad id quod generaliter est scriptum in Institut. actionem hypothecariam in ipsius prætoris iurisdictione capere substantiam. Quamvis aut pignus & hypotheca nihil inter se distent præter syllabarum sonum, quo etiam lingua Latina discernitur à Græca, tamen docendi causa ita placuit Iuriconsultis distingui propriè, vt hypotheca acciperetur pro pignore nudo consensu contracto, pignus pro pignore contracto, vel hypotheca rei immobilis, pignus mobilis, qualem etiam Chrysostomus in Psalmo XXXVIII. differentiam facit inter hypothecam & εὐέχυρον, his verbis, ἑπαυτὲ ὁ δὲ αὐτὸς εὐέχυρον ἢ ὑπόθεκην κλω ἢ εὐέχυρον. πῶς ἄρα εὐέχυρον ἢ ὑπόθεκην, οὐκ ἔστιν

τῆς γὰρ οὐδὲν, οὐκ εἰς χεῖρα φέρωμ. γερύμα) γρ.  
 Et Iurifconfulti fepeararunt hæc duo nomina eadē licē-  
 tia, qua & apochā ab acceptilatione, & qua medici qui-  
 dam anthraca, à carbūculo, & Theologi Penthecoften à  
 quinquagefima, licèt inter fe nihil diftent præter diuer-  
 fum fonnm, & diuerfam linguam, vt de pignore & hy-  
 potheca Martianus fcribit in l.res. §. vlt. D. de pig. & de a-  
 lijs D. Auguftin lib de magiftro. Itaq; à proprio vfu re-  
 cedentes fæpè generaliter & pignus & hypothecam di-  
 cunt quamcunque conventionem fiue re fiue confenfu  
 perfectam, quæ res quafcunq; vel iura debitoris credito-  
 ri obligat in crediti vicem, id lingua materna vocamus  
 vuadium à vade proculdubio. nam fidei optimus vas eft  
 res pignori nexa, vt regula iuris ait, plus cautionis effe in  
 re, quàm in perfona. Sunt tamen & in hoc titulo Confti-  
 tutiones quædam de actione pignoratitia, quæ de pig-  
 nori reftituendo datur, vt l. 19 & 20. quia & huic & hy-  
 pothecariæ eft idem adfectus circa eandem rem, & vt  
 Iuftinian. ait, altera alteri eft æmula.

XIIII. *In quibus caufis pignus ta-  
 citè contrahatur.*

**P**ignus non tantum exprefsè contrahitur quod mani-  
 feftarium pignus dicitur, fed etiã tacitè & ex præ-  
 fumptione iuris, l. vltim. hoc tit. nam & pacto contrahi-  
 tur, quod non minus rectè fit tacitè quàm exprefsè. & ta-  
 citum pignus tacitamve hypothecam lex inducit aut  
 præfumat quali de ea tacitè conuenerit, vt l. 3 hoc tit. l. 3.  
 & 4. D. eod. quali fíentio conuenerit, vt loquitur l. ea le-  
 ge. D. locat. ac primum quidem fícus femper tacitam  
 hypothecam habet ex caufa tributorum, & ex caufa cõ-  
 tractuum fuorum, non ex alijs caufis. nam caufam pri-  
 mipili vel alterius publicæ functionis, quæ etiam dotem  
 vxoris debitoris fícalis apprehendit non fufficientibus  
 bonis debitoris vel fideiufforis, aut mandatoris, aut no-  
 minatoris eius, caufa contractus eft. Sunt etiam tacitè

pignori nexi fructus fundi nominatim pignorati, quos debitor vel heres eius percepit. nam quos alius percepit veluti emptor prædij, non iure pignoris veniunt in actionem. Seruianam, sed arbitrio iudicis si exeunt & prædium non sufficiat, l. si fundus. §. in vindicatione, in fi. D. de pig. quos autem ipse creditor percepit, impurat in vsuras, & post in sortem, l. 9. sup. tit. prox. l. 2. infr. de par. pig. Item ex l. penul. bona secundi mariti cui contra fidem iurisiurandi denupsit mater quæ filij impuberis tutelam susceperat, non petito alio tutore, nec restituta tutela, pupillo pignoris iure tacito intellectu tenetur. quia si quid fortè filio interceptit mater, id omne præsumitur pertulisse ad maritum, dum cupit nouo marito ornatior & diuitior apparere. Postremo locato fundo ob mercedem locatori fructus tacite pignori obligati sunt, non inuecta & illata, nisi id conuenit nominatim, locatis ædibus quarum redditum constat in fructibus non consistere, sed in mercedibus tantum quæ ipse pro se ipsis pignora esse nequeunt, inuecta & illata ab inquilino tacite pignori obligata sint.

*XV. Si aliena res pignori data sit.*

**I**ncipit ab hoc titulo tractare de rebus quæ pignori obligari non possunt. namque eiusmodi res sunt alienæ vt specialiter pignori datæ, sine mandato aut voluntate domini non obligentur. quia vt rem alienam non possum facere tuam iure dominij, sic nec pignoris iure tibi nec tere quod nexum mihi non est, iure possessionis possum facere tuam, quia possessionem etiam non domini habere possunt. & hac ratione rei alienæ emptio venditio ab initio consistit propterea quod cõtenta est traditione vacuæ possessionis, non pignus vel hypotheca. Seruitutes rusticorû prædiorum, quæ pignori obligari possunt ab ijs quorum prædijs debentur, non sunt aliena iura. Redemptus ab hostibus non est pignori, sed quasi pignori, & nõ ciuilitè, sed naturaliter. Res mihi debita vel obligata nõ tam ipsa est pignori, quàm obligatio.

XVI. *Quæ res pignori obligari possunt vel non,  
& qualiter pignus contra-  
bitur.*

**R**ebus alienis, quas pignori obligari non posse superior tit. ostendit, hic ut adijcit alias plerasque, veluti monumentum, l. 3. & spem præmiorum ex factis certaminibus, l. 5. & ipsamet præmia sacra quæ consistebant in annonis, obsoniis, pensitationibus, quæ athletic nebulibus pro indepta victoria de publico tota vita præstabantur ex die quo in suam ciuitatem inuerti fuissent (qua ex *ῥησιδασκὰ* dicuntur) non per portam ciuitatis, sed disiecta parte muri, vt Suetonius scribit in Nerone, & Plinius in epist. & ait l. s. priuata pactiōe. nam iudicis auctoritate creditori condemnato si alia bona non suppetant his præmiorum commodis interdicti potest, l. commodis D. de re iud. At si ea commoda priuata pactiōe obligari non possunt, hoc quidem est consequens vt nec generali obligatiōe contineantur, verum econtrariò quæ omnia generali obligatiōe non continentur, non dicam specialiter obligari non posse. Prætereà liberi homines pignori obligari non possunt eadem ratione qua loca religiosa aut præmia sacra, quia in bonis debitoris non sunt. Sed neque serui aut boues aratores, licet in bonis eius sint, aut vomeres, vel aratra pignori capi priuata pactiōe, aut publica auctoritate possunt à creditoribus vel executoribus aut exactoribus tributorum, propter vtilitatem agriculturæ atque etiam fisci, cui diuitia tributa minuuntur, si ablati aratoribus agricultura cesset, ea maximè tributa quæ pro fructuum anni modo exiguntur, l. 7. & 8. Obseruandum autem est, hunc titulum non tantum esse de his, quæ pignori obligari non possunt, sed etiam de his quæ possunt, de quibus tamen dubitari poterat, vt de nominibus, l. 4. quæ hodie obligari possunt inuitis debitoribus, olim non poterant, l. 3. & l. postquam, supra de hered. vend. Additur

aurin Rubrica, *Et qualiter pignus contrahatur*, quo pertinet l. 2. & vltim.

*XVII. Qui potiores in pignore habeantur.*

**I**N hoc tit. ostenditur, ex duobus aut pluribus creditoribus, quibus diuersis temporibus separatim eadem res in solidum pignori obligata est vel vniuersa bona, quis præferatur in exequendo iure pignoris, hoc potissimum regula constituta, Priorem tempore præferri posteriori, in qua ne vos ambiguitas nominis ducat in terrorem, admonendi sumus, priorem esse eum qui prior data pecunia mutua vel promissa solemnè stipulatione pignus accepit vel pepigit. Exigo vt pecuniam dederit, vel daturum se stipulanti promiserit. nam si neque numerauerit neque promiserit, quamlibet spe futuræ numerationis pignus acceperit vel pepigerit, in eo non est potior illo, cui idem pignus postea obligatum est pro pecunia quam numerauit, quia hic in causa pignoris magis prior esse censetur. nec enim prior æstimatur ex tempore dati pactive pignoris, sed ex tempore habiti contractus & negotij principalis, l. 8. hoc tit. l. i. l. qui balneum. l. potior, in princip. & §. i. D. eod. l. penultim. D. quæ res pign. oblig. At secundum illam regulam, quæ, vt dixi, potissimum in hoc tit. proponitur, differentia est inter actiones personales & hypothecarias. nam in personalibus priuilegia æstimantur ex causa debiti, non ex tempore, l. priuilegia. D. de reb. auct. iud. in hypothecarijs ex tempore. Itaque prioris creditoris hypotheca firmior est, tametsi nihil prior posteriori offerat, l. 5. hoc titulo. posterioris infirmior, quia in id tantum efficax est quo summa pignoris excedit summam prioris sortis. & posteriori creditori non confirmatur in totum, nisi priori soluta omni pecunia debita vel oblata, obligata, deposita à deb. tore ipso vel posteriori creditore. Et regulæ locus est non tantum in pignore conuentionali,

sed etiam in prætorio, si modo ex causis titulisq; diuersis creditores veniant, vel si ex his qui sunt tituli eiusdem vnus in actione personali priuilegiarius sit. nam prætorium pignus sequitur ius personalis actionis. Item regulæ superiori locus est non tantum duobus aut pluribus creditoribus habentibus idem pignus cōventionale vel prætorium, sed etiam vno habente conuentionale, altero prætorium, itemq; vno habente generale pignus, altero speciale, nisi sit posterior specialiter obligata res pecunia eius cōparata. hoc enim casu regula vitatur & alijs plerisque, vt l. 7. pen & vlt.

XVIII. *De his qui in priorum creditorum locum succedunt.*

**H**ic titulus portio est tituli superioris, & quod in illo habuimus posteriores creditores hypothecarios in locum priorum ipso iure succedere offerendo eis & soluendo pecuniam debitam & vsuras, l. 1. 5. 8. 10. idem in hoc proponitur l. 4. & Constitutio cuius fit mentio in l. 1. huius tit. l. 1. tit. superioris. Sed de eo quoque tractatur in hoc titulo, an hi quorum pecunia cum creditores non essent, priores creditores hypothecarij dimittuntur, in locum eorum succedunt. Et ostenditur, non eodem prorsus modo quo posteriores creditores hypothecarios in locum priorum succedere eos qui cum creditores non essent, pecuniam obtulerunt & soluerunt prioribus creditoribus hypothecarijs pro alio, vel vt his solueretur, crediderunt debitori facienti versuram, licet hoc ipso quod soluunt pro alio, vel ei credunt pecuniam soluendi causa incipiant esse creditores ex causa negotiorum gestorum, vel ex causa mutui. nec enim succedat in ius pignoris quod illi habuerunt quos dimiserunt, nisi in soluenda pecunia auctoritate iudicis pignus in eos translatum sit, vel in credenda ea pacti sint, vt in eorum ius & locum succederent. quia tunc in priorum ius locumq; succedunt, non vt posteriores quidem qui offerendo ipso iure succedunt, vt initio dixi, sed ex auctoritate

tate iudicis vel ex conventionē, vt l. i. hoc tit. quæ ait non omnimodò, quia sanè succedunt vt habeant actionem Paulianam, quam illi habuerunt quos sua pecunia dimiserunt, ex eorundem quorum est huius tituli & superioris prima lex, Imperatorum Constitutione l. i. o. §. i. nisi. D. quæ in fr. cred. item vt habeant priuilegium in actionibus personalibus quod illi habuerunt, l. 2. D. de cess. bon. l. si ventri. §. eorum. D. de reb. auct. iud. poss. cõ etiam vt habeant iura hypothecarum, & in ijs priuilegia temporum quæ illi habuerunt, nisi in eos nominatim transcripta sint auctoritate iudicis vel consensu debitoris, vt docet Obs. 18. cap. 40. vnde in l. 2. huius tit. iure successisti, sic interpretor, cessione & translatione pignoris facta auctore iudice vel consensu debitoris, qui utique consensisse intelligitur non tantùm si nominatim conuenierit, vt cuius pecunia creditor dimitteretur, is subiret locum illius, verùm etiam si debitor vendiderit rem pignori obligatam, vt ex pretio creditor dimitteretur, l. 5. quo tamẽ casu inferioribus creditoribus est ius offerendi emptori, l. 3. D. de distr. pign. quia nihil refert debitor rem priori obligatam alij obligauerit, an vendiderit, cum pecunia peruenit ad priorem. nam utroq; casu inferioribus creditoribus ius est offerendi emptori vel creditori nouo qui in prioris locum successit.

*XIX. Si antiquior creditor pignus vendiderit.*

**H**ic etiam tit. est portio XVII. quo ostenditur multũ interessẽ debitor distrahat pignus an antiquior priorq; creditor. nam si antiquior creditor extraneo cede distrahat, id neq; debitor, neque inferior creditor oblata pecunia emptori euincere potest, l. 1. & 2. hoc tit. l. 3. D. de distr. pign. l. 1. infr. si pign. pign. dat. sit. quia scia oblatio & intempẽstua est, & distractio ritẽ facta à creditore potiore, extrema linea pignorum causæ. Dixi, extraneo, nam si secundo creditori pignus distrahat primus, tertio superest ius offerendi secundo, l. 5. §. vltim. & l. 1. §. q. D.

de distr. pig. At si debitor pignus vendat, vel quod idem est, in solutum det antiquiori creditori, vel si vendat extraneo, inferioribus creditoribus integrum est ius offerendæ pecuniæ emptori, l. i. hoc tit. quod iam iamq; dixi titulo superiore.

*XX. Si communis res pignori  
data sit.*

**V**T rei alienæ invito domino pignus non contrahi docuit tit. 15. ita rei communis pro parte collegæ non consentientis nullum pignus contrahi docet hoc tit. quia ea pars aliena res est: & nemo ex socijs plus parte sua alienare aut pignorare potest.

*XXI. De prætório pignore, & vt in actionibus  
etiam debitorum missio prætorij pi-  
gnoris procedat.*

**R**egula proposita titulo XVII. non tantum in eo pignore locum habet, quod ex contractu vel ex pacto formam & originem capit, sed etiam in prætorio pignore, de quo est hic tit. maximè si non sint eiusdem tituli creditores, vt l. 2. & 3. cod. tit. & actio hypothecaria pertinet etiam ad prætorium pignus, ex l. 2. huius tituli, quibus rationibus apparet ab hoc tractatu qui est potissimum de actione hypothecaria, non esse alienam inspectionem de prætorio pignore, licet iam de eo non nihil actum sit superiore libro tit. LXXII. nam prætorium pignus est quod missio in possessionem rerum omnium vel vnius rei debitoris (vt d. l. 2. tit. 17.) quæ fit ex edicto, conciliat atque constituit, prætoris specialiter decernente creditorem cui non soluitur, non respondetur, non cauetur, mitti in possessionem bonorum vt pignus habeat quo sibi seruet creditum. & hoc verbum missionis, quod est in hac Rubrica, & l. 2. demonstrat satis. & l. missio. D. pro emp. Deniq; prætorium pignus est, quod non à debitoribus, sed à prætoribus ex edicto creditori datur & decernitur, vt ei in tuto sit creditum, missio creditore in  
pos-



possessionem bonorum vel quasi possessionem. nam & Iustin. in l. i. constituit prætorium pignus consistere in nominibus posse, prætoris scilicet iubente vt & actiones debitoris creditor pro pignore habeat & persequatur. quod ante Iustinianum non obtinuit, nec enim missus in possessionem omnium bonorum occupabat etiam nomina, nec nisi excussis rebus corporalibus, l. si nullæ. D. vt in poss. leg. At ex Constitutione Iustiniana rectè missio fit statim ab initio etiam in vniuersa nomina debitoris. Quod item constituit l. 2. vt si creditor amiserit possessionem in quam rei seruandæ causa iure prætorio missus erat, etiam persequi & recuperare possit vtili actione hypothecaria, hoc quoque videtur olim non obtinuisse. nã qui mittitur in possessionem, custos apponitur rebus debitoris sui commodi & securitatis causa, & in eo custode diligentia exigitur, quam si non præstiterit, sibi imputare debet qui non seruauit pignus prætorium quod impetrauerat.

*XXII. Si in causa iudicati pignus cap-  
tum sit.*

SEquitur in hoc titulo, aliud genus pignoris ad quod pertinet etiam regula tituli. XV I I. l. si & iure. D. eo dem tituli. & actio quoque hypothecaria, vt opinor. Id verò est pignus quod in causam iudicati ex bonis condemnati capit executor rei iudicatæ. iussu & auctoritate eius qui hoc præcipere potest, id est magistratus qui iudicem dedit, non iudicis dati qui rem iudicauit. Prætorium datur, hoc capitur. prætorium occupat creditor, hoc executor siue apparitor magistratus, l. 2. hoc tituli. l. si plus. D. de euiet. prætorium ex edicto iure ordinario constituitur, hoc extra ordinem, l. si pignora, D. cod. prætorium in rem constituitur, hoc in personam, id est respectu personæ eius secundum quem iudicatum est, d. l. si & iure. prætorium datur etiam aduersus debitorem non iudicatum, hoc verò capitur tantum ex bonis iudicati.

Vtraque tamen via exequi licet iudicatum, vel eo qui vltimo in possessionem bonorū iudicati seruandi causa, l. 2. & 3. tit. 17. vel extra ordinem ablati & publicè distractis pignoribus per apparitorem non per creditorē, & censu mobili primum, deinde immobili, tum nomini bus, ex Constitutione Antonini, qui ordo seruatur in pratorio pignore.

### XXIII. Si pignus pignori datum sit.

**C**reditor pignus pignori obligare potest, quod Græcè est *μετ' ἑχέρας*, & plerunque id agitur vt qui pecuniam creditus est pignus accipiat quo alij dato pecuniam sumat & credat ei qui dare pignus præuortit. pignoris autem secunda obligatio tamdiu durat quamdiu prima. & secundus creditor quamdiu ea durat non tantum retentionem pignoris & actionem hypothecariam habet, sed etiam ius distrahendi sicut primus, nec distraktionē perfectā, integrum debitori est eam rescindere oblata pecunia, l. 1. hoc tit. l. 2. tit. 19. l. 8. suprā de distr. pign.

### XXIV. De partu pignoris & omni causa.

**A**IT *omni causa*, id est omni alia causa præter partum, veluti operis aut mercedibus operarum, quia de seruis tantum pigneratis in hoc titulo agitur. Ceterarum rerum causæ sunt fructus, fœrus primi & secundi, pensiones, quia vi ipsa rebus in esse videntur. Et de operis serui pignerati hoc est proditum l. 2. creditorē si eas perceperit aut percipere potuerit, quia sunt in fructu serui, imputare in vltimas primum, deinde in sortem, vt l. 1. 2. 3. & vltim. suprā de pign. acti. l. 9. suprā de pign. l. 1. infr. de distr. pign. Partum autem non imputat, quia non est in fructu, & tamen sicut fructus fundi pignerati tacitè pignori esse creduntur qui à debitore vel eius herede percipiuntur, l. 3. supr. tit. 14. ita & partus ancillæ qui editi sunt apud debitorem vel heredem eius, l. 1. hoc tit. l. 1. fiduciam

deiuſſor. in ſi. l. Paulus. §. i. D. de pig. Nec obſtat quod Paulus ſcribit 2. Sen. tit. V. quoniam intelligendum eſt de ſœtu vel partu edito ante pignoris obligationem, vel etiam de partu edito poſt pignoris obligationem apud alium quam debitorem vel heredem eius vel creditorem, veluti apud emptorem ancillæ cui eam debitor vendidit ſine conſenſu creditoris, d. l. Paulus, §. i. cui rurfus ſi opponatur l. ſi conuenerit, §. ſi fundus, D. de pign. act. & l. i. D. de Sal. interd. dicam partum ancillæ pigneratæ editum apud emptorem ancillæ, propriè non venire in pignoris obligationem iure taciti pignoris, quia nunquam fuit in bonis debitoris, licèt apud eum cõceptus ſit, ob id ipſum quia non eſt antequam in lucem edatur, ſed tamen in actionem hypothecariam qua creditor perſequitur rem pignori obligatam venire etiam ſœtus eius rei & fructus & partus, vel iure expreſſi pignoris ſi extent vt indicat l. i. §. cum prædium. D. de pig. vel arbitrio iudicis tanquam tacitè obligatos ſi etiam extent & res principalis creditori adimplendo non ſufficiat, l. ſi fundus. §. in vindicatione, in ſin. D. eod. hoc colore, quia licèt in bonis debitoris nunquam fuerint, tamen res ex qua orti ſunt, in bonis debitoris fuit tempore contractæ obligationis, conſumptos autem non venire, d. §. cum prædium. quia conſumptio bonæ fidei emptori abſoluit & conſumat adquiſitionem fructuum vel quaſi fructuum qui nunquam venditoris fuerunt, vt nec iure hypothecæ vel arbitrio iudicis ab eo auocari poſſint & ita ſupradictæ leges quæ opponuntur diſtinctioni l. Paulus. accipiendæ ſunt, vt etiam poſt venditionem ancillæ pignoratæ editus partus veniat in actionem Seruianam vel interdictum Saluianum ſi extet & ancilla non ſufficiat, non directo iure pignoris de quo nihil conuenit, ſed arbitrio iudicis. Omitte diſtinctionem Doctorum, quis ſeuerit fructus, vel apud quem ancilla conceperit, quam iuris auctores omiſerunt.

## XXV. De remissione pignoris.

**E**X hoc titulo intelligimus, pacto nudo vel expresso vel tacito pignoris obligationem perimi non quidem ipso iure, sed per exceptionem pacti vel doli mali, vt l. 2. secundum quam interpretanda etiam est l. maior, sup. de pig. vt ergo nudo pacto pignus cōtrahitur, ita dissoluitur. Et tacitum pactum interuenisse videtur si sciente & tacente creditore seruus pigneratus manumissus & in libertate moratus sit, l. 1. vel si à fisco sub hasta res pignorata vānerit sciente & tacente priorē creditore, l. 8. si ab alio, non sufficit taciturnitas creditorum sed necesse est vt consentiant & pignus remittant, l. 2. & 4. nisi libello publicè proposito admoniti fuerint faciendæ auctioni vt adessent & adfuerint nec contradixerint, l. 6. Semel autem remissum pignus nō restituitur nisi nouo pacto, l. 4. & vltim.

## XXVI. Etiam ob chirographariam pecuniam pignus teneri.

**N**ON tantum remissione pignus perimitur, vt docuit titulo superiore, sed etiam, vt hoc docet, nouata debiti obligatione, vt si creditor quod sibi Titius debet sub pignore certo, animo nouandæ obligationis dari stipuletur à Gaio, non repetito eodem pignore. Repeti potuit consentiente Titio, vel vt ponit Constitutio huius tituli. Gaio dominium eius adepto. Repetito autem eodem pignore, etiam si creditor aduersus Gaium vel intercessorem eius agat personali actione ex stipulatu, eumque condemnet, pignus non perimitur, hoc est nouatione necessaria non perimitur sed voluntaria, quia facta nouatione voluntaria debitor qui pignus dedit liberatur, facta necessaria idem debitor obligatus manet, & mutatur actio non debitor, & hæc differentia inter nouationem necessariam & voluntariam proponitur initio huius Constitutionis, & pars eius quæ est de nouatione

ratione necessaria repetitur in l. 8. suprà de pign. & idem è  
 contrario in l. 8. & 25. infr. de fideiuss. vt si actum s. r hy-  
 pothecaria, non idè reus aut intercessor liberetur. Tum  
 id proponitur quod solum habet Rubrica quasi præct-  
 puum caput Constitutionis, eum qui pignus accepit ex  
 causa certæ pecuniæ creditæ, etiam id retinere posse op-  
 posita exceptione doli ex causa alterius pecuniæ creditæ  
 sine pignore nudo cirographo, quæ chirographaria di-  
 citur, licet eius nomine pignus acceptum non sit. Deni-  
 que ob hypothecariam pecuniam, creditori & retentio-  
 nem competere & persecutionem pignoris, ob chiro-  
 graphariam, retentionem non persecutionem. & solu-  
 ta omni pecunia hypothecaria, debitorem agentem pi-  
 gneraticia actione repelli per exceptionem doli mali ni-  
 si etiam soluat pecuniam chirographariam Debitorem,  
 inquam, nam secundus creditor non repellitur si primo  
 offerat hypothecariam non etiam chirographariam. Sa-  
 tis enim est si ei offerat hypothecariam vt sibi pignus cõ-  
 firmet, & in locum eius subeat, ac cum effectu ab eo pi-  
 gnus vindicet, & hæc est sententia huius Constitutio-  
 nis. Singulari Constitutioni dedit singularem titulum.  
 Namque similis aliã vel Constitutio vel iuris auctoritas  
 vix illa reperitur. Et ratio eius hæc esse videtur, quod  
 improbè faciat debitor qui id tantum æs alienum dissol-  
 uit quod sub pignore debet, quia hoc facere videtur non  
 tam sua spontè & fide bona, quàm coactus vinculo &  
 nexu pignoris quo forsitan indiget, planè hoc ipso de-  
 monstrans se vix vnquam id exoluturum quod sine pi-  
 gnore debet, quæ improba mens meritò coeretur re-  
 tento pignore etiam ob æs alienum chirographarium,  
 tametsi propter id obligatum non sit. Et longè alia est  
 ratio secundi creditoris qui vltro primo creditori offert  
 quod ei ipse non debet, & extranei cuiuslibet qui vltro  
 offert creditori pro alio quod ipse non debet, vt l. muli-  
 er. D. qui pot. in pign. & primi creditoris qui vltro offert  
 secundo Nam & primum secundo offerre, quod Accur-  
 sus notauit in l. 1. suprà eod. verissimum esse probat Pau-

lus 2. Sent. titu. 13. Aliam quoque esse rationem fideiussoris qui soluit quod alius principaliter debet, rectè, vt opinor, sentit Accur. in l. 2. infr. de fideiuss. De l. solutum. §. si in sortem, D. de pig. act. quæ pugnat cum hac Constit. scripsi Obs. 1 15. 19.

### XXVII. De distractione pignorum.

**P**ignus non tantum remissione aut nouatione voluntaria perimitur, sed etiam distractione rectè facta à creditore cui pignus iure obligatum est vel herede eius. Hæc enim cessante solutione est extrema linea & nouissima pignorum meta, adeò vt à creditore iure distractis pignoribus nullus supersit qui directa in rem actione vel quasi Seruiana emptori eas res euincere aut de superfluo pretij tum eo agere possit. A creditore, inquam, nã à debitore facta venditio non perimit pignoris causam, nisi fiat creditore consentiente & remittente pignus. Et à creditore facta ideo perimit, quia pro solutione cedit, quatenus ex pretio creditori satisfit in totum vel ex parte, salua debitori actione de superfluo, & creditori de residuo, nisi aliud specialiter conuenerit, & hoc distat solutio sortis à distractione pignoris. Nam soluta parte sortis pignus nulla ex parte liberatur, quia non omnis fors peruenit ad creditorem, redacta parte sortis ex venditione pignoris, pignus in totum perimitur. Quia omne pretium pignoris peruenit ad creditorem, sed quia non omnis etiam fors, creditori, vt dixi, salua est residui petitio. Ergo distractionis rei pigneratæ quam fecit creditor effectus hic est, vt pignus perimat & ius offerendæ pecuniæ, & eius dõminium optima lege transferat ad emptorem secuta traditione, alioquin ius suum creditor vendit, id est persecucionem pignoris nõ rem. l. pen. D. eod. l. emptori. D. de hered. vel act. vend. In venditione exigitur vt fiat ab eo cui pignus iure obligatum necdum fuitum sit solutione aut veluti solutione vel alio modo, & cui sit ius distrahendi, putà à potiori creditore &

ex pacto vel citra pactum extrina denuntiatione , & ut fiat auctore iudice publicè,solemniter, sub hasta, qua ex re propriè distractio dicitur, quia si plures res oppignera tæ fuerint vel si generalis fuerit hypotheca, plerunque, ut M. Tullius ait in Quintiana, reliquæ vitæ debitoris la cerantur & distrahuntur in personas varias. Itaq; necesse est antequam auctio fiat, eam in celeberrimis locis ciuitatis proscribi atq; proponi, ut cuiq; liberum sit ad eam accedere , & siue ex pacto creditori distrahere non liceat, ante omnia ter denunciari debitori ut pignus reuertat, siue ex pacto, etiam semel absentis. Nam præsens quod publicè proscriptum est ignorare non potest, & quando copia est testium, testato. l. 4. hoc tit. ubi dicere, pro condicere, id est denunciare. Et in omni hoc negotio bona fide versari creditor debet. Sibi rem vel negotium gerere in hoc titulo dupliciter accipitur. In l. 4. pro suum negotiū gerere sui crediti seruandi causa, ut l. pen. D. de pig. act. In l. 10. pro sibi emere: quod neq; per se neque per mediam personam creditor potest, quia à se ipso emeret: ab officiali potest, l. 2. supra si in cau. iud. & à debitore & ab emptore, id est ab eo cui ipse pignus bona fide distraxerit, nō à se ipso. Et si à se ipso, id debitor quandoq; luere potest. Quia ea venditio pignus non perimit.

*XXVIII. Debitorem venditionem pignorum impedire non posse.*

**E**ST etiam hic titulus de distractione pignorum, & docet contra obnuntiationem vel prohibitionem debitore non solventis omnem pecuniam, factam distractionem ratam esse, nec malæ fidei emptorem esse eum qui non ignarus obnuntiationis vel prohibitionis à debitore factæ testamento aut inter viuos, accessit ad eorum emptionem. Testamento, ut si cum prædia quædam oppignerasset, testamento cauerit, ne qua prædia à se, id est extra nomen suū venderentur, adiecta pœna ut quæ venderentur redigerentur in fiscum, ut l. pater. §. fundum.

dam. De leg. 3. & l. 1. hoc tit. Hæc enim prohibitio ius creditoris non lædat, l. filius fa. §. Diui. 2. de leg. 1. Nec rem litigiosam facit, l. 1. infr. de litig. quia nuda prohibitio est nullam habens admistam controuersiam proprietatis vel obligationis, nec ullam fisco aduersus emptorem aut venditorem actionem parat.

XXIX. *Si vendito pignore agatur.*

**E**ST etiam hic titulus de distractione pignorum, & pertinet ad id propriè quod in illo habuimus l. 4. 7. 9. 10. Creditorem in distrahendis pignoribus sinceriter & bona fide debere versari. Ac summa eius hæc est. Aut iure fit venditio pignoris, aut non. Iure fit etiam si fiat dolo malo, puta minore pretio in fraudem debitoris, non dolo dante causam contractui, modò solemnia iuris obseruentur, & is vendat qui ius vendendi habet. Nullo iure fit, si solemnia iuris non obseruentur, vel is vendat cui ius vendendi non est, & hoc casu in arbitrio est debitoris vt vel rem vindicet ab emptore iure ordinario vt dominus, & non reddito igitur pretio, quod nec in rem eius versum videri potest cum id mox emptor à vendito repetiturus sit, l. super empti. infrà de euct. vel vt agat oblato debito in creditorem pigneraticia actione in id quod interest, in quo continetur iustum pretium rei venditæ, l. 2. hoc titul. Quod si iure facta venditio sit, sed dolo malo, puta re addicta minore pretio, creditor debitori offerenti debitum tenetur pigneraticia actione in id quod interest, non emptor, l. 4. & 7. supr. de distr. pign. quamuis & ipse emptor in eo negotio mala fide versatus sit, præterquam vno casu si creditor soluendo non sit, quo in emptorem malæ fidei debitori restituitur actio in rem, rescissa venditione & re eucta emptori cum fructibus, eidemque vicissim reddito pretio cum vsuris, l. 1. & 3. Prius excutitur creditor, ne temerè conuellatur fides hastæ auctionisque publicæ. Et emptori malæ fidei redditur pretium non quod versum sit in rem



rem debitoris, quia nō videtur verſum in rem eius quod cum reddere oportet, ſed quia domino ex iuſta emptione rem debitor auellit per reſtitutionem in integrum, quæ debet eſſe reciproca.

XXX. *De luitione pignoris.*

**H**ic etiam titulus pertinet ad diſtractiones pignori. Nam ex eo intelligimus, non impediri diſtractionem pignorum, niſi debitor luat pignus in ſolidum ſoluta omni pecunia, & idem in l. i. proponitur quod l. 16. ſupr. de diſtr. pigno. quæ ſpecies etiam aptanda eſt ad l. 2. vt iam olim memini me docere in Obſervationibus, quanquam & alijs caſibus non inficier ſummota personali actione durare hypothecariam, vt ſi creditor non merito cauſæ, ſed vitio & culpa ſua principalem litem amiſerit, fortè quia malè inſtituit, vel quia plus petijt, vel quia iudicio non adfuit, vt l. ſi Strichum. §. penul. D. de ſol. l. pen. D. ſi ſeru. vind. l. qui occidit. §. 1. ad leg. Aquil. l. ſeru. quem. D. de pigno Nam in cauſa hypothecariæ nullum ſimile vitium arguitur. Itemque ſi creditor debitori vel contrà heres extiterit, quia confuſio tantum fit perſonarum, & pignora hærent in rebus, non in perſonis. Itemque certis caſibus ſublata actione personali ſilentio tricennij. Quia naturalis obligatio manet. At hic titulus quamuis, vt dixi, poſſit accommodari ad diſtractionem pignorum, tamen eſt potiffimum de luitione eorū, quæ fit ante, non poſt diſtractionem, vel poſt additionem beneficio principis creditori factam intra conſtitutum tempus, monetque eam eſſe indiuiduam: & luere quod verbum eſt XII. tab. pro quo etiã dixerūt reluere, & repignorare, non ſolum eſſe ſoluere pecuniam, ſed etiam obſignare & deponere, vel pignus creditori dare in ſolutum, vel vendere eidem pretio compenſato cum debito & ſuperfluo reſiduove reddito. Et luitioaem parere debitori actionem pignoratitiam, quæ de pignore recuperando proponitur.

**XXXI.** *Si vnus ex pluribus heredibus creditoris vel debitoris partem suam debiti soluerit vel acceperit.*

**Q**uod habuimus titulo superiore, & l. 17. suprà de d. f. a. p. g. no. id etiam hoc titul. proponitur l. 2. nec f. peruacuo, sed vt cum pluribus heredibus debitoris comparentur plures heredes creditoris, & quemadmodum vno ex heredibus debitoris solvente pro portione hereditaria, quod ad partem eius attinet, actio personalis tollitur non etiam hypothecaria, ita ostendatur vno ex heredibus creditoris accipiēte pro portione sua quod quis defuncto debuit pro ea parte extinguī actionē personalem, hypothecariam autem nulla ex parte intercidere. Obligatio personalis diuiditur ex XII. tab. Hypothecaria est indiuidua.

**XXXII.** *Si pignoris conuentionem numeratio secuta non sit.*

**V**T cautioni creditæ pecuniæ, ita cautioni vel dationi pignoris intra biennium obstat exceptionem vel replicationem non numeratæ pecuniæ. Nam & si soluta obligatione personali non semper soluitur hypothecaria, vt duo superiores tituli proximi demonstrarunt, vbi tamen non consistit, sed excluditur personalis exceptione illa, & eadem etiam hypothecaria excluditur, vel replicatione, vt si is qui rem pignori dedit spe futuræ numerationis, quæ frustrà fuerit, eam rem suam esse vindicet ab eo cui dedit, vt l. 1. vel aduersus eū agat pignoratitia, vt l. solutum. § 1. D. de pignor. act. & opponitur hæc exceptio, si non ea res mihi pignori data, necdum pecunia soluta est. Hanc enim exceptionem excludet replicatio doli mali, vel non numeratæ pecuniæ, quæ in reum transferet onus probandæ numerationis. & in l. 1. intentio, id est, exceptio. Quem locum sic doctè

Basilica interpretantur secundum veteres formulas exceptionum, *ὄνκ ἀντίκειται πρῶτα γραφή ἢ λέγασα, ἀλλ' εἰ μὴ δ' ἐστὼ καὶ τὸ γέρος.*

*XXXIII. De iure dominij impetrando.*

**C**Reditor qui pignus iure suo distrahit, de quo conuenit inter eum & debitorem, id sibi addicere non potest, l. 10. supr. de distr. pign. sed decursis præscriptionum & hastarum solemnibus, si non inueniat emptorem, id ei postulanti à principe addici potest, l. eleganter, in pr. D. de pig. act. l. si is qui in aliena. §. vlt. D. de adq. rer. doni. l. debitor. D. ad Treb. quod fit etiam in pignore capto ex causa iudicati, l. vlt. supr. Si in causa iud. & vt opinor, etiam in prætorio. Solus princeps hoc tribuere potest, si specialis fuerit hypotheca, ex generali nunquam addicit omnia bona, sed pro modo debiti, l. 1. Verum qui hoc impetrauit à principe, recessisse ab eo videtur, si postea vsuras creditæ pecuniæ vt solebat pergat à debitorib. exigere, l. 2. nec rursus variare potest, & ad beneficium principis reuerti, quia iam variauit semel, l. penult. D. de leg. com. Post addictum autem dominium, luendo pignori adhuc olim dabatur annus debitori, hodie datur triennium ex Constit. Iustiniani, & ex eadem non addicitur ante biennium post condemnationem, vel denunciationem debitoris, videlicet si de distrahendo pignore nihil conuenerit. Nam quod conuenerit in primis tuendum est, siue quo tempore venire pignus conuenerit, siue quo pretio, qua lege, quo loco, l. 5. D. de pig. act. l. 3. hoc tit.

*XXXIII. De pactis pignorum & lege Commissoria in pignoribus rescindenda.*

**I**N hoc titulo agitur de pactis iustis vel iniustis aliquot, quæ in pignoribus contrahendis fieri solent. Iustum est, si debitor paciscatur vt pecunia ad diē non solu-

soluta pignus cedat creditori. Quo hoc actum l. 1. interpretatur vt id creditor suo iure distrahat, non autem vt habeat emptionis iure, quod tamen iure agi posset, & hoc modo liberaretur debitor, l. 3. supra de luit. pign. qui cessione pignoris non liberatur, l. 1. sup. de pign. Iustum etiam est, si conuenerit vt pignus quod dedi euictionis nomine emptori, cui quis faciebat controuersiam rei quam ei vendideram, re iudicata secundum emptorem mihi restitatur, nec teneatur in omnem euictionis causam, l. 2. At iusta non est lex commissoria, puta si conuenerit vt ad diem pecunia non soluta creditor pignus sibi habeat, quæ fiducia dicitur, quia huic sæpè inest fraus intollerabilis, maximè vt fit, pro ære modico debitore opponente pretiosa monilia, l. 3. & tamen iusta est conuentio, si conuenerit vt quod ex venditione pignoris redigeret creditor, id omne sibi haberet, l. vltim. supra de distract. pignor. propter incertum euentum venditionis, quam rectè sortem hastariam vocat, l. penultim. Cod. Theod. de præd. nauit. sicut e contrario, vt si vel minimum redegerit eo sit contentus in crediti vicem, l. à Diuo. §. si pignora. D. de re iud.

*XXXV. De exceptionibus siue prescriptionibus.*

**P**ROPOSITIS varijs negotijs & actionibus ciuilibus, priusquam dicat de criminalibus, quibus reseruat librū sequentem, dicere instituit de exceptionibus, quibus actiones ciuiles excludi solent, & de generali actione ex stipulatu quæ omnibus alijs subseruire solet, de quæ alijs actionibus ciuilibus, quas superiores libri non habuerunt, vt profligato absolutoque omni tractatu rerum ciuiliū expeditior veniat ad criminales libro sequenti. Exceptio est intentio rei opposita intentioni actoris. Vel, defensio iusta quæ obijcitur actioni. Defensio iuris quæ eludit, elidit, excludit actionem. Actio est telum. Exceptio, clypeum. Exceptio aries quo actio infringitur.

tur M. Tull. in Top. Aries ille subijcitur in vestris actionibus, si telum manu fugit. Qua exceptione actio legis Aquiliæ inefficax constituitur. Et subijci dicitur actioni exceptio, quod vtraque simul atque coniunctim à prætorè detur, quodque actioni vno tenore & contextu addatur exceptio. l. vlt. supr. quib. ex cau. mai. hoc ferè modo, L. Titius iudex esto, Si paret G. Seium L. Titio ex causa crediti C. dare oportere, nisi de non petenda ea pecunia inter se pepigerint C. Seium L. Titio iudex condempna. qua de causa in l. exceptio. D. de except. rectè exceptio definitur esse condicio insita scilicet in actione, vt & replicatio in exceptione, l. 6. hoc tit. & rectè Cornificius. In priuata actione prætoricæ exceptiones sunt, & M. Tullius, is qui agit iudicium purum postulat. Ille qui cum agit, in exceptionem addi ait oportere. Nulla autem est differentia inter exceptionem & præscriptionem. Vtraque appellatio idem potest, & coniunctio, *Sive*, in hac rubrica connexio est vocum idem significantium. Cetera quæ sunt præcipua in Constitutionibus huius tituli, alijs locis exposuimus.

XXXVI. De litigiosis.

**H**ic titulus est de exceptione litigiosi. Et litigiosi appellatione non res tantum continetur mobilis, vel immobilis, de cuius proprietate is qui eam in alium transfert, litem habet cum alio, vt definit Nouell. 112. Sed etiam nomen debitoris, de quo lis est & actio in iudicium deducta, siue chirographum ambiguum, vt loquitur l. 3. Et licet ipso iure teneat venditio, vel pignoratior, vel donatio, vel quæ alia alienatio rei aut cautionis litigiosæ, l. 17. & 18. D. de rei vindic. tamen ad irritum constituitur, & proinde ac si non interuenisset, re eodem loco restituta quo fuit ante, per eosdem lis peragitur, per quos inchoata fuit, l. 2. & vlti. hoc tit. & emptor vel donatarius vel creditor si rem persequatur, repellitur exceptione litigiosi, l. 1. §. 1. D. eodem. l. 1. §. vltim. D. quæ res pig. obl. l. bona. §. 1. D. ad Vell. & hoc indistinctè, si-

ue sciuerit rem esse litigiosam siue ignorauerit, quia debuit esse curiosus quæ res sibi venderetur, nec temerè emere ab improbo venditore, qui in hoc solū rem litigiosam diuendit vt deteriorem faciat condicionem aduersarij sui, opposito fisco vel alio potentiōri aduersario, qua ratione etiam si rem nō litigiosam alienet prospectu litis futuræ, aduersario tenetur in id quod interest, ex edicto de alienatione iud. mut. caus. fact. itemq; si rem litigiosam in sacrum dedicauerit, ex XII. tabul. aduersario tenetur in duplum, l. vltim. D. eod. quia dedicatio vix rescindi & rescari potest, cūm religioni iudices & pontifices fauent. & eadem ratione si seruum litigiosum manumiserit, vt l. 18. D. de rei vin. dicerem eum aduersario teneri in duplum, quia vix poterit manumissio rescindi. libertatibus enim prætores fauent, l. 3. §. r. D. de al. iud. mut. caus. fac. Sed si alio genere rem litigiosam alienauerit, non tenetur aduersario, quia satis aduersario est quod alienatio irrita constituitur, & emptor repellitur exceptione litigiosi. Re autem non litigiosa vendita tametsi prospectu futuri iudicij, emptio non rescinditur, nec emptor vlla exceptione repellitur. Exceptio autem litigiosi locum habet non tantūm si quis ex causa emptionis rem litigiosam acceperit ab eo qui de ea litigabat, sed etsi ex causa donationis, vel permutacionis, vel pignoris, v. usufructus, emphyteuseos, non si cui testamento vel codicillis res litigiosa relicta sit, quia huius alienationis occasio est mors litigatoris, non cupiditas vexandi aduersarij, l. 3. & vlt. hoc tit. Nouel. 112. Non si ex causa transactionis & diuisionis rerum hereditariorum factæ inter coheredes, res litigiosa in alium transferatur, quia, vt ait d. No. inter coheredes facta diuisio nō videtur alienatio esse, cūm ad eos res litigiosa iure hereditario peruenit. & in l. vlt. hæc verba, Traditionis & diuisionis, pro vno eodemque negotio accipio. Nihil etiam pertinet ad exceptionem litigiosa causa dotis vel donationis propter nuptias, l. vltim. quia & occasio huius alienationis est nuptiarum affectio, dum fortè non sup-

petit

petit alia res quæ in dotem detur, non cupiditas vexandi aduersarij. Ex alijs causis qui rem litigiosam accepit sciens vel ignorans, repellitur exceptione si agat, & rem redhibere cogitur. At non tantum est exceptio litigiosi, sed etiam pœna litigiosi quædam, l. 2. D. cod. quia fisco præstat, l. 1. D. de iure fisc. & definitur l. vltim. hoc tit. Exceptio nocet scienti & ignoranti. Pœna scienti tantum, ita vt qui sciens rem litigiosam emit, vel ex donationis aliave causa superius non excepta accepit, pretium quanti emit, præstet fisco, cui etiam tantundem venditor præstat, vel si iam venditor pretium accepit ab emptore, fisco venditor præstat duplum exemplo domus venditæ demoliendi causa, l. vlt. D. de dam. inf. l. Senatus. D. de contrahen. emp. Donator quoque & donatarius qui sciebat rem esse litigiosam fisco conferunt duplum veri pretij. Ignorans autem emptor vel donatarius, vel quis alius qui à litigatore rem accepit, tantum abest emptione rescissâ vt teneatur in pœnam, vt litigator qui in eum rem transfudit in fraudem aduersarij sui, damnatur potius emptori reddere pretium conuentum, aut donatario pretium verum & hoc amplius tertiam partem, fisco autem duas partes, vt ita litigator plectatur in duplum propter improbitatem & reticentiam suam. & ita accipienda est l. vltim.

### XXXVII. De contrahenda & committenda stipulatione.

SEquuntur vincula & remedia iuris, quæ negotijs & obligationibus ciuilibus adminiculari solent. hæc iuris remedia stipulationes sunt legitimæ, l. licet, sup. fam. ere. hæc vincula & catenæ, vt est in Satyra Horatij, stipulationes sunt. Omnes obligationes sunt vincula, sed omnibus longè plurimum valent vinculorum vincula, quæ stipulationes sunt inductæ à iuris peritis adstringendarum & firmandarum aliarum obligationum gratia, tam ciuiliū veluti ex negotijs ciuilibus, quàm natu-

ralium veluti ex pactis conuentis, vnde & nomen traxerunt. Scipulum enim veteres firmum appellauerunt, fortè à stipite descendens, quod non de quolibet stipite accipi debet (nec enim firmi sunt omnes) sed de eo cui argilla vel creta vel cera superimposita figuli simulacra aut vasa quæ fingunt firmare solent. nam & hac in re verbo firmare Festus vtitur. & is est pes Poluci & Hesych. *κᾶν* & *Θ*, Tertulliano crux & patibulum in Apol. cap. 12. & 16. Stipulationes igitur per se non consistunt, sed aliarum obligationum fulmenta & accessiones sunt, vt id de quo prius inter aliquos conuenit mox verbis quoq; stipulationis concludant, l. si dominus. D. de præsc. verb. & quæ ex priori conuentione vel causa non competit actio, competat ex stipulatione, vel vt præter eam quæ ex priori causa competit, competit etiam ex stipulatu, vel vt prior causa mouetur. & ita stipulatio legati soluendi interponitur, vel quod ex testamento peti non possit, l. si fideicommissum. D. de cond. inde. vel vt etiam ex stipulatu peti possit, l. Titius, in fin. D. ad Treb. vel nouandi causa, l. 8. §. 1. D. de nouat. Et placet quod ait Gaius in Instit. Verborum obligationem contrahi ex interrogatione dantis & responsione accipientis. nam verba illa, Dantis & Accipientis, demonstrant stipulationem pendere ex alia causa quæ præcedat stipulationem, vel etiam sequatur, vt si crediturus pecuniam stipuletur sibi reddi quam nondum adnumerauit. Denique stipulationes inuentæ sunt, vt alias conuentiones adstringant, & inde, strictæ dicuntur, vel etiam quod & ipsa strictam interpretationem recipiant, l. quidquid. D. de verb. oblig. l. stipulatus es. D. de fideiuss. Boetius 6. Com. Top. Ciceron. In bonæ fidei iudicijs, inquit, iudices non strictas inter litigantes stipulationes, sed bonam fidem quærunt. Contrahitur autem stipulatio verbis, vt olim directis aut velut directis, hodie quibuscunque.

Committitur cum ex ea agi potest, qua de re l. 5.

& 12.



XXXVIII. *De inutilibus stipulationibus.*

Superior titulus fuit de stipulationibus quæ pro vtilibus semper habitæ sunt, vel quæ inutiles olim fuerunt, hodie sunt vtilis, vt l. 11. & l. vltim. vel quæ & si inutiles sint, non tamen inutilem faciunt obligationem ex qua pendent, vt l. 3. Hic titulus propriè est de inutilibus, id est quæ obligationem non pariunt, vel quæ infirmantur per exceptionem doli aut metus, vt stipulatio dolo aut metu expressa, l. pen. de qua etiam actum est tit. superiore l. 9. sed respectu alterius vtilis, vt & l. 8. de inutili agitur ex aduerso vtilis stipulationis. Hæ autem sunt inutilis stipulationes. quæ in hoc titulo proponuntur. Qua pupillus sine tutoris auctoritate spondit aliquid, l. 1. Qua libertas matrimonium constringitur pœnæ vinculo, l. 2. cuius propositio generalis est, libera, id est nullius pœnæ metu constricta matrimonia esse debere, tam in contrahendo scilicet, vt l. Titio C. §. 1. D. de condit. & demonstr. quam in distrahendo. Species autem subiecta est de distrahendo matrimonio, vt si conuenerit ne liceret viro aut uxori matrimonium distrahere subiecta stipulatione pœnali, Si quis eorum faceret diuortium, quæ conuentionio & stipulatio inutilis est si excedat quantitatem pœnæ legitimæ, quia legibus seueriores esse non possumus, sed contenti esse debemus legum pœnis. quod non tantum in hac specie prodidit l. 19. D. de verbor. oblig. sed & generaliter l. 1. supr. de sent. quæ pro eo quod int. prof. vt planè stulti sint qui à fure nō manifesto quadruplum aut quincuplum nos stipulari concedunt. Item l. 3. docet inutilem eam esse, quæ fit inter absentes, & eadem simul ac l. vltim. eam quæ fit alteri, extraneo scilicet, non si ei qui est in nostra potestate vel quem in potestate habemus, & ita demum si nostra non intersit, non etiam si intersit nostra alteri dari. nam hoc casu stipulatio valet, non vt alter agat qui absuit, sed vt stipulator agere possit in id quod interest, siue subiecerit stipulationem quanti ea res est, vt l. 3. siue omiserit, l. stipulatio ista, §. si stipuler. & seqq.

D. de verbor. obligat. Dico, qui abfuit, vt proponitur in §. 2. huius tituli. & l. 3. tituli superioris. vnde ex diuerso dicendum videtur, alteri præfenti non inutiliter nos stipulari. & verum est ex ea stipulatione alteri esse vtilem actionem, l. si procuratori, D. de verbor. oblig. l. si dictum. §. si præfente, D. de euct. & arg. l. donationes. §. 1. D. de donatio. l. 4. l. D. de mort. cauf. donat. quia ipse præfuitur stipulatus, licet stipulatus non fit, quæ præfumptio de abfente sumi non potest, quia conuenire naturæ præfumptionem iuris oportet. Præfumptione sola contra veritatem etiam fufinetur stipulatio in fpecie l. 1. & l. penul. fuprà tituli. proxim. Lex IIII. huius tituli. est de pactione & stipulatione mutue fuffeSSIONIS fivæ ἀλληλοκληρονομίας, qua constringitur libertas teftamentorum, quæ est etiam inutilis.

*XXXIX. De duobus reis stipulandi & promittendi.*

**D**V O vel plures rei stipulandi funt, qui ab vno vel a pluribus eandem rem vel pecuniam ex vno eodemque contractu fuo nomine finguli in folidum & in partem virilem stipulati funt. vel, apud quos commune stipulati ius est, vt l. si rem. §. vlti. D. de nouat. Duo vel plures rei promittendi, qui eadem rem vel pecuniam ex eadem caufa finguli in folidum & in partem virilem fuo nomine vni vel pluribus stipulantibus promiferunt. In folidum & in partem virilem, vt l. inter eos. D. de fideiuff. quod olim necesse non erat exprimi, fed agi fatis erat, & creditorum fingulorum personas in folidum intueri, l. his verbis. D. de duob. reis. l. cum appareat, D. loca. Hodie exprimi necesse est ex Nouell. XCIX. ex qua electio quæ datur creditori l. 1. & 2. hoc tituli. & l. 3. §. 1. D. cod. l. si diuifa, fup. de loc. tollitur, si id non fuerit expreffum, vel etiam eo expreffo si omnes foluendo & præfentes fuerint, ad exemplum epiftolæ D. Adriani. Et notandum numerationem vni factam omnibus factam vide-

xi, l. 3. hoc tit. l. 5. sup. si cert. pet. sicut ex l. vlti. agnitio debiti ab vno facta, ab omnibus facta videtur, & conuentio siue interpellatio vnus, interpellatio omnium.

*XL. De fideiussoribus & mandatoribus.*

**S**Vperiores tituli fuerunt de his qui quid suo nomine principaliter promittunt. Hic tit. est de his qui pro altero stipulanti vel stipulantibus quid adpromittunt salua manente obligatione rei principalis, hi sunt fideiussores quibus ad fines mandatores sunt. nam & qui promissit fideiubere, satis promisso facit mandando credi pecuniam, vel quid aliud dari fieriue, l. vlt. §. vlti. D. Mand. & vt eleganter ait l. si hereditatem, eod. tit. quicumque contractus tales sunt vt quicumq; eorum nomine fideiussor obligari possit, & mandati obligatio consistit. nec multum refert præsens quis interrogatus fideiubeat, an absens mandet. Sed ex eo loco etiam intelligimus hanc esse differentiam inter fideiussorem & mandatorem, quod non præsens tantum, vt l. 22. §. si curator. eod. titu. sed etiam absens mandet, quia mandatum solo consensu contrahitur. fideiubeat autem præsens duntaxat, quia hoc fit per stipulationem interrogato fideiussore, vt ait d. l. si hereditatem. & l. 3. §. vlt. D. de adm. rer. ad ciuit. per. l. 12. hoc tit. qua ex re etiam olim dicebatur præs. quo nomine respondens interroganti fideiussor significabat se præsentem atque ad eò auctorem credendi esse. Non quicumq; præsens fuit in contrahenda obligatione pro fideiussore habetur, vt l. 6. hoc titu. l. 15. sup. de adm. tut. Sed qui præsens interrogatus est an præs esset, atque respondit præs quo verbo fidem suam satis adstringit. Porro quam ad finis sit fideiussor mandatori ex eo etiam apparet, quod plerunq; mandator est is pro quo fideiussor intercedit, & inter eum & fideiussorem mandati obligatio constituitur, vt l. 14. hoc tit. Et commune in toto hoc titulo ius fideiussoris & mandatoris.

## XLI. De nouationibus &amp; delegationibus.

**H**IC titulus est de stipulationibus interpositis nouandæ & tollendæ prioris obligationis causa. fideiussio stipulatio est quæ accedit priori obligationi, non etiam perimit eam. Nouatio & delegatio perimit priorem obligationem, quam differentiam quibus eæ obligationes distinguuntur, etiam propriæ appellationes demonstrant, cum fideiussio dicitur fieri per adstipulationem & adpromissionem. nouatio & delegatio per exstipulationem & expromissionem. illo enim sermone obligationis additamentum significatur, in hoc exortus nouæ. Nouatio igitur & delegatio per stipulationem fit, & voluntaria est, quia nemo promittit inuitus. Alia est nouatio & delegatio quæ fit per litis contestationem iudicio accepto, de qua propriè hic titulus non est. hæc necessaria est, quia iudicium datur in inuitum, vt si is cui nomen L. Titij vendidi mandatu meo litem contestetur cum L. Titio. vel si creditor litem contestetur cum debitore suo eumque condemnnet, l. 1. hoc titu. l. 11. & 29. D. eodem. l. 2. supr. de oblig. & act. Nouatio voluntaria est stipulationis veteris vel alterius obligatiōis veteris; in nouā stipulationē translatio; atque transfusio. quo genere, vt dixi, vetus obligatio ipso iure perimitur, l. si vnus. §. pactus. D. de pact. l. 2. & 3. in fin. hoc titul. Delegatio autem est mandatum in stipulationem nouandæ & transferendæ prioris obligationis, quod fit exempli gratia creditore iubente debitorem suum id quod sibi debet creditori suo promittere vel alij cui donatum velit, vnde inter delegatum & delegatorem nascitur actio mandati, l. 12. D. eodem. Perficitur autem delegatio secuta nouatione, hoc est nouandi causa delegato promittente ei cui delegatus est, siue debitor delegatus sit siue non debitor. nam & non debitor delegatus ex stipulatu conueniri & exigi potest, l. 5. & quod ait l. 11. D. eodem. delegationem per stipulationem fieri, hoc est perfici atque compleri, nam

origo

origo & causa delegationis est mandatum, executio & exitus stipulatio nouandi causa interposita. & hæc est delegatio debitoris, de qua hic titul. Alia est delegatio siue mandatum & cessio actionis, vt cum aliquem procuratorem facio in rem suam, vel meam vt agat cum alio in eo nomine. l. 11. in fin. infr. de donat. Alia est mandatum non vt agat quis, sed vt alij promittat, delegatio debitoris. & inter hanc & illam delegationem, id est inter hæc duo mandatorum genera multum interest. nam vt supra attigi delegatio actionis fit inuito debitore, delegatio debitoris non item, l. 1. & 6. Delegatione actionis non tollitur obligatio vel actio quæ deleganti competit. Delegatione debitoris tollitur. l. 3. Delegatio debitoris nouatione legitimè perfecta non potest reuocari à mandatore, etiam si is cui delegatus est debitor eum nõdum exegerit aut nolit exigere. Delegatio siue cessio actionis potest reuocari re integra, id est si is cui delegata est actio litem contestatus non sit. vel si nihil exegerit, vel si non denuntiauerit debitori vt solueret, d. l. 3. Item is cui quis specialiter delegauit actionem in rem suam, non in rem delegati, inuito mandatore non potest nouare vel alio modo soluere obligationem. l. 4. Is cui delegatus est debitor & promissit, cõtra. Est & aliud genus delegationis, si non mando vt quis agat in iudicio vel vt stipulanti promittat, sed vt soluat alij quod mihi debet. qui multum distat ab eo qui delegatus est vt promittat. nam hic si promittat nouatur obligatio, ille verò si promittat non nouatur, l. 22. D. eodem. Ad hæc sciendum est, nouationem voluntariam quatuor modis fieri, & primo quidẽ delegatione, ceteris præcedente delegatione. Primò igitur mutata causa vel statu prioris obligationis, non mutata persona debitoris vel creditoris, vt si de te stipuler nouandi causa quod mihi debes ex crediti vel ex legati causa, vel si quod mihi debes ex stipulatu, idem rursus si de te stipuler, quod, quemadmodum ritè fiat, l. vltim. exponit, & latius Obseruat. XIX. cap. 37. Secundo autem modo nouatio fit mutata persona creditoris, vt si quod

tibi debeo, alij non creditori tuo promittam. quod fit si tu me delegaueris vt id alij promitterem. Tertio modo fit mutata persona debitoris, vt si quod tibi debeo stipuleris ab alio, non debitore meo, vltro suscipiente nomen meum. quod etiam fit si ego alium non debitorem meum tibi delegaui qui tibi promitteret quod debeo. Et vltimo fit mutata persona vtriusq; , quod etiam fit remedio delegationis, si debitorem meum tibi creditori meo delegaui qui tibi promitteret quod debeo. nam & tu mutas debitorem, & ille mutat creditorem.

### XLII. De solutionibus & liberationibus.

**N**ouationi & delegationi, quæ per stipulationem tollit priorem obligationem, vt dictum est titulo superiore, inde rapta occasione adiungit alias rationes, siue modos quibus & citra stipulationem tollitur obligatio, mox rediturus ad stipulationes. Et summa quidem ratio tollendæ obligationis est solutio, id est præstatio eius quod debetur, vel alterius rei æstimatæ volenti creditori facta vel ei qui exigēdi potestatem habet à debitore, vel ab alio nomine debitoris. Ex solutione liberatio sequitur, vt ex contractu obligatio. Solutio est causa, liberatio effectus, Solutio facti, liberatio iuris. solutio species tollendæ obligationis, liberatio genus. Nam & alijs quàm solutione modis plerisque liberatio contingit, ipso iure vel per exceptionem, veluti nouatione, pacto, transactione, donatione, compensatione, capitis deminutione debitoris, acceptilatione, obsignatione pecuniæ, confusione, venditione pignoris, apocha, interitu rei sine culpa debitoris, quos ego modos veluti in quendam aceruum contraxi, quia nimis magna esset mora in singulis si aceruum diruere vellem. Et quod dicitur in l. solutionis. D. cod. coniuncta l. liberationis, D. de verb. signi. idem vtroque nomine significati, non pertinet ad hunc titulum. sed ad titulum de re iudicata, quod à iudicato exigitur vt soluat, l. + §. soluisse, D. cod. vbi solvendi verbum eandem vim habet quàm liberandi.

XLIII. *De acceptilationibus.*

**R**edit ad stipulationes. nam acceptilatione ea tantum obligatio tollitur, quæ ex stipulatione nascitur. Aliæ obligationes quæ re vel consensu vel literis contrahuntur, non possunt tolli acceptilatione, nisi prius nouatiõe facta transferantur in stipulationem Aquilianam, cuius formulam condidit Gallus Aquilius, l. 2. & 3. hoc titulo. l. 13. sup. tit. proximo, l. 4. 15. 32. 40. supra de transactionibus. quia acceptilatio verbis fit, & verbis tolli id tantum potest, quod verbis contractum est.

XLIV. *De euictionibus.*

**H**ic titulus est de stipulatione qua plerunq̄ue venditor emptori cauet pro euictione, id est in casum quo genere vindicationis in iudicio emptor rem quam accepit ex causa emptionis vel æstimationem eius amittat, & eam eirem habere non liceat, his ferè verbis stipulante emptore, vt formulam componam, Eum hominem quem de te emi & accepi, mihi per te heredemq̄ue tuum & per omnes habere rectè licere, & si is homo quo de agitur parsve eius à me petita erit, vel si eum hominem partemve eius ego ab alio petiero, tum de ea re agenda adesse cum tibi heredive tuo denuntiauerò, & eam rem rectè defendere, & si is homo parsve eius mihi per iudicem euicta erit, vel si eum hominem ego à possessore per iudicem euincere non potuerim, tum duplam mihi rectè præstari, hæc sponde sine? Plerunq̄ue euictionis nomine stipulatur emptor duplam non quantum res est in veritate, sed quanti emit, vt Accursius docet rectè in l. 2. D. eodem. & nonnunquam plus & minus si ita pacti sint, l. si dictum, l. si plus. D. eodem. nec enim huic rei modum finemve vllum vlla lex imposuit. Porrò ex formulâ stipulationis apparet eam committi, id est obligationem euictionis contrahi non tantum si alio agente in rem aduersus emptorem iudex emptorem

prorem condemneturque compellat rem restituere actori vel æstimationem, sed & si agente emptore in rem aduersus possessorem iudex possessorem absoluat, l. 9. hoc titu. l. euicta. §. 1. D. eod. l. qui absentem, D. de procu. Euictionis enim nomine significatur in iudicio in rem efficax & plena victoria eius qui agit aduersus emptorem, vel cum quo agit emptor. Efficax inquam, & plena, id est quæ ad emolumentum perducatur re abducta vel ablata vel possessione retenta. Plus enim est euincere quàm vincere. nec quod vicerit aduersarius, emptor regressum habet ad venditorem nisi etiam peruicerit, hoc est euicerit, l. habere. D. eodem. Omissa autem stipulatione euictionis, bonæ fidei vel etiam malæ fidei si ita pactus sit emptori aduersus venditorem superest actio ex empto, l. 6. quæ modo dicitur competere in simplicem, & id quod interest, id est ad pretium recipiendum & utilitatem omnem, l. 6. & 70. D. eodem. l. Titius. §. vltim. D. de act. empt. modo in id quod interest, vt l. 9. 17. 21. 25. 29. hoc titu. quod tamen ita debet intelligi, vt in eo quod interest insit pretium rei quod emptor venditori adnumerauit, modo in id quod interest, non in pretium quod adnumerauit, vt l. 23. hoc titu. quod etiam ita intelligi debet, non insit pretium tantum, sed in id omne quod interest, quod plerumque prerium egreditur, l. 1. in princip. D. de actio empt. modo deficiente stipulatione duplæ, quod valdè videtur pugnare cum superioribus legibus, dicitur ex empto agi in duplum, vt l. 2. D. eodem. & apud Paulum 2. Sentent. tantò damnari venditorem, quantò si stipulatione pro euictione cauisset, quo pertinet etiam l. quod si nolet. §. quia adfidua. D. de ædil. edict. quia etsi nõ de stipulatione ea loquatur quæ de euictione interponitur, sed de ea quæ interponitur de sanitate & noxa hominis venditi, & cæteris quæ ædilitio edicto continentur, qua ex causa etiam duplam promitti constat, ex l. 11. §. vltim. & l. quia dicitur, D. eodem. & ex Theophilo, in titu. de diuis. stipul. tamen ratio eius. §. quia adfidua, etiam ad stipulationem de euictione accommoda-



ri potest, vt scilicet quia frequens est pro euictione duplæ stipulatio, idcirco ex empto agi possit in duplam, deficiente stipulatione duplæ, vt ea quæ sunt moris & consuetudinis veniant in bonæ fidei iudicium, in quo etiam proditum est tantundem valere officium iudicis quantum stipulationem, l. quia tantundem, D. de nego. gest. Sed omnes ij loci quibus dicitur si duplam venditor non cauerit, re euicta ex empto duplo tenus agi posse, sic accipiendi sunt si cum dictum vel actum esset vt dupla promitteretur emptori, dupla ei promissa non fuerit, vel si per errorem omissa fuerit stipulatio duplæ vt l. emptori. §. vltim. l. si dictum. D. cod. & hoc est quod ait l. 2. eodem. si dupla non promitteretur, putà stipulatione omissa per errorem, vel eo tantum pacto vt de dupla venditor teneretur, & eo nomine ageretur actione scilicet ex empto quod res euicta sit, vel quod dupla promissa non sit, dupli condemnandum esse venditorem, scilicet re euicta præstat duplam, vel nondum re euicta vt promittat duplam. Sed si de dupla non sit actum, nec per errorem sed consulto consilio omissa stipulatio duplæ, certum est de euictione esse ex empto actionem in simplam, & in id quod interest, d. l. 60. quod interdum minoris est quàm dupla, & si quando plaris est, non tamen in condemnatione excedit duplam, maximè si venditor dolo careat, l. cum fortè. & l. sequent. D. de actio. empt. Non est omitendum de euictione stipulationem plurimum, vt dixi, interponi in duplam, sed & aliquando in simplam, vt l. hoc iure. D. de euictio. In duplam, si homo vel prædium, vel quæ alia res pretiosa vaneat, l. emptori. §. 1. D. eod. In simplam, si ita pacti sint, vel si vaneant friuola, vnde venditiones aliæ duplariæ, aliæ simplariæ dictæ sunt. Et aliquando in id quod interest, vt l. 22. hoc tit. l. 102. D. de verbor. obliga. sicut de sanitate & noxa stipulatio quam ante dixi concipi in duplam, nonnunquam concipitur in id quod interest, l. 16. §. si seruus. D. eod. Ex his igitur apparet, de euictione emptori præcipuè duas actiones esse, Vnam ex empto, non in-

terposita stipulatione nisi nominatim actum sit ne venditor euictionem præstaret, l. 21. hoc titulo, quo tamen casu sciens rem alienam esse nihilominus ex empto tenetur in id quod interest, ignorans verò in hoc tantum vt pretium reddat, l. ex empto. §. vltim. D. de actio. empt. Alteram ex stipulatione duplæ, quæ vsitator est. Hæc verò est auctoritas venditionis, vt re iure iudicioque euicta emptori, emptor per hanc vel illam actionem regressum habeat ad auctorem suum, id est, venditorem, & emptori venditor auctoritatis nomine teneatur. Alioquin sine ista auctoritate nulla emptio venditio est. M. Tull. XIII. Epistol. Si ea prædia diuidentur quæ ipse Cæsar vendidit, quæ tandem in eius venditionibus esse poterit auctoritas? qua tamen in re rectè monet l. 6. D. eod. putà si quærat an pro euictione caueri oporteat, vel in quantum aut quomodo, consuetudinem eius regionis & ciuitatis seu populi, in quo emptio venditio contrahitur spectandam esse. Ergò & legem eius, vt in populo Iudaico ex lege Moïsi venditis prædijs vrbis pro euictione venditor emptori obligatur, non etiã venditis prædijs rusticis, quia & ipse venditor quandoque prædiar rustica redimere & euincere potest in pretij rationem imputatis fructibus ab emptore medio tempore perceptis, & anno quoq; Iobel, vel vt Græci dicunt anno ἀφίσεως, ea prædia iure suo recipit, & euictiõis vel auctoritatis nomine eum non teneri illa verba LXX. demonstrant *Leuit. XXV. ἢ γὰρ οὐ προθήσειτ' εἰς βεβαίωσιν.* Nã βεβαίωσις nomine significatur auctoritas & euictionis causa, & βεβήλωσις quod alij habent, non potest sustineri. Ex consuetudine igitur siue lege regionis in qua negotium contrahitur, vel ex conuentione contrahentium venditor non omnium rerum quas vendit auctoritatem siue euictionem præstat, ideoque non omnium est auctor, non omnis venditor auctor. Nam & mancipio datarum, olim non erat auctor, sed mancipio non datarum tantum, vt Varro scribit II. de re rusti. c. de pastoribus. quia soli domini ex iure Quiritum mā-

et ipso dare poterant, tradere etiam non domini, verum qui quid mancipabant, præstabant satis secundum mancipium, de qua satisfactio M. Tullius initio V. ad Atticum, nisi lege venditionis dictum esset ne satisficerent, ut Varro V. de Ling. Latin. scribi coeptum ait in lege mancipiorum in vadem ne posceret nec dabitur. At qui traditione, vel mancipatione & traditione, ut apud Paulum 2. titul. 17. (Nam ex duæ species nonnunquam coniunguntur, ut l. 7. Cod. Theodof. de donationib.) non mancipatione sola rem venditam transferunt in emptorem, hodie non satisfaciunt de euictione nisi aliud nominatim actum sit, sed repromittunt tantum duplam vel simplicem pretij non veri sed eius quod acceperunt. Nec enim de euictione vlla actio est, nisi pretio aut pretij parte soluta & merce per traditionem translata in emptorem, ac postea iure iudicioque euicta.

*XLV. Creditorem euictionem pignoris non debere.*

**M**ultæ quæstiones superiore titulo definitæ sunt, an venditor hereditatis, an donator, an apparitor iudicis teneatur de euictione, & quibus casibus venditor rerum non teneatur, & quid veniat in actionem ex empto pro euictione. & alæ quædam, præter quas hæc adhuc supererat, an creditor qui pignus vendidit, teneatur de euictione, cui hictit, proprie dicatus est. In ea ita distingui solet, ut vendidit iure communi, aut iure creditoris. Si iure communi, id est, si cauit de euictione, ut solent venditores, proculdubio tenetur de euictione, quam si præstitit, debitor tanquam non liberatus, quod patefecit euictio, creditori tenetur actione creditæ pecuniæ vel contraria pignoratitia, propterea quod apparuit eum rem alienam pignori obligasse, per quam, si duplam cauit & præstitit, consequenter duplam, si modo aliter tanti quanti vendidit pignus vendere non potuit, quam

quàm promissa dupla, vel debiti quantitatem tantum, si etiam non promissa dupla alij tanto pignus vendere potuit, quia culpæ suæ & imprudentiæ adscribere debet quod duplam promisit, & præter debiti quantitatem si debitum vsurarium fuit vsuras mediij temporis, licet pretio fructus videatur medio tempore, id est, à die venditionis rei pignoratæ in diem euictionis, quia effectu & re ipsa non potest intelligi pretio fructus esse, qui altero tanto amplius emptori præstitit euictionis domine. Quod si cauit & præstitit simplam, per eandem actionem consequetur tantum debiti quantitatem, non interusurarium, quia hoc casu verissimum est eum medio tempore pretio fructum esse, l. si pignore. §. vltim. & l. seq. D. de pig. act. & hæc si iure communi vendidit. Si iure creditoris & pignoris lege, id est, non promissa euictione, non tenetur de euictione, nec ad pretium restituendum (nisi dolo malo sciens rem esse alienam, vel sibi non obligatam eam vendidit, l. 2. hoc tit. l. ex empto. §. sententiam D. de act. empt. quo casu nec regressus ei est ad contrariam pignoratitiam, l. tutor. §. penultim. D. de pigno. act.) sed debitor ipse eo nomine re euicta emptori tenetur utili actione ex empto quasi ipse vendidisse videatur, qui venditionem permisit creditori, ne alioquin cum damno emptoris sibi liberationem adquirat. re autem non euicta domino rei ratam facienti venditionem tenetur pretij nomine quo liberatus est, utili negotio gestorum, l. rescriptum. §. 1. D. de distr. pign. Quantum ergo attinet ad creditorem, debitor liberatus est & fideiussor eius siue mandator, d. l. rescriptum, l. si mandato Titij. §. creditor. D. manda. quia creditor ex pretio pignoris debitum consecutus est, nec emptori ex empto tenetur de euictione, sed in hoc tantum, in quo nihil dispendij facit, ut ei cedat contrariam pignoratitiam aduersus debitorem, l. in creditore. D. cod. si quidem eam sibi malit emptor cedi, eaque directò agere potius quàm utili ex empto, & ideò cedere eam cogitur creditor, quia, ut dixi, sine vlllo suo dispendio hoc est facturus qui iam suum cōsecutus est

est, & nihilominus tamen intelligitur habere eam actionem, id est, contrariam pignoratitiam, vt eam postulat cedat emptori, non vt ea ipse agat, quia debito percepto nihil eius aliud interest, nisi vt eam habeat quā postulanti cedere possit, l. cū is. D. de fideiuss. l. heredem. D. mand. Ad hæc notandum est, ad eò verum esse quod dicitur eum qui auctor laudari & de euictione conueniri potest, si emptori faciat controuersiam, repelli exceptione doli mali, l. 11. 13. 14. supr. tit. prox. cui locus est etiā in specie l. 25. & l. vlt. vt patet ex l. Seia. D. eod. & l. 3. suprā de reb. alien. non alie. vt & venditor repellatur qui de euictione non tenetur, vtputat creditor qui vendidit pignus iure pignoris, licet non teneatur de euictione, tamē ex alia causa facere controuersiam emptori & rem euincere non potest, ne mutet factum suum, ideoque si creditor qui pignus vendidit lege pignoris, postea successerit in ius & nomen alterius creditoris, cui eadem res obligata est, non potest facere controuersiam emptori ex persona defuncti creditoris, non tantum si ipse qui pignus vendidit in eo pignore fuit antiquior & potior, sed etiam si fuit inferior & infirmior, defunctus potior priuilegio temporis, quia & si inferior fuerit is qui pignus vendidit, tamen se potiozem esse præstare debet, l. 1. hoc tit. l. & si is. D. de distr. pign.

*XLVI. De patria potestate.*

**S**uperioribus libris & titulis hoc semper egit Conditor Codicis iam inde à parte ferè media libri tertij, vt varias actiones proponeret in rem & in personam, quæ de proprietate vel de possessione, vel de iure pignoris, vel de statu hominum in iudicio ciuilitè instituuntur, & varias exceptiones, quæ his actionibus subijci solent, quæ & ipsæ quasi quædam actiones sunt, ac deinde generalem actionem ex stipulatu, quæ etiam omnibus actionibus subijcitur. Nullum enim ferè negotium geritur, cui non contrahentes subijciant stipulationem quam ob eam rem appello *καυδέντην*, Et his quidē om-

ñibus peractis atque præstitis, quia supr. lib. VII. tractans de statu personarum, de eo tantum præiudicio eavē tantum præiudiciali actione egit qua queritur, an aliquis liber, an libertus sit, illud verò præiudicium omisit quo queritur, an aliquis filius fami. sit. idèò nunc de eo vt tractet dat hūc titulum, & statim l. 1. agit de præiudicio quo quis in sua potestate filium esse adserit, vt l. 1. §. per hanc. D. de rei vind. ait liberos qui sunt in nostra potestate à nobis pcti præiudicijs, quę in rem quidem non sunt actiões sed esse videntur, §. præiudiciales. Insti. de actio. id est veluti proprietatis causam continent, nempe cum ago seruum meum aut libertum meum aut filium meum esse, sicut interdictum de liberis exhibendis, quo etiam petuntur liberi qui sunt in potestate nostra, dicitur quasi proprietatis causam continere, l. 2. §. quædam. D. de interd. Est enim patria potestas quasi proprietas, quam patres iure civili habent in liberos suos iustè procreatos. Est etiam l. pen. huius titu. de præiudicio de partu agnoscendo, de qua satis scripsi in extremo XIX. Obseru.

### XLVII. De adoptionibus.

**H**IC titu. est etiam de patria potestate, quia non tantū beneficio naturæ & procreationis ex iustis nuptijs, sed etiam beneficio adoptionis patria potestas acquiritur. Adoptio est imago naturæ, & ciuilis ratio quærendorum liberorum qui in nostra potestate sint perinde atque liberi procreati ex iustis nuptijs. Vel, actus legitimus quo quis patrem fam. vel filium fam. non contradicentem auctore patre sibi adserit in locum filij vel nepotis naturalis & legitimi. Actus legitimus, Theophilo, *ὁ μὲν πρῶτος* initio eiusdem titu. quo sermone hodie soñibus adoptionis sublatis nec relata adoptione in l. actus. D. de reg. iur. intelligam ciuilem rationem, & ita accepisse Theophilum patet ex eo quod scripsit in §. adoptiui, de exh. lib. Iure antiquo intelligerem actum solemnem, ex l. 4. hoc titu. & l. 5. supr. de suis & leg. lib. siue legis actio-

actionem quæ peragatur solemniter vel per magistratum trina mancipatione & bina manumissione adoptando filiofa. & vna mancipatione sine manumissione adoptandis ceteris liberis, l. vlt. vel per populum adoptando patrisf. curiatis comitijs & adhibitis pontificibus Romæ tantum. illa commune nomen fecit suum, hæc adrogatio dicitur, hac paterfam. illa filiof. adoptatur. Hæc fit auctore seipso, illa auctore patre, hæc Romæ, illa etiam in prouincijs. & illo loco Auli Gellij, Neque pupillus, neque mulier quæ in parentis potestate est, adrogari possunt, vna negatio deest, quia nec mas qui in parentis potestate est, adrogari potest. Verum hodie omnes ex solemnitates obsoleuerunt, & in adoptione actus publica sufficiunt, in adrogatione rescriptum principis. Duo verò sunt casus, quibus adoptione patria potestas non acquiritur, Si mulier aliquem adroget. quia à patre cui soli competit hæc potestas, assumit appellationem, qua & auita & proauita continetur, non materna, quæ nulla fuit vnquam. Deniq; filium mulier habere potest, non filiumfam. Item si pater naturalis filium extraneum in adoprionem det, quem casum Iustinianus introduxit l. pen. de qua scribam alio loco. Digna certè est & egeus commentario aliquo amplo atque dilucido.

*XLVIII. De emancipationibus liberorum.*

**H**ic titulus est etiam de patria potestate non acquirenda quidem, sed resoluenda. Resoluitur certis modis lege finitis. Casu, vt ait l. 3. id est, morte patris vel deportatione, & iure antiquo si filius flamen Dialis inauguratur, aut filia virgo Vestalis capiatur, auctore Vlpian. libr. Reg. titul. 10. & iure nouo si filius augeatur dignitatibus quibusdam, Nouell. 81. non monachismo, vt Doctores volunt sine lege, qua deficiente rectè dicam integram esse patri vindicationem filij, qui inconsultò patre deuouit se monasterio. Nam & monachismus capitis diminutio non est. Resoluitur etiam datione in adoptionem

si parenti detur, & emancipatione, de qua propriè est hic titulus. Et his quidem duobus posterioribus modis maximè iure legitimo filius capite minuitur, quia per venditionem imaginariam deducitur in feruilem causam, superioribus capite non minuitur. Emancipationis siue mancipationis nomine (vtrunque nomen idem potest) si nudam & simplicem nominis proprietatem spectas, significatur venditio imaginaria quæ in iure fit solemniter per æs & libram, certis verbis, libripende & quinque testibus præsentibus, non adnumerato pretio, sed adpêso vno nummo sestertio assium quatuor, quod etiam ob discrimen alterius nummi in mancipatione exprimi solebat, l. vlt. infrà de donat. Aliud est pretio emere, aliud nummo vno, l. si quis ante. D. de acqu. poss. At si non proprietatem nominis, sed rei exitum & finem spectes, emancipationis nomine significatur, vel quæ per eam fit alienatio rerum mancipi, vel testamentum quod per æs & libram appellatur, vel datio in adoptionem, vel, vt in hoc titulo, resolutio patriæ potestatis. Et emancipatio quidem, per quam res mancipi alienantur, vel testamentum fit per æs & libram prisco more vna est, itemq; ea qua præter filium cæteri liberi in adoptionem dantur vna emancipatio est, quam nec sequitur manumissio vlla, qua verò soluuntur patria potestate, vna mancipatio, & vna manumissio. At qua filius in adoptionem datur iure legitimo trina est mancipatio, & bina manumissio, qua verò soluitur patria potestate, trina mancipatio, & trina manumissio, præterquam & in manumittendo liberos potestate parentum liberandos circumduci, circummagi, circumuerti in orbem, vt acta ista vertigine liberi abeant quo velint, & pulsari rapismate, hoc est, expalmari ostendit, l. vltim. & Nouell. 81. & hæc est legitima emancipatio ex XII. tab. Alia est ex Constitutione Anastasij, si quis ea vti malit, quæ detrahit illis solemnitatibus fit ex rescripto principis ad preces patris edito & insinuato iudici competenti, l. penul. vt adrogatio hodie fit ex rescripto principis ad preces



adrogatoris edito & insinuato iudici, l. 2. supr. tit. prox. Et hæc nudum nomen emancipationis retinet, re ipsa submota quam denotat, id est venditione imaginaria, & nomine emancipationis relato ad emolumentum & effectum rei. Alia est ex Constitutione Iustin. quæ etiam nudum nomen retinet & fit apud iudicem competentē sine rescripto, l. vltim. Omnes fiunt inter volentes, vnde voluntariæ iurisdictioni nomen, nisi si qua sit iusta causa inuiti emancipandi, & hoc solo casu causa probata, §. cum autem. Instit. de adopt. l. 3. & 4. hoc tit. & donato plerunque patrimonio filio emancipato quo vitam tolleret suam, l. 2. & vltim. hoc tit. l. vltim. C. Theod. de reuoc. don. l. 8. infr. de bon. profc. & vicissim patri dato præmio emancipationis Constitutionibus definito, & secundo genere etiam absens emancipatur, primo & tertio præsens tantum.

*XLIX. De ingratis liberis.*

Quantum sit beneficium emancipationis hic titulus ostendit, quo patri datur actio ingrati aduersus filium quem emancipauit, per quam rescissa emancipatione in eius potestatem redit, si ingratus sit, quod non est si non reddat aut si neget vel dissimulet se beneficium accepisse, sed si patrem contumelijs adficiat, si pulset, si verberet. & ait Constitutio huius tituli, leges emancipatione rescissa damno libertatis immeritæ multari voluerunt. Leges cum dicimus per eminentiam XII. tab. dicimus. Itaque legem Regiam significari arbitror, cuius verba hæc sunt: **SI PARENTES PVER VERBERIT AST OLOE PLORASSINT, PVER DIVIS PARENTVM SACER ESTO. SI NVRVS SACRA DIVIS PARENTVM ESTO.** Nam filium aut nurum, sacrum aut sacram Diuis parentum fieri, quid aliud est quam in sacra quibus soluti sunt & parentum potestatem reuerti, vt ab eis impunè occidi possint, videlicet si impias manus intulerint, illi autem im-

plorauerint ius publicum : id quæ lex statuit in filio æquè & vxore eius, id est nuru, quæ in manu filij est, quæ semper sequitur familiam in qua filius est. Fuisse autem eam legem translata in XII. tabul. vt & ceteras leges regias de patria potestate, non est dubium. Item ait Constitutio, emancipatione rescissa. Aliàs emancipatio rescinditur post mortem patris à prætore. data bonor. possessione contra tabul. filio emancipato præterito, l. sed cum patrono, D. de bono. poss. l. 3. §. si emancipatus. D. de bonor. poss. contr. tab. l. si aliquis, C. Theod. de bon. posses. Alias viuo patre. Hæc filio fraudi est, illa vsui. Regula est, emancipatos liberos in patriam potestatem inuitos non reuertit, l. vltim. D. de his qui sunt sui vel alien. iur. Sed excipitur causa ingratitude, sicut regulariter inuiti non emancipantur, sed excipitur iusta causa, ex qua si quis inuitus emancipatus sit, posset dici ob causam ingratitude non posse eum redigi in potestatem, quia nemo inuitus intelligitur accepisse beneficium, & regulam iuris, Inuito beneficium non datur, sic accipi, vt nolenti accipere neque detur si non accipiat, neque si accipiat, quia, vt Seneca ait, non accipere, sed parere videtur: & nemo accipiendo obligatur quod illi repudiare non licuit. Sed in aliam sententiam me vocat pietas paterna, & ingrati definitio supra relata.

*L. De postliminio & redemptis ab hostibus.*

**P**ertinet etiam hic titulus ad causam patriæ potestatis. Nam in eo intelligimus patrem, ab hostibus captum desinere habere filios in potestate, postliminio vero reuersum tam filios quam omnia sua in potestatem recipere, quia fingitur retrò in ciuitate fuisse, id est nunquam ab hostibus captus fuisse, & hæc est quæ dicitur fictio postliminij. Alia est fictio legis Cornelie, qua captiuus defunctus apud hostes eo momento, fingitur defunctus in ciuitate quo captus est, ac proinde in ipso articulo

Io captiuitatis filius morte eius intelligitur sui iuris effectus. Intelligimus etiam in hoc tit. filium captum ab hostibus desinere esse in potestate patris, sed reuersum iure postliminij reuerti in eiusdem potestatem, l. 10. & 12. ibi mortuum, ex lege Cornelia pro eo haberi ac si mortuus fuisset cum caperetur. Itaque captiuitas patris aut filij non in plenum resoluit patriam potestatem, quando pater uiuit, propter suspenſi iuris Constitutionem, id est propter spem postliminij, l. penultim. D. de suis & leg. hered. cuius ratione & respectu, ut opinor, in edicto ex quibus caus. mai. seruitus separatur ab hostium potestate, quia captiuitas non est plena aut certa seruitus. Postliminium est Constitutio iuris gentium, quæ suspendit omnia iura captiui, non abruptit, l. illa institutio. §. 1. D. de hered. instit. & plenius l. postliminium. D. de capt. & postlim. ius amissæ rei recipiendæ ab extraneo & in statum pristinum restituendæ, inter nos ac liberos populos regesque moribus, legibus constitutum. Moribus, id est iure gentium, ut l. 8. D. de rit. nup. legibus, id est iure ciuili. Et ab extraneo, quia non tantum cum hostibus, sed etiam cum extraneis non hostibus postliminium est, l. 5. §. in pace, D. eodem. non cum scæderatis & liberis licet extranei sint, l. 7. cod. quod tamen Aelius Gallus non probat apud Festum, & quemadmodum explicandum sit, docui Obseruat. XI. vnde & hoc repetam sic esse legendum illo loco Festi, quo ex Aelio Gallo scribit de postliminio. Equi & muli & nauis eadem ratio est postliminio recipiendi, quæ serui, & cætera explicanda ut docui eodem loco. In supradicta definitione, inter nos ac liberos populos regesque, ut Aelius Gallus, Reciperatio est cum inter populos & Reges nationesque & ciuitates peregrinas, conuenit quomodo per reciperatores reddantur res recipianturque. Illud animaduertendum, tria genera captiuorum tresue casus potissimum in hoc titulo proponi, Eorum qui ab hostibus redeunt in patriam non commercio redempti, sed vel vltro dimissi ab hostibus, vel fuga elapsi, vel virtute militum recuperati.

perati: & hi illicò omnia iura pristina iure postliminij recipiunt, quæ modo integra manserunt, ad ea verò quæ interim amiserunt in integrum restituntur, itemque hi qui ex eis apud hostes concepti & editi sunt. Et eorum qui apud hostes moriuntur, ad quos pertinet lex Cornelia, de qua l. 1. & 9 lata contra fiscum. Et eorum quos eiusdem ciuitatis ciuis suo ære redimit ab hostibus, qui non fiunt redemptoris serui, vt si eos extraneus à domini redemisset, sed reuera liberi fiunt. Verùm reuersi non illicò postliminium habent, quoniam non ante pro liberis habentur quàm pretium sui soluerint redemptori, aut ei quinquennio seruerint. denique plenæ libertati statim non restituntur. nec tamen interim eos esse seruos redemptoris, argumentum est, quòd filij ex eis post redemptionem suscepti non eodem quo ipsi vinculo redemptori tenentur, l. 8. & quod in sua potestate habent quando desinant redemptori addicti siue obligati esse soluto pretio, quod etiam inuito soluunt, sicut qui libet debitor creditori per iudicem, l. 6. aut deponunt & obsequant, & quod manumissi à redemptore vel liberati soluto aut remisso pretio, inter libertinos non sunt, l. 2. 11. 13. Videbatur redemptori non deberi pretium, non magis quàm victus aut vestitus alij, quod & communi humanitate & misericordia hæc captiuo præstentur, quæ ratio certè præualet in matre, l. 17. Sed non in extraneis, in quibus potior est communis & publicæ utilitatis ratio, vt ait l. 6. & vltim. ne non data repetitione pretij tardiores fiant homines ad maiora humanitatis officia redimendosque captiuos.

*LI. De infantibus expositis, liberis & seruis, & de ijs qui sanguinolentos emptos vel nutriendos acceperunt.*

**H**I C titulus pertinet etiam ad causam patriæ potestatis, quam amittit qui filium à partu recentem projicit

cit inhumaniter & quodammodo ad mortem exponit, quod Græcis est  $\chi\upsilon\tau\ \rho\acute{\iota}\zeta\epsilon\iota\upsilon$ , & eadem ratione dominus serui dominium, & generaliter nemo præiudicio suum esse rectè vindicat quem pereuntem contempsit, l. 2. hoc tit. ad quam in Cod. Theod. additur, Si modo testes episcopalis subscriptio fuerit subsecuta, id est vt Anianus interpretatur, si contestationi de collectione eius episcopus & clerici subscripserint. quam obrem eam legem significari opinor Vasensis concilij c. 9. his verbis, vt secundum statuta pijsissimorum Augustorum quisquis expositum colligit, ecclesiæ contestetur. At, vt cœpi dicere, vt que est in l. 7. Cod. Theod. expos. nulla est differentia inter dominum & patrem qui sciens volensque seruum à partu recentem aut filium exponit. nam & cum prima pars huius tituli, in qua *liberis*, id est filijs iungat filios seruis, consequens est & dominis iungendos esse patres, & in vtrisque idem ius constituendum. Nec obstabit l. patrem. supr. de nup. si propria ei & congrua reddatur species, putà non impietate adductum sed egestate & fame compulsus patrem, filiam quam tueri non poterat exposuisse alienæ misericordiæ, vt l. 2. supr. de patr. qui fil. dist. quo casu equum non est patrem suum ius amittere, & arbitrium collocandæ filiæ, qui necessitati succubuit, quam vim ne Dij quidem superant. Sed si educatore desiderante puellam quæ suis sumptibus creuit filio suo collocari, pater renuat, tum ab eo vt ingrato educator alimentorum sumptum repetet, quem non repeteret si pater libens filiam filio educatoris in manum conuentione nuptui collocaret, quia eo genere filia trāsiret in familiarum educatoris. alioquin educatori semper competit alimentorum repetitio, & alia est ratio victus aut vestitus dati in transitu, ab hostibus pergenti ad suos, qui sumptus exiguus est, l. vlt. supr. tit. prox. & hæc de prima parte huius tit. Secunda est *de ijs qui sanguinolentos*, & cæ. nec tamē alij sunt infantes in prima, alij sanguinolenti in secunda, sed in vtraque recentes à partu, rubentes à matre, vel vt l. 3. pueri paruuli, atque ita infantium nomine nō sig-

nificatur integra prima ætas quæ vsque ad septennium perducitur, sed primæ cunæ, quibus qui eijciuntur propriè exponi dicuntur, grandiores non exponi, sed pro derelicto haberi, non *ἐκτετατοι* sed *ἀπογοιστοί*. Expositi seruuli liberi fiunt. Habiti pro derelicto liberi non fiunt, nisi tædio medendi neglecti sint. At prima pars huius tituli est de his qui sanguinolentos exponunt, secunda de his qui accipiunt, de quibus l.3. abrogato iure veteri definit, vt non possint expositorum ingenuorum vel seruorum paruulorum dominium sibi vel patronatum vindicare vel patriam potestatem, siue legitimè emptos acceperint siue nutriendos sustulerint, & primam partem l.3. accipio de his qui emptos, secundam de his qui nutriendos acceperunt. nam cum in antiquis libris, & in C. Th. secundam partem huius tituli ita conscripta sit. *Et de his qui sanguinolentos emptos vel nutriendos acceperunt.* necesse est vt de emptis aliquo loco agatur, & his nullus apparet qui accommodari possit præterquam in prima parte, ac præterea secunda quæ est de his qui nutriendos sustulerunt euidenter scripta, argumentum præbet primam esse de his qui emptos acceperunt. Expositos autem lex definit esse liberos & ingenuos. licet serui nati sint, nec vindicari posse ab eo qui exposuit, nec ab eo qui emit vel sustulit, nec ex pietatis officio lucrum faciat, nec alimentorum nomine, vt l.2. supr. de ing. man. & in epist. quadam Traiani ad Plinium, quorum tamen repetitio ei non denegabitur. & alius tantum casus est, quo vindicatio non aufertur patri vel domino vel patrono, si non ipsi sed alius citra ipsorum voluntatem paruulos exposuerit.

### LII. *Quæ sit longa consuetudo.*

**R**Eferendus est hic titulus ad l. vlti. tit. 48. qui propius abest, in qua dicitur apud eum magistratum filios emancipari posse, cui lex vel longa consuetudo legis actionem dedit & eiusdem tituli etiam l.1. de consuetudine accipitur. quam ob causam, vt opinor, in hoc titulo definitur

finitur non quid sit longa consuetudo, sed quæ sit, id est quam vim & efficientiã habeat. Quid tamen sit si quæras, dicam ius esse non scriptum quod vsus populi frequens & inueteratus communi adfensione comprobauit. & rursus si quæras, quot annorum vsus consuetudinem faciat, non dicam decennij vt glossæ, quæ hoc solo argumento ducuntur quod dicatur consuetudo longa & diuturna, quasi scilicet his verbis non significantur etiam XXX. vel XL. anni, vt l. 2. & 3. sup. de præscrip. 30. an. l. 1. C. Theod. de act. cer. tem. fin. sed huius rei certam definitionem non esse, huius rei decennium finem non esse, quandoquidem plurimorum annorum obseruationem requirit, l. sed ea quæ. D. de legib. & Aristoteles 2. Polit. τὸ χρόνος πλῆθος, antiquam & tenacem ad probationem. l. 3. hoc tit. vsus longæuum, l. 2. inueteratum populi consensum, l. de quibus, D. de legib. consuetudinem semper obseruatam, l. sine heredē. §. penul. D. de admin. tut. quibus verbis sanè significatur spatium decennio amplius, & tempus incertum infinitumque, quod sensim sine sensu labitur quoad morem fecerit & habitum in animis ciuium, cuius quidem habitus comparandi ratio vt non finitur certo tempore, ita nec in populo ex longa consuetudine, inducendi inferendique moris ratio certo tempore finiri potest. Consuetudo morem facit, vel, vt Aristoteles ait u. ad Eudemum, τὸ ἥθος ἐκ τοῦ ἔθους ἔχει τὴν ἐπίδοσιν. Sed his nominibus plerunquæ utimur promiscuè, & Varro semper consuetudinem accipit pro eo quod morem diximus creatum ex consuetudine, vt cum ait morem esse communem consensum omnium simul habitantium, qui inueteratus consuetudinem faciat. & alio loco dum ait, morem esse in iudicio animi, quem sequi debeat consuetudo. Vires autem longæ consuetudinis eæ sunt, vt si non vincat legē quam ratio commendat, quæ nulla aut parua ratione cōstat, aut quæ nondum penitus inoleuit, nondum consensu omnium recepta, inueterata, stabilita, iudicio comprobata est, vt l. pen. sup. de legib. l. quod non ratione. D. cod. l. 2. hoc

l.2. hoc titul. ea tamen quam ratio suavit, ut ait l.1. ratio quædam maior & publica utilitas & longum tempus tacito & illiterato omnium consensu & rerum iudicatarum firmavit auctoritas, sanè abrogat legem cuius ratio vel cessavit vel minor est, vel minus confert Reipub. quia & deficere videtur lex tanquam obliterata, suprâ quam usus iuvaluit, & deficiente lege consuetudo sola dominatur, & legis vim obtinet, l.3. hoc titul. l. diuturna. D. de legib. l. vltim. suprâ de testamen. §. sine scripto. Institut. de iur. nat. Gregorius Nazianzenus I I. Theolo. τὸ ἔθος χρὸς ἀβιβαίωσθαι ἐν νόμοις καὶ νόμοις, Lex autem iacet & silet interim quoad restituatur, ut Traianus apud Plinium restituit legem Pompeiam, contra quam longa consuetudo usurpata erat. Sed & nulla lex aliter nos tenet quàm si & consuetudine recepta sit, l. de quib. D. de legib. Aristot. 2. Polit. ὁ νόμος ἰχθῶν οὐδέ μιν αὖ ἔχει πρός τὸ πεπενημένον πρὸς τὸ ἔθος. Et cum de interpretatione legis quæritur, optima interpretis est consuetudo, l. si de interpretatione, D. de legib. Dionysius 7. πάντες ἀφισβήτησαν δὲ δικαίως κριτηρίον εἶναι τὸ θεῖον κριτήριον ὁ χρὸς.

### LIII. De donationibus.

**T**itul. superior ad titul. XLVIII. hic verò ad XLIX. referendus est, quo data est actio ingrati aduersus emancipatum, cui nunc additur etiam ingrati actionem aduersus donatarium titul. L V. prius instituit generaliter tractare de donationibus, & hanc horum titulorum connexionem confirmat Codex Theodosij, in quo tit. de reuoc. donat. subijcitur statim titu. de ingratis liber. Donatio autem Aristoteli 4. Topicorum, est πρὸς ἀνθρώπου; datio ita profecta ab aliquo ut nullo casu reuocetur. Datio est genus, quo continetur etiam dos, & donatio propter nuptias, & manumissio, & mutuum, & permu.



permutatio, & legarum aut fideicommissum, aut donatio mortis causa, & donatio vera, absoluta, directa, de qua in hoc tit. agitur, quæ irreuocabilis est, illæ donationes repeti & reuocari possunt, & si quæ donationes dicuntur non sunt veræ & absolutæ donationes, vt ait l. Senatus. § 1. D. de mor. cau. dona. sed mortis causa factæ, aut reuocabiles donationes. Perficitur autem iure antiquo donatio stipulatione vel traditione. & traditione non tantum vera, sed etiam fictitia, veluti traditione instrumenti auctoritatis, l. 1. hoc tit. vel retentione vsusfructus, l. 28. & 35. §. sed si quidem. vel conductione rei donatæ. l. quædam. D. de rei vind. & alijs modis, vt docui Obserua. 19. cap. 18. Perficitur etiam legis actione, vt significat l. 25. hoc tit. veluti cessione in iure, l. 1. C. Hermog. eod. tit. item mancipatione, l. 4. C. Theod. cod. vel vtraque interueniente mancipatione & traditione, l. 7. eod. quod] & l. vlt. huius tit. demonstrat, dum ait, in donatione hæc vsu verba fuisse recepta, *Dono tibi rem illam, vel addico scilicet tertio nummo vno assium quatuor*; nam quis non videt ea originem ducere à mancipatione, quæ olim fiebat per imaginariam venditionem nummo vno siue asse Caiano. & ita Suetonius in Othone, *Totum agrum redemit, emancipauitque. quod Tacitus eadem de re scribens, dono dedit.* Perficiebatur ergò donatio per emancipationem, quod vtiq; verum est inter extraneos. Inter liberos autem & parentes, ex Constitutione D. Pij, nuda voluntate, d. l. 4. & hodie quoque inter omnes ex Constitutione Iustiniani perficitur nuda voluntate, consummatur traditione. Nec idem est in ea, vt fuit olim, perfectio & consummatio. Rerum autem incorporalium veluti nominum siue obligationum donatio perficitur cessis actionibus, l. 11. hoc tit. Ac præterea ad perficiendam donationem nec saria est insinuatio, si excedat modum legitimum, exceptis casibus certis, & acceptio donatarij.

LIIII. *De donationibus quæ sub modo vel conditione, vel ex certo tempore conficiuntur.*

**D**ONATIO sub modo ita fit, *Dono tibi fundum illum ut me alas, l. 1.* Donatio sub conditione ita, *Dono tibi fundum illum, si à patre emancipatus fueris, l. 5.* Modus contrahit, *Conditio suspendit.* Donatio autem ex certo tempore ita fit, *Dono tibi fundum illum eo pacto, eaq; lege, ut proprietas eius sudi ad me redeat post quinquennium, vel ut redeat ad L. Titium, ut l. 3. si ut redeat ad L. Titium, tibi dono ad tempus, L. Titio ex tempore, ideoque finito tempore quinquennij, licet Titio veteri & stricto iure qui sibi reddi stipulatus non est, non competit actio, datur tamen utilis ex Constitutione Diuorum Fratrum, eadem scilicet quæ donatori competeret, putà præscriptis verbis vel conditio ob rem dati, d. l. 3. & arg. l. pen. supr. ad exhib. Ergò in hac Rub. *Ex certo tempore*, sic accipio, vel ad certum tempus, & subaudio, aut ex incerto tempore, vel ad incertum tempus, veluti ut post mortem donatarij proprietas redeat ad donatorem l. 2. hoc tit. l. Scia. D. de mort. causa donat. Condiciones, pactiones, leges donationibus imponuntur à donatore solo, & à donatario recipiuntur si placeant, vel reijciuntur si displiceant, l. 25. supr. tit. prox. & imponuntur initio perficiundæ donationis, non post perfectam donationem. nec quidquam attinet donatarij postea impositas recipere vel reijcere, l. 4. At initio si donationi dicta sit lex & impositus modus aliquis & receptus à donatario, non impleto, donatori competit conditio ob rem dati, l. 2. 6. 8. supr. de cond. ob cau. l. vlt. titu. seq. vel præscriptis verbis, l. 9. & 22. supr. tit. prox. non vindicatio rei donate, nisi in casu. l. 1. admodum singulari propter causam alimentorum, quem & singularem & specialem esse satis demonstrant ter inculcata illa verba, in hoc casu. Deniq; singulares sunt species l. 1. & 3.*

*LV. De reuocandis donationibus.*

**I**N hoc titulo proponitur actio ingrati, cuius respectu institutus est hic tractatus de donationibus, ut scilicet actioni ingrati per quam beneficium emancipationis rescinditur, de qua actum est paulo prius titu. de ing. lib. adiungeretur alia actio ingrati, per quam iure perfecta donatio rescinditur. & rescinditur ex certis tantum ingratitude causis iudici ad probatis, l. penu. & vlti. Superiori titu. vna causa proposita est conditionis non impletæ, quæ etiam inculcatur l. vlti. huius tit. ob quam donatori competit conditio ob rem dati re non secuta. Hoc titulo proponitur alia, nempe ingratitude, ob quam donatori datur actio ingrati personalis. l. 7. & perpetua, l. 1. quæ tamen heredi & in heredem non datur, l. 1. 7. vltim. quia magis vindictæ persecutionem habet, & in l. 7. vindicationis, id est vindictæ. Et datur cuilibet donatori, non tamen matri propudiosæ vel iterum nubenti, l. 7. nisi ex grauissimis & compertissimis causis ingratitude, notatis in Nou. de nup. Et per eam reuocantur quæ habet ingratus, non quæ alienauit, d. l. 7. Porro huic causæ additur etiam alia in l. 8. Si orbo qui donauit omnia bona vel partem bonorum, postea adnascantur liberi, de qua Obs. 20.

*LVI. De mortis causa donationibus.*

**S**uperiores tituli sunt de donatione inter viuos, quæ si iure perfecta sit, pœnitentia nullo modo reuocari potest, l. 2. 3. 4. 6. supr. titu. prox. Hic titulus de donatione causa mortis, quæ pœnitentia reuocari potest, l. qui mortis causa. D. eo, sicut donatio ob causam, l. 3. §. 1. l. si pecuniam. D. de condi. cau. da. & donatio precaria, l. 1. & 2. de prec. Reuocatur etiam donatio causa mortis per fidei cõmissum, l. 1. & finito periculo cuius metu facta donatio est. & morte donatarij quæ modo viuo donatore cõtingat. l. non omnis. D. de reb. cred. Est aut datio veluti fiduciaria,

ciaria, quæ confertur in casum mortis donatoris, nec ante perfecta esse intelligitur quàm ea contigerit. Insinuatione non eget, sed testibus quinque tanquàm vltima voluntas, l. 4. cum tamen donatio inter viuos quibus casibus non requirit insinuationem, scripto contenta sit à donatore subscripto, nec requirat vlllos testes, l. in donationibus, suprà de donat. De Constitutionibus huius tit, scripsi in eadem Obseruatione.

*LVII. De infirmendis pœnis cœlibatus, & orbitatis, & decimarijs sub-*  
*latis.*

**P**Otest etiam rectè hic titulus referri ad mortis causa donationes, quæ si conferantur in eum quem lex Iulia & Papia prohibet capere, velut cœlibem aut orbem, ex S. C. in eadem causa sunt quæ legata ei relicta essent, l. Senatus. D. de mor. caus. don. quod congruit omninò cum fin. ti. superioris, quo generaliter constituitur mortis causa donationes legatorum instar obtinere. Et vt ex Vlpian. intelligere licet, libr. Reg. titul. 16. 17. 22. & Sozomeno l. cap. 9. prohibuit lex Iulia & Papia cœlibem quidquam capere ex aliorum testamentis, nisi post mortem testatoris intra C. dies matrimonium contraheret, præterquàm ex testamentis cognatorum, vt opinor, vsque ad sextum gradum, ad quem vsque etiam qui inter se contrahunt matrimonium ex eadem lege solidi capacitatem habent, & prætor ab intestato detulit bono. possessionem. Orbem autem liberis lex voluit eorum quæ sibi testamento relinquerentur non capere plus quàm semissem, altero semisse multari, cœlibem asse, & semissem assemve fisco cedere. Maior est cœlibatus quàm orbitatis pœna. quia matrimonium contrahere in potestate nostra est, liberos suscipere non est in nobis, sed in maiestatis prouidentia. & eodem Vlpia. auctore, in orbo masculino lex definiuit ætatē 25. an. in fœmina 20. vt qui ea ætate esset sine liberis, relictorū semisse multaretur. Vnde cum Sozomenus scribat in cœlibe masculino eam legem

legem definisse ætatem 25. qua cœlebs qui esset ius capiendi non haberet, præsumo fœminæ etiam cœlibi fuisse præscriptam ætatem 20. ann. Ea enim lex tam fœminas coercerat, quàm mares cœlibes & orbos, vt & Dio scribit 54. eam legem graues pœnas irrogasse, *τοῖς π & γὰ μοις καὶ τοῖς ἀνάδροις*. & ita esse argumentū præstat l. 1. huius tit. quæ his pœnis liberat ytrumq; sexum, de quibus est intelligenda l. si is qui heres. D. de vulga. subst. & in orbo pœnenda species l. 42. D. de lega. 2. l. cogi. §. hi qui solidum, D. ad Treb. & similibus. De his pœnis proculdubiò Vlp. tractauerat eo lib. titul. de cœlibe, orbo & solitario patre, vbi solitariū patrem vocat, qui vnicū & solum filium habet, *μὲνον τῆ λύγετον, ἢ γιμοῖα-χόμ*, vt Aquila loquitur, qui orbitatis quidem pœnam non sustinebat, sed fortè leuiorem, aut certè tanta præmia non habebat, quanta pater plurium liberorū. Mittam loca ex Iuuenale, Tacito, Panegyrico Maximiano & Constantino dicto, Ambrosio, Tertulliano, quæ in hanc rem proferre possem, & Tertulliani vnum tantūm locum satis obscurum explicare conabor, quo ait Seuerum Imp. leges Papias exclusisse, quæ ante liberos suscipi cogebant, quàm Iuliæ matrimonium contrahi. Quæ verò ætate lex Papia liberos exigit, eadem lex Iulia matrimonium contrahi voluit. Fieri autem non potest, vt simul vno tempore existāt liberi & nuptiæ, sed prius nuptias contrahere oportet matrem iutra 25. fœminā intra 20. deinde liberos suscipere, cui rei à contractis nuptijs fortè Seuerus præstituit tempus, cuius mentionem facit Vlp. tit. 16. putā annum & sex menses, hoc est, bis nouem menses. quia nouem mensibus plerunq; partus absolvitur, non sustulit autē Seuerus pœnam cœlibatus & orbitatis. His erat locus etiā solutis primis nuptijs aduersus viros qui nō properabant ad secundas, fœminis à morte viri & à diuortio licebat esse vacantibus certo tēpore lege Iulia & Papia definito, vt idem Vlp. scribit tit. 14. At hodie Constit. Constantini cæ pœnæ sublatae sunt, gene

raliter omnibus hac in re data vacatione legis Iuliæ & Papiæ, l. 1. Verùm in Cod. Theod. vbi hæc lex plenior extat. Constantinus profitetur se non tollere quod iisdem legibus cautum erat, ne vir & vxor inter se solidum capere possent, vt inter eos reprimeretur mutuus nimiusque fauor, l. vlt. C. Theod. de leg. here. quem coniugum expriment blanditiæ, quas plerumque nec rigor legis Iuliæ & Papiæ cohibere potest, lege illusa per tacita fide commissa. Dixi, solidum, nam vt Vlpian. scribit tit. de decimis, ex lege Papiæ vir & vxor inter se in honorem matrimonij decimam bonorum capere possunt, cuius rei exemplum suppeditat l. qui vxori. D. de aur. & arg. leg. Et quæ leges Digestorum mentionem faciunt eius qui ex vnus testamento solidum capere non potest, ex alterius potest, vt l. 6. D. de vulg. substi. his, de marito vel vxore exemplum apponi potest. At præter decimam matrimonij nomine, si ex alio matrimonio liberos superstites habebant, quot liberos habebant, tot decimas capere poterant. Item communis filius post nouum diem amissus vnâ decimam, duo post nouum diem, id est, post Nominalia amissi duas decimas adiiciunt. Defuncti autem ante nominis assumptionem, pro non susceptis habentur. & ex ea quidem re Thalilaus in l. 1. supr. vnde vir & vx. legem Papiam decimarum cognominauit, cuius vacationem quam ante Constantinus dederat nauicularijs Orientis, l. 7. C. Th. de nauicul. Honorius & Theodosius l. 2. dant generaliter omnibus, sublatis legibus decimarijs, & data coniugibus inter se licentia, si relinquatur capiendi assis.

### LVIII. De iure liberorum.

Quam aptè cohæreat hic titulus superiori, ex eo apparet, quod l. 1. sit portio l. vlt. tit. superioris, vt probant inscriptiones & subscriptiones, & quod ex lege Papiæ, de qua in d. l. vlti. olim vir & vxor inter se solidum capere poterant, si vnum filium superstitem habebant, vel si eum puberem amississent, quoniam satis erat eum edu-

educasse vsque ad pubertatem, & cætera quæ Vlpia. exc. quitur tit. 16. Item solidum inter se capere poterant, qui neque haberent, neque amisissent liberos, si oblati precibus ius liberorum à principe impetrassent, tot scilicet liberorum quot sufficiunt obtinendæ capacitati assis. & hæc impetratio etiam dabat matribus ius succedendi filio ab intestato ex S. C. Tertylliano, l. 7. C. Th. de leg. her. l. 8. C. Th. de bo. profc. l. 9. C. Th. de infr. his qui sub tyr. & No. Valentiniani de testam. At l. 1. ius liberorum concedit vtrò & generaliter omnibus etiam non petentibus. vt solidi capaces sint coniuges inter se, & l. 2. vt matres succedant filio ex S. C. Tertylliano.

## CODICIS IVSTINIANI LIBER IX.

### TIT. I. *Qui accusare non possunt.*



OST ciuiles actiones dantur criminales, quæ propriè accusationes dicuntur. Vt vero lib. 6. supr. & Digestorum 28. prius egit de his qui testamenta facere nõ possunt, quàm de testamētis ipsis, ita hoc libro primum agit de his qui accusare non possunt, deinde de accusationibus, qui non est quidem ille ordo docendi, secundum quem prius de re quàm de circumstantiis dicendum est, sed est ordo respondendi de iure & in foro extendorum iudiciorũ, vt prius quærat de personis, quàm de regulis & solemnitatibus iuris, l. 4. D. qui testam. fac. poss. l. quidã. D. de iu. cod. Et hos verò in hoc tit. ostenditur accusare non posse, primum qui in reatu sunt, quia neque alium quenquam nisi suam vel suorum iniuriam persequantur, neque accusatorem suum eo crimine cuius relatione neque releuantur ipsi, neque onerant & pœnæ subijciunt accusatorem suũ accusare pos-

sunt. Item alio quàm pupilli, vel adolescentis nomine neminem accusare possit; sed suo tantùm de professo & comminus. Item accusare eum non posse, qui nō edidit libellum inscriptionis, quod est accusatori periculum calumniæ, vt iudici libellus, ex quo sententiam recitat periculum famæ & existimationis. Item qui post inscriptionem non satisdedit se perseueraturum in crimine vsque ad sententiam. Inscriptionem & delationem accusatione & litis contestatione & vocatione in ius esse priorem? Mulierem quoque & militem accusare non posse, nisi suam suorumve iniuriam persequatur, quo casu mulier ex S. C. sine inscriptione admittitur propter fragilitatem temeritatemque naturæ, miles non nisi cum inscriptione. Item qui ab accusatione desistit, & alium ferè quemcunque infamem accusare non posse, nisi suam suorumve iniuriam persequatur, familiares, libertos, seruos dominū suum criminaliter accusare non posse, nec si suam iniuriam persequantur. Eum qui duos reos delatos habet, tertium deferre & accusare non posse, nisi propriæ iniuriæ causa Fratrem à fratre grauiori crimine accusari non posse, nisi alter alterius vitæ fecisse dicatur infidias.

## II. De accusationibus & inscriptionibus.

**A** Personis transit ad rem ipsam, id est, ad accusationes & inscriptiones. Inscriptiones, quæ & delationes, denunciationes, querelæ, testationes accusationum præcedunt, accusationes sequuntur. Quod ratio exigendæ inscriptionis demonstrat in l. 5. C. Th. eod. in qua supremam actionem, accusationem vocat, & l. 3. tit. 1. l. penult. hoc tit. l. 7. D. eod. l. 2. infr. vt intra cert. temp. At in hoc titul. prius dantur leges de accusationibus, quàm de inscriptionibus. Nam de inscriptionibus sunt l. 13. l. penultim. & vltim. & de eis quoque est nonnihil in l. 8. vt vel ex libello fiant, vel apud acta deponantur. Ceteræ sunt  
de



de accusacionibus publicorum iudiciorum, itemque extraordinariorum, vt de termino moto, cuius criminis executio extraordinaria est, l. 1. & de vendito & emproeuentu sententiæ, l. 10. vel sunt de notorijs & relationibus apparitorum præsidis prouinciæ vel aliarum publicarum personarum, quæ & si accusaciones non fiat propriè, nec exigant apparitoris inscriptionem, tamen accusacionibus proximæ sunt, quia non minus subit periculum calumniæ qui ex eis denuntiat crimina quam qui defert ex inscriptionibus, l. 7. 8. 14.

III. *De exhibendis vel transmittendu Reis.*

POST inscriptionem delatoris sequitur vt iudicio reus exhibeatur, quo accusari & lis cum eo contestari possit. Quamobrem si peregrè comprehensus sit, præmissio libello inscriptionis, ad suum forum cum delatore transmittendus est, vt ibi exhibeatur & accusetur. Priorem esse inscriptionem exhibitione, ostendit l. 2. huius tituli. Exhibitionem autem accusacione solemnè & litis contestatione esse priorem, argumentum est quod absens non accusatur, & quod ad exhibendum cum domino agit qui seruum accusaturus est, l. 2. supr. ad exhib. Non fit autem exhibitio rei sine speciali præcepto iudicis, l. 3. hoc tituli. quoniam apparitoris hac in re solius nulla potestas est. Denique exhibendus est reus, quem iudex sifiti, produci, exhiberi iubet commotus certis iudicijs, l. 17. infr. ad leg. Cornel. de fal. transmittendus, quem ad se transmitti iubet missio plerumque aliquo ex officio suo ad deducendum & exhibendum eum, vt l. 2. vel literis ad collegam scriptis, vt in l. solent. D. de custod. reor. dicitur præsidis prouinciarum in quibus delictum commissum est solere scribere ad collegas suos (omnes præsidis prouinciarum inuicem collegæ sunt) vbi rei agere dicuntur, & desiderare vt ad se reos transmittant cum prosecutoribus vel cum prosecutione idonea, vt ait l. 7.

sup. de def. ciu. Vtrò etiam præsidēs nonnunquam reos remittunt ad proprium forum, veluti ad præsidem alterius prouinciæ in qua crimen admiserunt, l. si cui. §. vlti. D. de accusa. vel vnde ij homines sunt, l. non dubium. D. de cust. reor. Vel militem qui in prouinciã crimen admittit, ad magistrum militum, si hoc personæ vel criminis qualitas exigere videatur, l. i. hoc tit.

#### IV. De custodia reorum.

**T**itulus est de custodia reorum qui rei postulati & iudicio exhibiti sunt, nec tamen de qualibet custodia, sed de carcere tantum vinculisq; publicis, quæ est summa & diligens omnium maximè custodia, l. 6. §. eius. D. de iniu. rup. Alia est custodia officij, l. i. infr. ad S. C. Turp. l. 3. inf. de abolit. l. i. sup. tit. prox. coniuncta l. 2. C. Th. eo. quæ non est reo impedito comparanti se intra xxx. diem, iuxta beneficium l. 2. tituli superioris, & l. vlti. Co. Th. eo. d. ad sistendum iudicio competenti. Alia est custodia militum vel seruorum publicorum ciuitatis, vt in epist. Plinij de custodijs ad Traianum, vel littorum vel mæcipum carceris. Aliquando etiam rei fideiussoribus committuntur, vel etiam sibi ipsi, id est fidei & religioni suæ, maximè pro innocentia sua, l. i. D. cod. vt putà si manifesta & iure prodita suppetant argumenta & præsumptiones innocentia, sicut è contrario si præsumptio aduersus reum faciat, carcere potius eum cohiberi & celari placet, l. vltim. hoc tit. ac similiter carcere & vinculis continetur qui grauiorum criminum reus est, l. i. hoc tit. l. 3. D. cod. vel qui conuictus aut confessus atque adeò diligentius adseruandus est, l. 2. suprà tit. proximo. l. 2. hoc tit. l. 5. D. cod. l. 4. §. penu. D. ad legem Iul. ma. vel seruus qui à domino indefensus relinquitur ex lege Iulia, l. 2.

D. cod. quibus tamen omnibus casibus etiam opus est speciali præcepto iudicis, l. vlt. hoc tit.

V. De priuatis carceribus inhi-  
bendus.

**C**vsodię nomine titulo superiore intelligitur tantum publica custodia, vt l. vinculorum. D. de verbor. sign. quia, vt hic titulus ostendit, priuata illicita est, & tanquã læsę maiestatis rei puniuntur priuati homines qui se pro magistratu gerentes priuati carceris custodiam exercuerint, simul ac iudices & principes apparitionis iudicum qui hæc crimina dissimulauerint. Pœna in l. 1. definitur esse vltimum supplicium. At in l. 2. Iustinianus mitiorẽ pœnam statuit, infamię scilicet & periculi litis propter quam aduersarium priuato carcere cohibuerit, vt & pœnam carceris publici tot diebus sustineat quot priuatum exercuerit. Constitutio est Græca ad Menam P. P. cuius sententia in Basl. his verbis expressa est. μη γίνεσθι ἰδίω  
 ζῆτας φυλακὰς, πρὸς ἣ τῶτο πράττοντας ὑπακῶν  
 καὶ ἐπιζυμία ἐ διαγερῶν τῆ δημοσίᾳ φερῶ τῶ  
 σαύτα εἰ ἔραε ὁπᾶε δῆ ποτ' ἄν γέγονε ὁ ἐγκλει  
 σθῆς ἐν τῆ γυμομυίᾳ παρ' αὐτῶν φυλακῆ, ὁποῖαε  
 ἄν εἴηται τύχης ἢ ἀξίας, ἐκπίπῃσιν δὲ καὶ τ' δίκης  
 τῆε ἀρμ-ξῶσθε αὐτοῖε κτλ τῶν ἐγκλεισθέντων,  
 πρὶν οἰα τῶ ἐπισκόπου ἐ τῶ ἀρχοντῶ, εἰ δὲ ῥα-  
 θυμήσει ὁ ἀρχων ὑβρίσασθαι κίνδωρο κὴ πρὶ τῶ οὐ-  
 σίᾳ ἐ πρὶ τῶ σωτηρίᾳ.

V I. Si Reus vel accusator mortuus  
fuerit.

**E**X hoc titulo intelligimus, morte accusatoris accusa-  
 tionem extingui, l. vltim. non crimen, l. 3. §. vltim.  
 D. de accus. l. sed si maritus. D. Qui & à quib. man. l. pe-  
 nultim. D. de publ. iud. At morte rei extingui crimen, vel  
 mortalitate, vt loquitur l. vltim. D. ad leg. Iul. ma. quia

non qualibet morte, non morte sibi adscita in reatu capitali, l. penultim. hoc tit. vt in reatu Libonis apud Corne. Tacitum libr. 2. Mortalitas mors est communis & naturalis. Verùm Constitutione Diui Marci excipitur crimē perduellionis, l. penult. & l. vlt. infr. ad l. Iul. Ma. l. vlti. D. cod. l. 4. supr. de hæret. l. i. in fin. D. de requ. nec abs. dam. quod morte non extinguitur. Et alia quoque crimina occidunt cum persona rei defuncti tantum, non in concorū, l. i. & in rei principalis defuncti persona, vt putà qui instrumentum falsum fecit, non eius qui postea sciens eodem instrumento vtitur, l. 4. An etiam post condemnationem pendente appellatione morte rei profus extingatur aliorum criminum causa, quæstio est l. vltiam profligata lib. 8. tit. 66.

*VII. Si quis Imperatori maledixerit.*

**I**AM à titulo V. cœpit agere de crimine læsæ maiestatis, ad quod nec malè dicam etiam respicere titulum sextum, propterea quod ab eius definitione excipitur crimen perduellionis, quod summum est crimen læsæ maiestatis. Sed quia & ex alijs quamplurimis causis crimen maiestatis cõmittitur, & vel dicto vel facto, de eo quod dicto agitur in hoc tit. de quo & si aliquando fuerit iudicium maiestatis, tamen ex Constit. huius tit. nullum iudicium, nullave pœna temerè constituitur inconsulto principe. Vbi, remittendum, Græcis rectè est, condonandum, non remittendum ad principem, vt ipse de eo statuat, etiam si ab iniuria processerit, quia nec bonus princeps, vt Titius dicebat, iniuria adfici potest.

*VIII. Ad legem Iuliam maiestatis.*

**I**N hoc titul. & alijs causis ostenditur bonos principes non admittere quæstionem læsæ maiestatis, putà qd' per

per imprudentiam iudex pronunciauerit contra Constitutiones principis, l. 1. vel quod inconsultè quis perurio violauerit principis nomen, l. 2. vel ex alijs causis leuioribus. Et cetera omnia sunt de crimine perduellionis, quod & rebelliois & impietatis & sacrilegij dicitur, crimen summum & maximum, l. 7. Cod. Theod. de ind. cr. in quo hæc singularia recepta sunt, vt morte nocentium non extinguatur, vt alienationes vel manumissiones vel emancipationes factæ à nocentibus non valeant si memoria eorum damnata sit post mortem, l. qui quis. l. penultim. & vltim. vt ex ea causa serui torqueantur in caput domini, d. l. penultim. & vltim. quæ leges sunt ex Paulo & Martiano, non vlli Constitutioni Græcæ (nullâ enim in hoc tit. desiderari Basilica patefaciunt) sed Constitutionibus Latinis à Triboniano subiectæ, quod in Digestis prætermittæ essent, & eleganter l. 2. Cod. Theo. ne præ. cr. ma. ser. & c. in hoc crimine etiam in seruis honestam prodicionem esse. Nam & hoc facinus tendere in dominos, dominos rerum scilicet, vt l. 3. supr. de epif. aud. pro domino igitur rerum in dominū, vt l. 13. infr. de quæ. sti. l. 17. §. penul. D. cod. Item vt damnati ex hac causa non lugeantur, l. liberorum, §. non solent. D. de his qui no. infam. Vt non petantur sepeliendi, l. 1. D. de cad. pun. & vt eo crimine omnes omninò qui postulantur si conuicti sint manifestis indicijs, & hi quorum consilio accusacionem instituerunt, torqueantur, cuiuscunque ætatis vel condicionis vel dignitatis sint, l. 3. & 4. hoc tit. l. decuriones. infr. de quæst. l. de minore. D. eodē. Chrysostomus Homil. XII. ἐν δὲ ἀνήκαδοσίῳσις, ἀξίωμα οὐδ' ἐν ὄφελει. Item vt filij nocentium masculi excludantur non tantum hereditate patris quam fiscus occupat totam, abrogato sextante de quo l. Cod. Th. de bon. proscri. sed etiam matris & aui & propinquorum & extraneorū, vt miseri viuunt & egeni, infames & intestabiles, l. quisquis hoc ti. l. vlt. infr. de bon. prof. nec ius sepulcrorum habeant, l. 1. §. suos heredes. D. de suis & leg. her. quod & olim fuisse legibus comparatum M. Tullius scribit, vt caritas filio-

rum amiciores parentes Reip. redderet. Nec verò quidquam est in l. quisquis. quod non etiam olim obtinuerit. Filiabus tamen in bonis maternis seruetur portio legitima. In C. Th. vt habeant ingratae potius filiae, &c. scribendum opinor, non ingratae.

*IX. Ad legem Iuliam de adulterijs & stupro.*

**A** Crimine læsæ maiestatis quod omnium maximum est, transit ad crimen adulterij & stupri. In adulterio est vir & mulier aliena. In stupro vel vir vel mulier non est, vel est vir & mulier vacua. Dico in adulterio esse mulierem alienam, id est alij nuptam. Non dico virum alienum. Nam in viro alieno qui fuerit cum muliere vacua, lege Iulia crimen vt stuprum, non vt adulterium vindicatur. Nec enim lex permittit vxori aduersus virum accusationem adulterij. Ex quo efficit l. i. nec in alieno matrimonio violato mulierem publico iudicio adulterij accusationem instituere posse, nimirum quia nec lecti sui iniuriam persequi potest. Alio iudicio publico mulier suam iniuriam persequi potest. Hoc iudicio neque suam neque alienam. Vindicatur adulterium in muliere alij nupta, & in adultero qui alij nuptam corrumpit, etiam vulgo se præbuerit, agente marito, vt opinor, non agente alio. Alioquin vindicatio ex lege Iulia patet omnibus, ex lege Constantini quinque personis tantum, nisi iunctum sit vi, inter quas maritus primum locum obtinet, intra 60. dies vtilis, intra quos nec serui mulieris & viri & parentum eorum manumitti vel alienari possunt. Multae verò in hunc titulum quæstiones cadunt, nec vlla lex est publicorum iudiciorum quæ à Iurisconsultis vigilantius tractata sit. De iure occidendorum de præhensorum, De poena adulterij, De multa dotis, De præscriptionibus quæ accusantibus adulterij obijci possunt, De ordine instituendæ & exercendæ accusationis, De transactione habita inter reum & accusatorem, & aliae quæ-

quædam magna ex parte iam à nobis profligatæ X X.  
Obscu.

X. *Si quis eam cuius tutor fuerit, cor-  
ruperit.*

**P**OST titulum generalem de stupro, datur specialis de  
stupro quod tutor infert pupillæ suæ. quia id Consti-  
tutio huius tit. punit grauius, quàm quod quis alius alij  
infert lex Iulia, quæ infligit tantum relegationem aut pu-  
blicationem dimidiæ partis bonorum, vt est in Inst. Hęc  
autem Constitutio infligit deportationem & publicatio-  
nem omnium bonorum quæ & tacitè deportationem  
sequitur, & pœnam hanc quoque Constitutio ait citerio-  
rem esse quàm stuprũ, quod debuerit clementia deposi-  
ta tam infandi stupri raptori per eam princeps infligere  
pœnam legis Iuliæ de vi publica, quæ in raptorem est vl-  
timum supplicium, quia insidiæ quæ fiunt huic ætati &  
illecebrę vi comparantur, imò secundum Solonis legem  
maiori pœna digna est vis quæ verbis quàm quæ viribus  
fit, quoniam hæc corpus tantum corrumpit, illa animũ  
quoque. Turpius est stuprum in tutore, cui mores pu-  
pillæ informandi tuendique boni commissi sunt, qui si  
id committat non tutor sed proditor pupillæ est. Nec e-  
nim ineleganter duci proditori comparatur violator pu-  
pillæ tutor. Quintil. declam. CCXXXI V. Turpius, in-  
quam, est stuprum in tutore, maximè si per matrimoni-  
um contractum non sit. Nam si tutor pupillam ducat v-  
xorem, sufficit pœna legis Iuliæ de stupro, l. 7. D. eod. l. li-  
bertum. D. de rit. nup. Si corruperit citra matrimonium,  
pœnæ locus est Constitutionis huius longè maioris, quæ  
in hoc tantum mutata est Nouell. Leonis philosophi  
XXXI V. quod non publico ex ea sed pupillæ bona tu-  
toris addicuntur, vt bona raptoris raptæ si in-  
genua fuerit, ex l. i. infr. de ra-  
ptu virginum.

XI. *De mulieribus qua se seruis proprijs  
iunxerunt.*

**H**IC etiam titulus est specialis de stupro quod mulier libera committit cum seruo proprio, quod longè turpius & grauius esse quàm superius, pœna quam infligit Constitutio huius tituli demõstrat, quæ est in muliere capitis amputatio, in seruo concrematio. Superius non vindicatur in vtroque, sed in tutore tantum, & deportatione, non morte. Hoc in vtroque morte. ac præterea illud deferentes serui non audiuntur, hoc deferentes audiuntur, & pro præmio si reos pregerint, libertatem consequuntur. Vtrumque tamen est publicum crimen. nam l. 30. supr. tit. 9. adulterium tantum eximit numero publicorum iudiciorum, non stuprum. Et vt illud, ita hoc lenius punitur si per matrimonium contractum sit, putà seruo manumisso, vt patet ex No. Leonis & Anthemij cod. tit. & l. 3. sup. de nup. & Paulo 2. Sent. eo. tit. Quod autem sequitur in hac Constitutione, Filij etiam quos, &c. nimium quantum differt ab eo sensu quem eadem verba habent in Cod. Th. & à iure communi. Nam vtriusque bona damnati damnataque pœna capitali simul ac filiorum ex eo contubernio procreatorum addicit legitimis heredibus mulieris, non fisco, quod tamen pœnæ capitali consentaneum & consequens erat. Sed idem etiam in raptus causa longè peiore admittit Constitutio titu. seq. vt vel nulli vel alij quàm publico addicantur bona reorum.

XII. *Ad legem Iuliam de vi publica  
seu priuata.*

**T**RES tituli superiores sunt de stupro vel adulterio cõtracto sine vi, quod punitur lege Iulia de stupro vel Constitutionibus factis ad eam legem. Stuprum aut adulterium quod vi contrahitur non punitur ea lege, sed lege Iulia de vi publica, l. mariti. §. vltim. l. vim. in pr. D.

ad



ad l. Iul. de adul. de qua dicere instituit, vt *exposita* eius potestate quæ latissimè patet & pœnis, deinde tit. sequenti specialiter dicat de stupro vel adulterio vi contracto. Pœnæ autem legis Iuliæ de vi publica vel priuata longè mitiores sunt quàm Constitutionum pœnæ. Nam de vi publica lege Iulia est deportatio, de priuata relegatio & publicatio tertiæ partis bonorum, Constantini lege vis priuata, vt putà si quis per vim ingressus sit possessionē alienam, est capitis pœnæ, quod & cædes si qua interueniat auctori vis inferendæ impuranda sit, & cæde quidē interueniente æquum est huic pœnæ stari. Alioquin ex alia eiusdem Constantini lege sufficit deportationis pœna, vis scilicet priuata plectitur ex ea Constitutione pœna legis Iuliæ de vi publica. Et seueriores etiã esse Constitutiones, quàm leges Iulias, ostendit apertè l. seruos, hoc tit. quæ dominis qui per seruos suos vim fecerunt, si honestiores sint, infligit pœnam legis Iuliæ, si humiliores pœnam Constitutionum. Vim autem publicam legimus in Institutionibus esse vim armatam: priuatam, quæ sine armis fit, quam non esse veterem distinctionē publicæ à priuata, ad Paulum ostendi: & illam non esse veram, nisi quatenus omnis vis armata publica semper, priuata nunquàm censetur. Nam ex diuerso, qua ratione armata publica est, quod motu armorum offēdatur, & turbetur publica securitas, eadem inermis publica esse potest, vt si vis fiat libero corpori, quia libertatis tutela publica est, l. 2. D. de sta. def. Si noua vectigalia exerceantur, quia vis Reipub. inferri videtur, cui soli competit vectigalium exactio, vel si quid ex incēdio rapiatur, qua in trepidatione maximè publica utilitas vindicanda est, l. 1. §. meritò. D. de pos. vel si quid aliud fiat quod sit contrarium rei iurive publico principaliter aut per consequentias, ad cō vt quod cadit in legem Iuliam de vi priuata, possit si quis velit seueriori iudicio agere venire in legem Iuliam de vi publica, sicut e contrariò si quis mitiore, quod in hanc, in illam.

XIII. *De raptu virginum vel viduarum, vel  
sanctimonialium.*

STuprum vel adulterium vi commissum vindicatur lege Julia de vi publica, itemq; Constitutionibus & his quidem multò seuerius. Leges Julix mitiores sunt Constitut. Est autem propriè Constitutio huius titu. de stupro vi commissò in virginem aut viduam cuiuscunque condicionis aut sectæ. at venit etiam in eam & quidem multò magis adulterium vi commissum, quo casu ius est marito vel sponso deprensam in flagranti crimine quemlibet sine vlla exceptione iugulare, sicut raptorem virginis aut viduæ parentibus, fratribus, tutoribus, curatoribus, patronis, dominis. Et publicum est vtrumque crimen, & eius pœna vltimum supplicium & ademptio omnium bonorum, vt cedant raptis si ingenuæ fuerint, vel monasterio aut ecclesiæ si deuotæ virgines aut diaconissæ, in quibus etiã scelus si citra exitum subsederit, punitur, raptis autem ancillis vel libertinis ex hac Constitutiõe raptori irrogatur quidem vltimum supplicium, sed bona non auferuntur, sicut nec conscijs & ministris huius criminis, quod est vltimo supplicio inconsequens, nec ita solet fieri. Item ex hac causa rei postulati non audiuntur opposcentes præscriptionem fori, vel appellantes, quod Iustin. sumit ex l. i. Co. Theod. eod. cuius pars est l. pen. supr. quib. ex cau. fer. pro præ. Interdicitur nuptijs raptoris & matrimonio raptus scelere contracto non petita muliere à parentibus vel alijs, à quibus eam peti decet more maiorum, etiamsi volens abducatur, quia nec velle intelligitur quæ circumuenitur & seducitur, l. 3. §. si quis volentem. D. de lib. hom. exh. nec minus habetur pro raptore qui eam volentem ducit clam incòsulto parentum aut cognatorum eius. Et idem Ioannes, vsusque trahit non malè ad adolescentes ad matrimonium illecebris & conciliaturis pessimarum mulierum inscjs parentibus & cognatis illicefactos.

**V**Im & raptum sæpè comitantur homicidia, vt & l. 6. tit. 12. notauit, & Constitutio tituli superioris, ideoque post legem Iuliam & Constitutiones de vi & raptu consequenter dicturus de homicidijs, quæ vindicantur lege Cornelia & Constitutionibus factis ad eam legem; prius vult dato hoc tit. ab eius legis tractatione semouere homicidia seruorum commissa à dominis, quoniam lege Cornelia non vindicabantur, imò & per eam dominis in seruos ius est vitæ necisque. At ex Constitutione huius tituli dominus reus est homicidij, qui seruū occidit animo occidendi, non etiam si seruus fortè à domino virgis aut loris castigatus, aut vinctus mox vel paulò post interierit. hic enim casus domino non imputatur, nec, vt ait Constitutio, in eo dierum distinctio obseruatur, quibus post emendationem aut vincula superuixit seruus. quod rectè Azo notauit respicere ad legē Dei Exodi XXI. pro tempore datam Iudæis. His autem Constitutionis verbis, *lētū fultis*, apparet eam fultem separare à virgis, vt l. 2. C. Theod. de cur. pub. & virgam minus esse quàm fultem.

XV. De emendatione propinquo-  
rum.

**V**T superior Constitutio dominis in seruorum emendatione permittit tantum moderatam castigationem, ita hæc senioribus propinquis in iuniores, si mediocre sit delictum quod admiserint, quod possit intra priuatos parietes de communi sententia propinquorum etiam mediocriter coerceri. nam si res grauiorem animaduersionem desiderat, offerendi sunt iudicibus, vt l. 4. supr. de patr. pot. vt serui quoque à dominis, l. circumcidere, in fi. D. ad l. Corn. de sic. quo exemplo dicam etiã hodie nō licere propinquis mulierem adulterā coercere maiorum more, de quo in Tiberio Suetonius, post rescriptum D. Marci, quo non licet domino statuere in seruū suum

suum non deprensus, quem dicit cum vxore sua adulterium commisisse, l. seruos. D. de accus. idemq; hoc argumēto comprobabo. Propinquis senioribus hæc Constitutio hoc tantum dat, vt stultos iuuenes patrio iure corrigant. atquin pater in filium infamem in nouercam statuere non potest, sed eum offerre iudici debet puniendum, l. 2. D. ad leg. Corn. de sicar. quam ita accipiendam inscriptio arguit. imò nec in filiam adulteram, nisi deprensam in flagranti crimine ex lege Iulia. ergò nec ex hac causa propinquis senioribus in minores natu quidquam statuere licet.

*XVI. Ad legem Corneliam, de  
sicarijs.*

SEquitur lex Cornelia de sicarijs, quæ homicidia capitali pœna coerct. Lex ait, Qui hominem occiderit dolo malo, quæ verba generaliter comprehendunt qualemcunque occisorem puberem vel impuberem doli capax, vt alio capite eiusdem legis, Qui venenum malū fecerit, M. Tullius pro Cluentio omnes ait viros, fœminas, liberos, seruos in iudicium vocari: ac similiter occisum qualemcunque, etiam seruum & peregrinum, l. 1. §. & qui hominem. D. eod. & infantem imperfectum hominem, l. pen. hoc tit. & ait, Dolo malo, vt excludat casum fortuitum vel improuisum, l. 1. & §. & suę vitæ tuendæ causam, l. 2. 3. 4. Post addit, etiam eum perinde atque homicidam teneri, qui cum telo in publico ambulauerit hominis occidendi causa, l. 7. lege Iulia, de vi publica, tenetur qui vel cum telo in publico ambulauerat, l. 3. §. 1. D. ad leg. Iul. de vi publ. lege Cornelia qui occidendi hominis causa tantum.

*XVII. De ijs qui parentes vel liberos  
occiderunt.*

IN quibusdam libris additur, *Ad legem Pompeiam.* nam & si alia lex Cornelia fuerit de parricidijs, l. 2. §. capta. D. de

D. de orig. iur. l. ult. Cod. Theod. ad leg. Corn. de fals. tamen lex Pom. magis recepta est tãquã nouissima & latissima, quæ pro parricidio etiam habet cædem cognatorum ex transuerso & adfinium & patronorum & coniugis. Propriè enim parridium committitur tantùm inter parentes & liberos, quod Constitutioni huius titu. magis placet punire more maiorum primitus virgis sanguineis cæso parricida, l. pen. D. eod. quales virgas lictorum esse apud Plinium legi, ex fruticibus sanguineis qui arboribus infœlicibus adnumerantur, vt quemadmodũ alij criminosi more maiorum arbori infœlici suspenduntur, ita parridæ ante supplicium cædantur fustibus ex arbore infœlici decerptis, deinde insuantur culleo, Iuuenalis coriobouis, Cedrinus *δέρματα βοτάνης νεοδάρτω*, cum impijs animalibus impij homines, vt inter sententias Imp. Adriani legi, quæ referunt etiam parridam insutum culleo cum illis animalibus plauastro iuncto bobus atris in marè deportari & abijci in profundum. Noua hæc pœna dicitur in Instit. quæ est vetustissima, quia nõ erat in vsu ante hanc Constitutionem, non erat solemnis, vt hæc ipsa Constitutio ait. Valdè notandũ est quod Suetonius scribit in Augusto, hoc acerbissimo supplicio nec conuictum & manifesti parridij reum adfici solitum, nisi vltro confiteretur.

XVIII. De maleficis & mathematicis, & ceteris similibus.

LEX Cornelia fuit coniunctim de sicarijs & veneficis. vnde quod quæri solet, quæ sit ommissa quæstio publica in l. 2. §. capta. D. de orig. iur. non refero ad quæstionem de veneficis, quam lex Cornelia coniunxit cum quæstione de sicarijs vtrique adiecto prætorè vno qui de vtroque scelere ex ea lege quæreret, quia non in solo ferro homicidium est, sed etiam in veneno verùm id refero ad quæstionem de iniurijs, quæ ex lege Cornelia publica fuit, l. hos accusare. §. vltim. D. de accus. & ommissa

si fortè est, quod in desuetudinem abiisset, & iam, vt dicitur l.7. infr. de iniur. iniuriarum quæstio priuati non publici iudicij esset. De sicarijs autem satis dictum est suprà. Hic titulus est de veneficis. nam inaleficorum appellatione venenarij continentur, quod l.1. statim indicat, qua admonemur plus esse veneno neci dare, quàm occidere gladio, ac proinde non esse mirum, si venenarius eadem qua sicarius aut maiori pœna plectatur. Continentur etiam Magi, qui carminibus, diris, deuotionibus defigunt alios, qui fingunt cercas imagines hominis necandi causa. Hi propriè sunt malefici. Mathematici autem sunt impostores, qui mathematicorum liberali nomine adumbrantes ineptias suas profitentur se facta cuiusque nosse & natalitias syderum obseruationes. His similes aruoli, augures, aruspices, vaticinatores, somniorum interpretes falsi, qui omnes ex S. C. subiiciuntur pœnis legis Corneliae, l. ex S. C. D. ad legem Cornel. de sicar. facto scilicet auctore Tiberio, Pomponio, & Rufo Coss. vt Ulpian. scribit l.7. de off. procons. Cor. Tacitus Statilio Tauro & Libone Coss. & tam discipuli quàm magistri, l. pen. Tertul. de idolol. Eadem pœna est exitij discipulis & magistris. Et libri corrumpuntur, l. 10. supr. de epis. aud. l. 4. §. 1. D. fam. etc. Phocylides φάρμακα μὴ τεύχεσιν ἢ μαγικῶν βίβλων ἀπέχεσθαι.

### XIX. De sepulcro violato.

**M**Aleficis ad fines sunt sepulcrorum violatores, læsarum religionum rei, vt ait l. 1. & Corn. Tacitus III. Graue crimen læsarum religionum. nam & magi infames sunt sepulcrorum violatione. Apuleius 2. Ne mortuorum quidem sepulchra tuta esse dicuntur, sed & bustis & rogis reliquiae quædam & cadauerum præsegmina ad exitiabiles viuentium fortunas petuntur. Culpa bantur eo nomine clerici potissimum quo tempore emissa est à Theodosio No. de sepulcris. Crimen est publicum ex l. 4. possis dicere & ex lege Iulia de vi. l. 8. D. eo. & ciuilis actio popularis ex edicto prætoris, cui nihil derogat

rogat d. l. 4. & vtriusque pœna pecuniaria, criminalis XX. pondo auri, l. 3. X. pondo ex l. 4. Sed ibi etiam Basil. habent X X.

*XX. Ad legem Fabiam de plagiarijs.*

**A**Lia fuit lex Cornelia de plagiarijs, teste Apuleio 8. Metam. Crimen, inquit, Corneliæ legis incurram si ciuem Roman. pro seruo vendidero. nam venditio ciuis Romani plagium est, l. 12. supr. de ing. man. l. 2. supr. vbi de crim. agi oport. Sed in legis Corneliæ locum nouissimè successit lex Fabia, qua plagiarij, qui & lauerna & fraganæ, iudicio publico (lege Cornelia erat priuatum) & pœna pecuniaria cœrcentur. Sed hodie ex Constitutionibus longè grauiore, l. vlt. hoc tit. l. vlt. De eod. hi sunt qui sine vi docto malo scientes abducunt ingenuos aut liberos homines, & vendunt pro seruis aut supprimunt, vel qui seruos alienos abducunt sine vi & plerumque sine furto, & fugam persuadent, aut fugitivos celant. De S. C. facto ad hanc legem scripsi Obser. XVII. cap. X. Modesto & Probo Coss.

*XXI. Ad legem Viselliam.*

**L**ex Visellia publico iudicio tuetur ingenuorum dignitatem & priuilegia, ne honores debitos ingenuis libertinis temere vsurpent & gerant, neve se libertini dicant esse ingenuos, nisi natalibus restituti sunt, vel donati iure annulorum aureorum, vel adoptati ab equite Romano, vt apud Suetonium in Claudio cap. 24. l. 1. infra tit. 31. l. 1. infr. si seru. vel lib. ad dec. asp. Rectè autem hic titulus positus est medius inter præcedentem & sequentem titulum, quia lex Visellia participat ex vtroque, legi Fabiæ qua tuetur ingenuorum dignitatem, vt lex Fabia personas, legi Corneliæ qua libertinos cœrcet qui se falso agunt pro ingenuis. At lex, damno cum infamia, id est, multa, vt lege Iulia de ambitu. nam & hic ambitus quidem libertinorum est.

XXII. *Ad leg. Corneliam de falsis.*

SEquitur lex Cornelia de falsis, quæ dicta est testamē-  
 taria, quia de testamentis fuit, quæ quis falsa scrip-  
 set, aut vera ne appaterēt suppressisset aut subripuisset,  
 l.24. & de confirmandis his quæ irrita facta essent testa-  
 tore capto ab hostibus si ibi decederet, de quo capite fre-  
 quens mentio est in titulis de testam. & de capt. In hoc  
 autem tractatu publicorum Iudiciorum de illo tantum  
 agitur, quo publicum iudicium lex Cornelia constituit  
 in eum qui sciens dolo malo testamētum subripuit, sup-  
 pressit, interleuit, subiecit, resignauit, quive falsum testa-  
 mentum scripsit, celauit, recitauit, l.2. D. eod. & qui sig-  
 num obligandis testamentis annulumve adulterinum  
 fecit, sculpsit, l.30. D. eod. & pœnam capitalem, l.1. & 5.  
 hoc tit. quæ postea facta est non capitalis, l.22. hoc tit. l.  
 transigere, supr. de transf. lege Cornelia dico fuisse capi-  
 talem. nam quod est in Instit. legis Corneliæ testamen-  
 tariæ pœnam esse deportationem, tam est falsum, quàm  
 quod lege Iulia adulteros capite puniri, si ipsas & nu-  
 das leges publicas spectas vt ab initio conditæ sunt, non  
 etiam S. C. & Constitutiones factas ad eas leges, quibus  
 quæ pœna cauta vel subrogata est eam ipsis legibus Iu-  
 stinianus accommodat & attribuit. nam id etiam quod  
 ait lege Cornelia testamentaria puniri eum qui aliud in-  
 strumentum falsum scripsit vel signauit, non ex ipsa  
 lege Cornelia, quæ non de alio instrumento quàm de te-  
 stamento fuit: sed ex S. C. Liboniano factò sub Tiberio,  
 Statilio Tauro & Libone Coss. vt Vlpia. scribit VIII. de  
 off. proc. quo pœna legis Corneliæ irrogatur ei qui ali-  
 ud quàm testamentum dolo malo signauit signarive cu-  
 rauit, & vt dicemus tit. seq. testamentario etiam qui sibi  
 aliquid adscripsit. Post factum est aliud S. C. sub eodem  
 Imperatore, Licinio V. & Tauro Coss. quo eiusdem le-  
 gis pœna irrogatur ei qui falsas testationes faciendas te-  
 stimoniave falsa inuicem dicenda aut consignanda do-  
 lo malo curauerit. Et aliud Cotta & Messala Coss. quo  
 ca-



eodem pœna coeretur qui ob instruendam aduocationem testimoniave pecuniam acceperit, pactusve fuerit, societatem coierit, aut aliquam obligationē interposuerit, & qui coierit ad accusationem innocentium. Et aliud Geminis Coss. quo eadem adficitur qui ob denunciandū vel non denunciandum remittendumve testimonium pecuniam acceperit. & hæc sunt S. C. de quib. loquitur l. 2. D. de concuss. & l. 1. D. ad leg. Corn. de fals. non S. C. Volusianum, quod ad leg. Iuliam de vi pertinet, non ad Corneliam de falsis. Et ex his quidem perinde, atque ex lege Cornelia iudicium publicum constitutum est, sed non de subrepto alio instrumento. l. 16. D. eod. quia nec Libonianum huius meminit casus, neque ex Constitutionibus de supposito partu, l. 30. cod. Crimina tamen sunt hæc omnia nullo clausa tempore, nisi longo, id est XX. an. Falsum Paulus in Sent. scribit esse quidquid in veritate non est, sed pro vero adseueratur. Augustinus in Soliloquijs, quidquid ad similitudinem alicuius accommodatum est, nec id tamen est cuius simile apparet. Imperfectius & ὡς τύπῳ l. quid sit. D. eod. Si quis alienum chirographum imitetur, si libellum vel rationes alienas intercidat aut describat, vt à falsarijs seiungat eos qui in suis rationibus mentiuntur qui non incidunt in pœnam legis Corneliæ, ac si diceret in alieno instrumento falsum commissum vindicari nō in proprio, in aliena re falsum testimonium, non in propria.

*XXIII. De his qui sibi adscribunt in testamento.*

**E**X Senatusconsultis quæ facta sunt ad legem Corneliam testamentariam, est S. C. Libonianum, de quo in hoc titul. agitur quatenus pœna legis Corneliæ testamentariæ adficitur eum qui cum adhibitus & aduocatus esset ad scribendum alienum testamentum, in eo sibi vel hereditatem vel legatum vel fideicommissum vel libertatem vel quod aliud emolumentum adscripsit, di-

stante, volente & iubente testatore, quia eam partem testamenti bona cum venia testatoris alij scribendam dare debuit, quare non vitaretur testamentum, l. D. Claudius. §. vlt. D. eo. nec testatori in ea re quæ falsi suspicionem importaret obtemperare. Falsum est, si inuito & ignorante testatore sibi adscribat, & legi Corneliæ locus. Falsum non est, si hoc faciat volente & iubente testatore, sed quasi falsum, & S. C. Liboniano locus, quo vtiq; punitur tamen si id quod sibi adscripsit pro non scripto habeatur & cedat heredi scripto vel substituto, vel coheredi vel heredi legitimo. Delictum punitur etiam si delinquenti nihil profuerit. At sunt casus quibus testamentarius à principe vel Senatu veniam pœnæ impetrare potest, non etiam ius capiendi. Sunt quibus ipso iure securus est, vt l. 1. & 2. in fin. l. 1. functus dulci officio, id est mortuus, functus vita, functus morte, nec enim res contrariæ dicuntur. Isidorus in glossis. Functus officio qui officium vitæ impleuit. Igitur dulce officium dulce munus vita dicitur. Seneca in Hippolyto. Cur dulce munus redditæ lucis fugis? Non est omittendum hac de re qua de primum factum est S. C. Libonianum auctore Tiberio, etiam postea factum fuisse aliud S. C. ex edicto D. Claudij, l. 3. hoc tit. d. l. D. Claudius. quod S. C. Claudianum dicitur. Sunt igitur hac de re duo S. C. quod & inscriptio probat libri singularis Pauli ad S. C. Libonianum seu Claudianum, & quod l. 10. D. eod. hoc prouisum fuisse ait S. Consultis, non S. Consulto. & ita quod sub Tiberio apud Corn. Tacitum factum fuisse S. C. de mathematicis & magis Italia pellendis, idem apud eundem sub D. Claudio alio S. C. repetitum vel reductum fuisse legimus. Quod autem l. 3. & d. l. D. Claudius. D. Claudium dicit, plane probat illud edictum Suetonium tribuere perperam Cl. Neroni, qui nunquam Diuus factus vel nuncupatus est.

#### XXIV. De falsa moneta.

**L**EX Cornelia alia fuit testamentaria, de qua ante dictum est, alia nummaria, vt Cicero appellat, de qua

in hoc tit. agitur. Hæc est de falsa moneta, id est de nūmis adulterinis. Monetæ nomen est multiplex. nam vel eo significatur nummi vel locus in quo formantur, vt l. 2. & Macrobij. in Somn. Scip. Semen locari intra formandi hominis monetam, vel σφραγιστήριον, vt Harmenopulus ait VI. Epit. siue Iconium, vt est in historia Antonini Florentini, & apud Suetonium in Caligula, aureum iconium. Ceterum hæc lege tenentur quicumque adulterinam monetam fiant, feriant, vel probam vitiant, minuunt, excindunt, adrodunt priuatim vel publicè. imò & qui priuatim probam feriant ex permisso principis, l. 3. nam neque arma neque monetæ nisi publicè à certis publicisque personis fabricari aut percuti possunt. Et ex hac causa etiam serui dominos suos deferre possunt, l. vix. D. de iud.

*XXV. De mutatione nominis.*

**A**D legis Cornelie de falsis poenam redigitur etiam is qui dolo malo seipsum adoptat & nouum sibi nomē imponit, quo quid alienum intercipiat, vt Paulus ait in Sent. tit. ad leg. Cor. & l. falsi. D. eod. Si dolus malus absit, vnicuique libero homini liberum est quodcumque volet sibi nomen adsumere, nec ex eo solo quod nouum sibi nomen adsumpserit, vlla actione tenetur, sed ita demum si alium ea re in fraudem induxerit, arg. l. vltim. D. quod fal. tut. auc. Dico, libero homini. nam serui nomen in domini est potestate, non serui. qua de causa & libero homini redacto in seruitutem dominus mutat nomen, vt Iosepho Pharao, vt Danieli Nabuchodonozor rex notus etiam ex profanis Straboni.

*XXVI. Ad legem Iuliam de ambitu.*

**E**xpositis legibus Cornelij redit ad Iulias. & proponit hoc titulo eam quæ de ambitu est, quæ olim obtinuit in vrbe cum populi suffragijs deferebantur honores & magistratus, nō vt hodie nutu principis, l. 1. D. eod. l. quidam, D. de re iudic. nam petitores honorum, id est

candidati clam sæpenumerò ingentem pecuniam confu-  
mebant corrupendorum suffragiorum causa, quæ  
corruptela & effusio pecuniarū, ambitus dicitur, & hac  
lege iudicio publico coercetur. Traianum quoque lego  
apud Plinium VI. Epistol. eam repressisse, candidatis ter-  
tiam patrimonij partem in ea quæ solo continentur con-  
ferre iussis, vt similiter S. C. fœneratores iubentur duas  
partes patrimonij in solo collocare, & confiscantur qui  
partem dimidiam rei familiaris in pecunia habent apud  
Suetonium in Augusto. Post autem ad instar legis Iulicę,  
ex S. C. ambitus coerceri cœpit in municipijs, vbi Duum-  
uiri & sacerdotes prouinciarum creantur decreto popu-  
li vel curiæ, & creabantur etiam episcopi & presbyteri. l.  
49. C. Th. de decur. quorum ambitio coercetur, l. si quē-  
quam. supr. de epif. & cler. Præsides autem in prouincijs  
creabantur iudicio principis vel præfecti prætorio, l. vlt.  
tit. seq. At ex Constitutione huius tit. coercetur ambitio  
etiam in principibus officiorum & alijs beneficiarijs, qui  
antequam rationes suæ administrationis reddiderint, re-  
petunt officia eadem atq; continuant, quem esse sensum  
huius Constitutionis illa verba demonstrant, Ad soluti-  
onem debiti primitus vrgeatur, & coniuncta l. si aliquid.  
inf. de susc. & arc. & quod ita Græci adnotant in hanc le-  
gem, *ἡ ἀρχὴ ἐφύγων τὸ δ' ἔτι ἀπὲς τῆς ἀρχῆς  
ἐχρεώσῃ ἐπιτηδεύει ἄνωθεν ἑνταγλῶναι τῆ τὰξῆ.*

*XXVII. Ad legem Iuliam repetun-  
darum.*

**S**equitur lex Iulia repetundarum, certissimum argumē-  
tum summæ auaritiæ Romanorum, vt D. Hierony-  
mus ait in Esaiam cap. 13. Superior lex ambitionem co-  
ercet, quæ etiam in eis fuit incredibilis. Hæc coercet au-  
aritiā: vtraque iudicio publico, quod hac quidem lege  
constituitur in eos qui cum in magistratu, potestate, cu-  
ratione, legatione, vel quo alio officio publico in pro-  
uincijs essent, prouincias spoliauerunt ablatiis, captis,  
coactis,

coactis, conciliatis, auerfis pecunijs, quo & suum & suorum factum præstant, apparitorum putà & ministrorum & militum à gregario ad domesticum protectorem vsque, l. 1. & accusantur publicè, vt Verres & alij pleriq;, nomine totius prouinciæ vel ciuitatis, per actorem què ipsa prouincia vel ciuitas delegerit, vt Cicero ait in Diuinatione, quo loco etiam ostendit hanc legem tantum nationum exterarum, sociorum, prouincialium fuisse. In vrbe autem captarum pecuniarum à magistratu, ciuilem ferè actionem priuatamque iudicium seu recuperatorium. Itaque superior lex primum valuit in vrbe, hæc in prouincijs tantum. Damnatos interdum sequebatur exilium, frequentius damnatio in quadruplum, l. 1. & vltim. cum infamia, l. iudices, infr. de dignit. vt planè Viselliæ & Iuliarum de ambitu & de repetundis vna fuerit pœna damnum cum infamia, & l. vltim. huius tituli est communis vtrique legi Iuliæ. Nam & quadrupli pœnæ subijcit præsidem, si quid dederit ambitu honoris, & si quid sordidè tempore gerendi honoris acceperit præter salaria publica. Ambitus crimen exerceri potest, ante susceptam vel depositam administrationem. Repetundarum post depositam administrationem tantum, excepto casu l. 4. quo & ipsa administratione exerceri potest, si præsides prouinciarum in litibus & iudicijs improbè aut sordidè se gerant velut mercatores litium, vt ait l. 3. quo casu etiam pedanei iudices iisdem legibus tenentur, d. l. 3. At præterea vtrumque crimen finitur vicennio, & hoc vno casu anno quo & simpli tantum repetitio est, l. penultim. & altero item casu anno in heredem rei scilicet, quo & quadrupli repetitio est, l. 2. hoc titu. l. 2. D. eod. l. ex iudiciorum, D. de accusat. l. vltim. D. ad leg. Iul. pec. Plinius 3. epistol. Bætica etiam in defuncti de repetundis accusatione perstabat. Prouisum hoc legibus, intermissum tamen & post longam intercedentem tunc reductum, & Senatui placuit bona defuncti quæ habuisset ante prouinciam à reliquis separari, illa filix, hæc spoliatis relinqui. Additum est, vt pecuniæ quas creditoribus sol-

uerat reuocarentur. quod omninò congruit cum d. l. ex iudiciorum.

*XXVIII. De crimine peculatus.*

**E**T repetundarum crimen & peculatus est crimen captarum pecuniarum: sed repetundarum, quod captæ sint pecuniæ priuatorum, peculatus quod captæ sint pecuniæ publicæ nec relatæ in ærarium. Vtrumque est ex legibus Iulij publicorum iudiciorum. & hoc etiam in magistratus prouinciales post depositam administrationem, & in magistratibus quidem grauius quàm in ceteris. Nam ex hac Constit. irrogatur iudicibus pœna capitis & vitæ, vt l. 5. C. Th. ad leg. Iul. Rep. quæ extenditur ad socios & ministros & ad eos qui scientes subtractas ab eis pecunias publicas receperunt, quia, vt est in l. penult. supr. ad leg. Iul. de vi. quæ sumpta est ex l. 2. Co. Th. de cr. pec. Non est dissimile crimen rapere, & ei qui rapuerit rapta seruare. Ante hanc Constit. etiam in iudices erat tantum pœna legis Iuliæ peculatus, quæ eadem initio fuit quæ Iuliæ de ambitu & repetundarum & Viselliæ, id est multa cum infamia, l. 1. C. Theod. eod. tit. & reducitur Nou. Leonis 105. Huius criminis abolitio accusatori non datur, l. 3. infr. de abol. Sicut nec atrocium & capitalium criminum.

*XXIX. De crimine sacrilegij.*

**E**Adem lex Iulia coercet furtum pecuniæ publicæ, quod peculatus dicitur, & furtum pecuniæ sacræ, quod sacrilegium, & sacrilegiū certè grauius quam peculatum. Cui Constitutiones huius tituli adiungunt quæ sunt proxima & adfinia crimina, non quidem maiestatis crimē omne vel maximum, de quo dixit ante, quod proximum sacrilegio dicitur, l. 1. D. ad leg. Iul. ma. & sacrilegium, l. 1. C. Theo. si quis pec. consil. & in Basil. l. 1. supr. de priu. car. inhib. vbi pro maiestatis est *ἑροσυλίας*. Sed quod inferius sacrilegio esse videbatur contemnere & violare sacras Constitutiones principum, l. vltim. infr. de priu. 607, qui in sac. pal. mil. l. 1. infr. vt dig. ord. ser. l. 13. infr. de

crog.

erog. mil. ann. l. penul. C. Th. de relat. quod & maiestatis crimen dicitur, l. i. supr. vt omn. iud. l. 19. C. Th. de Iudæis. & quod est nefandissimum crimen, confundere & offendere legem Dei omnipotentis, de quo maiores nostri acceperunt l. i. huius titu. vt potè cum eam posuerint in C. Th. sub tit. de ep. & cl. & in Basil. hoc modo transtulerint, ὅθoι τῆμ τῆς Δείξς πίξεωσ ἀγίσθoν κῆ ἢ ἐν τῶ ἀγνοῆμ συγχεῖσθ μ, &c. ex quo patet etiam Græcos vt in C. Th. in hac l. i. legisse, negligendo confundunt, non, omittunt. Vet. etiam malè, committunt. Additur in hoc tit. etiam sacrilegij instar esse, tractare an is sit idoneus iudex què princeps elegit, vt l. 5. sup. de diu. ref. vel petere eius prouinciæ administrationem ex qua originem ducimus, qua de re lib. i. titu. vt nulli pat. suæ adm. Sed hæc hodie ne in minimo quidem vitio ponuntur.

*XXX. De seditiosis & his qui audent plebem contumaciter quietem publicam colligere.*

Sacrilegij crimine rectè dixeris etiam reos agi posse auctores seditionis & tumultus, cum & superioribus legibus teneantur de vi & læsæ maiestatis & propria lege de sodalitijs maximè hi qui coacta multitudine magna vociferatione quid petunt à populo vel principe, de quibus est l. 2. Pacata seditione multitudini parcitur, & vnde orta culpa est, ibi pœna consistit, vt apud Titum Liuium XXVIII.

*XXXI. Quando civilis actio criminali præiudicet, & an vtraque ab eodem exerceri possit.*

HIC titulus concludit tractatum de publicis iudicijs proposita regula communi omnibus, vt cum publicis priuata concurrant quæ sunt de re familiari, id est de damno pecuniario, vt l. 4. D. de publ. iudic. l. 6. D. de sep. viol. quibus verbis excluditur actio iniuriarum & quæ-

quæcunque vindictæ priuatæ non pecuniæ persecutio-  
nem habent. Quæ ratione vt opinor & ab hac regula in  
C.Th. excipitur actio de moribus, qua prius nõ agit aut  
si egerit maritus amittit accusationem adulterij. Publica  
iudicia vigorem continent publicæ disciplinæ, priuata  
vtilitatem priuatorum, l. locatio. §. quod illicite, D. de  
publ. Cetera quæ ad hunc tit. spectant, exposui Obs. 2. ●  
cap. 23. 26.

*XXXII. De crimine expilata heredi-  
tatis.*

**A**B hoc ritu. incipit tractare de priuatis iudicijs quæ ex  
maleficijs oriuntur, ex quibus alia sunt forensia &  
ciuilia, alia criminalia. & hæc autem & illa pœnalia.  
Et priuata, quia non patent omnibus, vt publica crimi-  
nalia, de quibus ante dictum est, vel vt publica ciuilia  
quæ popularia dicuntur, de quibus nihil hoc in libro,  
sed patent his tantum quorum interest. hoc verò inter  
se distant, quod ciuilia sint ordinaria, criminalia extraor-  
dinaria, quod ciuilia pœnam & legem certam habent, vt  
furti nec manifesti legem XII. tab. habet, qua furto nec  
manifesto dupli pœna constituitur, furti manifesti & vi  
bonorum raptorum edictum prætoris, iniuriarum le-  
gem Cornelianam, partim edictum prætoris, damni iniu-  
ria legem Aquilianam, quibus delictis priuatis pœna im-  
ponitur certa perinde atque publicis æquè legibus cer-  
tis. Criminalia autem priuata iudicia pœnam non ha-  
bent certam sed arbitrariam, hoc est Constitutionibus  
aut S. C. relictam in arbitrio iudicantium, l. 1. D. de ef-  
frac. Quamobrem & crimina quæ persequuntur dici-  
mus non esse legitima, l. 3. §. penultim. D. de crim. stell.  
nimirum quia non est eis constituta certa & legitima  
pœna. Item, quod ciuilibus exercendis additur specialis  
iudex more iudiciorum ceterorum. Criminalia extra  
ordinem exercentur apud præf. vbi aut præsidem pro-  
uinciæ



uinciat l. 3. D. de exp. here. quod in ciuilibus non est necessaria inscriptio actoris, in criminalibus est necessaria, l. ult. D. de pr. del. quod leuiora sint ciuilia quàm criminalia, l. penult. in fin. supr. ad leg. Corn. de fals. vel. vt Iustinianus ait in Constitutione Græca de veteri iure enucl. ciuilia *μετρώτερον*, criminalia *σφοδρότερον*. quod quo ex maleficio est ciuilis actio, deficiente publica, non erat olim etiam priuata criminalis extra ordinem, vt l. vltim. D. de fur. ostendit, dum ait de furto nunc plerumque esse. Erat & est sæpè publica, exempli gratia, de vi lege Julia, de iniurijs, aut damno iniuria, aut testamento suppresso lege Cornelia, quia scilicet alia de re est publica, alia ciuilis, hæc de re aut vindicta priuata, illa de vindicta publica. At extraordinaria & ciuilis eandem causam & respectant, nempe priuatam, nec vtraque experiri licet. Contrà verò, qua de re est accusatio extraordinaria, non semper etiam est ciuilis actio, quæ scilicet pœnam inferat reo, vt de expilata hereditate & de stellationatu, quæ crimina vindicantur extra ordinem, nulla prodita est ciuilis actio, quæ pœnam persequatur. Quâuis autem tot sint differentiæ inter ciuilia & extraordinaria iudicia, tamen quia omnia sunt priuata, conditori huius libri magis placuit ea collocare alternato quàm distincto ordine, proposito primum crimine & iudicio extraordinario expilatæ hereditatis, deinde ciuili actione Vibonorum raptorum, tum crimine extraordinario stellationatus, post ciuili actione iniuriarum, mox crimine extraordinario abigeatus, omissis ciuilibus actionibus furri & legis Aquilæ, quoniam de eis iam è re nata anteuertat dicere lib. 3 & 6. Primum igitur proponit crimen expilatæ hereditatis, cui locus est si post mortem defuncti ante aditam hereditatem vel etiam post aditam & ante adprehensam possessionem rerum hereditariarum res quadam hereditariæ mobiles subreptæ sint. Quod propriè furtum non est. Nam rerum quæ à nemine possidentur furtum non sit, l. 1. §. S. æuola. D. si quis test. lib. ideoque heredibus eo nomine non compe-

tit actio furti, l. 2. D. eod. sed competit extraordinem accusatio compilatae hereditatis priuata, non publica, ex S. C. & Oratione D. Marci, l. 1. D. eod. l. 3. D. de extr. crim. loco deficientis actionis, vt ait l. vlt. huius tit. id est, loco pœnalis actionis, loco actionis furti, qua ratione famosa etiam est peinde atque furti actio, in cuius locum succedit, l. infamem. D. de publ. iud. l. si te, supr. ex qui. caus. irr. inf. Et datur etiam priuigno in vitricum & nouercam, qui quæve expilauit hereditatem extranei ei delatam, l. 2. & 3. sicut furti. l. 3. & 11. supr. de fur. & vi bono raptorum, l. vlt. tit. seq. quia his personis honos non debetur tantus vt parcere debeamus famosis iudicijs aduersus eos. At non datur priuigno in nouercam quæ expilauit hereditatem mariti. Puto nec in vitricum qui expilauit hereditatem vxoris, quia nec expilare videtur qui atrectat quod viuo coniuge societas vitæ in sua potestate fecit, nec post adprehensam possessionem daretur actio furti cuius instar hæc accusatio obtinet. eademque ratione non dabitur heredi extraneo in maritum vel vxorem qui quæve compilauit hereditatem defuncti, l. 4. hoc tit. l. pen. D. cod. l. heres. D. de neg. gest. l. quamuis, supr. de furt. Eadem ratio societatis facit, vt non detur coheredi in coheredem, l. 1. hoc tit. l. 3. sup. fam. erc. l. merito. D. pro soc. quæ de re Obser. 20.

### XXXIII. De vi bonorum raptorum.

**I**N hoc titulo proponitur ciuili actio Vi bonorum raptorum, quæ ex edicto prætoris datur in eum qui rem alienam rapuit, si mobilis fuerit. Nam de immobili neque hæc actio est neque furti, sed interdictum Vnde vi, vel actio in duplum ex Constit. l. si quis in tantam. Dari verò dicitur hæc actio modò in triplum, vt l. locatio. §. quod illicitè. D. de public. modò in quadruplum, vt in Constitutionibus huius tituli, & alibi passim, modò in triplum & quadruplum, vt l. pen. Cõ. Th. de pag. sacr. & huius varietatis causa, quia mista est actio, quæ scilicet cum pœna tripli persequatur etiam rem vi ereptam, qua

con-

confusione quadruplum efficitur, & intra annum vtilem. Nam post annum rem solam persequitur, non triplum & singulari casu, cuius excipiendi auctor est Tribonianus, in duplum confectum ex re & pœna, l. 6. supr. de pag. sacr. sed perpetuò, vt opinor, huius moderatiõnis pensandę gratia. Neque verò existimare debemus mitius agi cum raptore, quàm cum fure, quod in raptorem sit actio mista & annalis, in furem tota pœnalis & perpetua. Nam siue raptor sit manifestus, missa actione vi bonorum raptorum conueniri potest actione furti manifesti, quia & hic fur manifestus est, l. si vendidero. §. cum raptor. D. de furt. siue non sit manifestus, vt l. 52. §. vlt. D. eod. sanè hoc casu grauior est intra annum vtilẽ actio vi bon. rapt. quàm furti nec manifesti. & in hunc propriè casum hæc actio comparata est, q̃ prætori non videretur sufficere actio furti nec manifesti, qua tamen si prius non sit actum Vi bon. raptorum intra annum, licet experiri post annum in duplum, vel si hac actum sit prius needum annus exierit, adhuc experiri licet Vi bon. raptorum in id quod amplius in ea est, l. i. D. eo. l. si quis egerit. D. de fur. & obseruandum, in iure agi sæpè de isto concursu actionis furti nec manifesti, & vi bonor. nusquam de cõkursu actionis furti manifesti. & vi bo. raptorum, quia ad hunc casum neque necessaria est neq; propriè pertinet actio Vi bono raptorum, ad illum propriè pertinet & necessaria est.

*XXXIII. De crimine stellionatus.*

Sequitur crimen extraordinarium stellionatus, quo nomine continetur fallacia, impostura, dissimulatio omnis, & quidquid turpiter fit in fraudem alterius quod proprii criminis nomen non habet. Cum eo non concurrit quidem vlla actio ciuilis, quæ pœnam persequatur, sed quæ rem persequantur variæ possunt concurrere: & si quidem famosa sit quæ concurrit, veluti de dolo aut depositi, etiã famosum erit crimẽ stellionatus, quia

quia absurdum est civilem actionem esse famosam & criminalem non esse. finge debitorem in soluendo pro auro debito ex stipulatu vel ex causa depositi æs subiecisse, vel pro veris gemmis vitreas, ex hac causa est civilis actio de dolo vel depositi, quæ famosa est. Erit igitur ex his causis crimen stellionatus famosum, ad quas tantum dico respexisse l. quid ergò. §. vlti. D. de his qui not. inf. & erit famosum, vt ait, quamuis publicum non sit. Nam & crimen expilatae hæreditatis est famosum, licet publicum non sit. Subijcere autē aliud pro alio, est quod l. 3. D. eod. ait, imposturam facere. Tribellius Pol. io in Gallienis: Cùm quidam gemmas vitreas vendidisset pro veris, subripi quasi ad leonem iussit, deinde cauea emisit caponem, & iussit per curionem edici, Imposturam fecit & passus est. Ceterum si in pignore dando, aut in vendendo subiecerit qui æs pro auro, vel statuliberum pro seruo, vel vitreum sardium pro vero, dissimulata veritate rei, crimen stellionatus non est famosum, vt ait l. 2. D. eod. quia nec actio pignoratitia contraria, vel ex empto, quæ cum eo concurrat, est famosa, l. si quis in pignore. D. de pig. act. l. statuliberum. §. 1. D. de statulibe. idem si quis sciens ignoranti creditori rem alienam vel alij obligatam, simulans rem esse suam, vel esse liberam, pignori obligauerit, l. tutor. §. 1. D. de pigno. act. l. 1. & 2. hoc titul. idem si produxerit aliquem creditorem simulans eum esse antiquiorem in causa pignoris, prioris creditoris fraudandi causa, vt l. 4. hoc titul. nullo prolato chirographo falso, quo sit prælatus dies obligati: oni, alioquin crimen falsi committitur, l. 15. supra ad legem Corn. de fals. l. si à debitore. D. eod. & cessat crimen stellionatus, quia non aliter ei locus est, quàm si deficiat aliud crimen. Nemo autem est qui nesciat translatum hoc esse nomen à lacerto quodam ad hominem vasium & decipiendi peritum, & apud Apuleium Venus irata Cupidinem stellionem vocat, quo plerique capiuntur omnes. In glossis stellionator est ἐπιβήτης. & in Basilic.

Ex quo dictum illud in Christianos pallio coopertos,  
Græcus ἐπιδεδυμένος, Cypriano implanator.

XXXV. De iniurijs.

**E**Xtraordinariis executionibus criminum interferit ciuilem actionem iniuriarum, quæ competit ex XII. tab. vel ex edicto prætoris, vel etiam ex lege Cornelia, vt l. Constitutionibus, D. eod. id est ex causis lege Cornelia comprehensis, quod pulsatus quis verberatusve domusve sua vi introita sit, & de omni iniuria atroci, l. 7. §. posse. D. eod. cuius exemplum est in l. 4. si facta sit sacerdoti procedenti cum infulis & ornatu suo. Hac actione superbia coerctetur ex XII. pœna certa, hodie æstimatione iudicis cum infamia, & ex quacunq; causa finitur actio anno cōtinuo, l. 5. hoc est breuiori tempore quã actio vñ bon. raptorum, quia & facillimè tollitur, veluti dissimulatione, id est si contestatus non sit illicò is cui iniuria facta est se eam accipere & reuocare ad animū, l. 31. supr. de lib. cau. & pacto, & iureiurando, l. 5. §. hac lege. l. non solum. §. 1. D. eodem. l. si tibi. §. 1. D. de pact. siue directò fiat, siue per consequentias, vt filio vel seruo vel vxosi, l. 2. & 8. At non tantum ciuiler de iniurijs agi pot. est, sed etiã criminaliter, ita tamen vt non vtraque via vti liceat, l. 6. D. eod. quia vtraque hodie ad vltionem priuatã spectat. Nam criminaliter quidem olim fuit publica accusatio ex lege Cornelia, l. hos accusare, §. vltim. D. de accus. & est etiam hodie in casu tit. seq. & in casu l. si quis in hoc. supr. de episc. & cl. si facta sit iniuria sacerdoti dum sacra facit. Videtur & de iniuria facta illustribus viris publica accusatio esse. Saluianus 8. Deum incuriosum & negligētem vocas? Si quemlibet ingenuorum hominum hac contumelia læderes, iniuriarum insolentium reus esses, certè si illustriorem quempiã aut sublimiorē etiam cenfuram iuris publici sustineres. Ceteris casibus hodie est extraordinaria, l. vlti. D. eod. cum inscriptione, l. vlti. hoc titul. Nam & extraordinaria crimina inscriptionem exigūt, l. vlt. D. de fur. l. 1. inf. de abig. Speciale verò est quod constituitur in l. vlti. huius titul. vt viri illustres siue sint

honorarij siue legitimi, & siue extraordinem criminaliter agant siue cōueniantur, de iniurijs causam agere possint per procuratorem (quod & Episcopis & presbyteris dat No. Valentiniani de episc. iud.) his tamen condicionibus, vt per semetipsi si agant, subscribant in crimen, & vt in eorum persona nominatim condemnatio fiat, quam non video ~~cur non possim dicere infamiam irrogare condemnatis.~~ Quia & si iudicio abfuerint, absentibus eam irrogari nihil vetat, vt l. vlt. inf. de req. reis. idemque esse puto quocunq̄ casu procuratori voluntario aut mandatario permittitur exercitio capitalis causæ, vt non alius damnetur & notetur quam auctor criminis. At in ciuilibus causis sententia concipitur in personam procuratoris, l. i. sup. de sen. & interl. videlicet si lis cum eo contestata fuerit. Nam si cum domino, aliud dicendum est. & quod ait l. nihil. sup. de procurat. hoc tantum vult, etiam post litem a domino contestatam, procuratorem dari posse qui causam peragat.

### XXXVI. De famosis libellis.

**I**Niuria aut fit in corpus, aut extra corpus. In corpus, veluti verberibus. Extra corpus, veluti conuiijs vel famosis libellis. Conuiijs, vt si sycophantam dixerit, l. 3. si homicidam, l. 5. si seruum, l. 9. & 10. tit. superioris. Famosis libellis, si quid scripserit quod pertineat ad iniuriam alterius, de qua est publica accusatio ex S. C. l. 6. D. cod. & poena capitalis ex l. 1. & 2. huius tit. vna Græca, altera Latina, non tantum in auctorem libelli famosi, sed etiam in eum qui inuenit, nec combussit, sed euulgauit quia ipse auctor præsumitur esse libelli qui eum sparsit in vulgus non prodito auctore.

### XXXVII. De abigeis.

**S**equitur crimen extraordinarium abigeatus in latrones pecorum, quod Constitutio huius tit. ait intendi modò cum inscriptione vt si grex ouum abductus sit, modo sine inscriptione, hoc est ciuitatibus tanquam in fures, vt si vna tantum ouis abducta sit. Nam ob rem modi-

cam

cam criminaliter agi non potest, l.causas, C.Theod.de iurisdic.

XXXVIII. De Nili aggeribus non rumpendis.

EST etiam extraordinariū crimen in Aegypto, si quis ruperit Nili moles & aggeres qui aquam Niloticam continent, coercent, dispensant, l.penu. D. de extr. cr. qua irrigatur terra Aegyptia. Nam & Deut. 11. legimus, eam vt hortum irrigari humana opera. hi aggeres chomata dicuntur, d. l. pen. qui alijs προκυματία, certè que Arriano chomata, Curtio sunt moles. Quamuis autem hic tit. sit de aggeribus, tamen de eis expressim non loquitur Constitutio huius tit. sed tacitè duntaxat. Nam in ea non est certè legendum *valla fluenta*, sed vt in C. Th. *valla fluenta*, hoc sensu, vt si quis ruptis, apertis, vel dissolutis aggeribus Nili intra 12. cubitum, intra, id est κατωτέρω, cū incrementum Nili nondum excessit 12 cubitū, vt Græci rectè πρὸ τῆς ἀνορέσεως τῶ δώδεκα πῆχεσσι, vlla fluenta vllisve riuiolos deriuarit & vsurparit sibi, capite puniatur. Malè autem Græci legunt, *valla*, qui vertunt τῆρ τὰ φρορ. Quia huic voci neque respondet benè verbum, *vsurparuerit*, ne que congruit *fluenta*, quod adiungitur.

XXXIX. De ijs qui latrones vel alij criminibus reos occultauerint.

EST etiam extraordinarium crimen in eos qui latrones vel aliorū criminum reos recipiunt & celant, vt l. 1. D. de receptat. Quintil. de cl. 255. Proximos existimo esse eos transfugis, à quibus transfugæ recipiuntur. Hoc natura simile est, facere scelus & probare. Latrones dicit, non fures. Nam qui furem recipit, fortè ciuilitè tantum tenetur, vt l. qui vas. §. qui furem. D. de furt. nisi & res furtiuas simul recipiat sciens, vt l. si quis vxori. §. si fugitiuū. D. eo. l. 12. supr. ad leg. Fab. Phocyl. φωρῶρ μὴ δέξει κλοπιμῶν ἀνδρῶν πῶχτήων, ἀμφοῖροι κλωπῶν κῆ ὁ δέξάμενος κῆ ὁ κλέψας, Plato XI. legū, εἶνε

τις κλεμμάδιον ὁ τίς μ ὑπὸ δέχνη) γιγνώσκων  
πὺν ἑυπὺν ὑπεχέτω δίκην τοῦ κλέψαντα.

*XL. De requirendis reis.*

**D**E reis dixit qui præsentes rei fiunt litis contestatiōe, postquam etiam absentes damnari possunt, l. inter. D. de publ. iud. Nunc dicit de reis qui fiunt requirendi nec damnari possunt, quod lis cum eis contestata nō fuerit, quodque iudicio semper abfuerint. Hi adnotantur inter reos, ut requirantur non ad pœnam, sed ad purgandam innocentiam suam, & edictis euocantur, bonis eorum obsignatis, nondum publicatis. Nec enim damari possunt, videlicet si grauius crimina obijciantur, ut ait l. i. quæ l. i. D. eod. interpretatur esse crimina quæ mortem inferunt vel seruitutem damnato, ut l. absentē. D. de pœ. Requirendis factis datur annus, intra quem si purgauerint se, vel si mortem obierint, bona sua ipsi recipiāt vel heredes eorum, l. i. hoc tit. l. 2. supr. si pen. app. mors int. Post annum bona publicantur, & ipsi infames fiunt ipso iure, nec si quandoque postea purgauerint se, cui rei nulla tempora præscripta sunt (nam & quocumque tempore venientes audiuntur, l. pen. D. eod. l. vnus. §. pen. D. de quæst.) bona sua recipiunt, l. 2. & 3. hoc tit. quia quod cecidit semel in fiscum, vix vnquam restituitur. l. i. D. ad l. lul. de amb. l. 4. infr. de bo. poss. l. 2. hoc tit. Famæ restitui possunt beneficio principis.

*XLI. De quæstionibus.*

**E**xposita ratione faciendorum reorum & exhibendorum & custodiendorum atque etiam ad extremum vbi absunt adnotandorum inter reos, expositisque varijs iudicijs quibus varia crimina coercentur, tempus erat dicere proprio titulo de quæstiōibus, de quibus obiter sæpius ante cum ea exponerentur facta mentio est. Hæ sunt strictiores inquisitiones criminum, l. 3. supr. ad l. lul. ma. seueræ indagatiōes, l. 10. infr. de dign. quia non nude interrogatiōes sunt, sed quæ fiunt per vim & tormenta, cruciatuque corporis reorum vel testium & quandoque

accu-



accusatorum, vt d. l. 3. efficacissimæ ad requirendam veritatem, l. edictum, D. eo. De quibus & aduersus quos non sunt habendæ, hic tit. ostendit. Seruos posse torqueri alienos, & quandoq; proprios qui vocantur in testimoniū in nos vel alios, aut qui accusantur, etiam in pecuniarijs causis si aliter veritas inueniri non possit, liberos homines in pecuniarijs non torqueri vocatos in testimoniū, quia nec statuliberos qui nondum liberi, nec deportatos qui iure Quiritum liberi non sunt, l. Diuus. §. vlti. D. eod. In criminalibus statu liberos torqueri, l. edictum. §. vlt. D. eod. & quandoq; liberos, vt putà pro testimonio vacillante, l. ex libero, in pr. D. eod. vel si infames sint, l. ob carmen. §. si ea rei. D. de testib. aut participes sceleris fuisse dicantur, l. 3. tit. sequ. Accusatos autem liberos homines, si plebei sint, iudice commoto certis indicijs torqueri, l. 3. & 8. vel post damnationem vt prodant sceleris participes, l. 1. sup. de fal. mon. si secernantur à plebe dignitate vel splendore generis vel militia vel merito militiæ, non torqueri. nisi in crimine maiestatis vel alio crimine ei proximo, vt l. 16. hoc tit. l. 7. sup. de malef. & math. vel nisi decurio arguatur falsa instrumenta scripsisse ante decurionatum cum esset tabellio, & res exigit per eum ipsum probari scripturæ fidem, l. 21. supr. ad leg. Corn. de fal.

*XLII. De abolitionibus.*

**Q**BI TER etiam sæpius ante dictum est de accusatorum temeritate & calumnia, quæ lege Remmia coercetur, & de abolitionibus sine quibus institutam accusationem deserere non possunt ex lege Petronia & S. C. Turpilliano, cui rei debebatur proprius specialisq; titulus siue tractatus, & verò nunc ei datur hic tit. & quatuor qui sequuntur. Hic est de Abolitionibus, quarum vna est specialis & priuata, altera generalis & publica, & primum agit de speciali. ea est venia omittendæ accusationis quæ petit accusator à iudice in cuius officio accusationem instituit, l. 16. supr. ad l. Iul. de adult. l. 15. D. de iur. fal. nomenve detulit: vt l. 10 §. vltim. D. de iur. patr. Nec e-

nim ad eam obtinendā necesse est accusatori adire principem, si iudicem pro tribunali presente reo exposita causa omittendæ accusationis veluti errore vel calore iuuenili, vt est apud Symmachum vltim. epist. lib. 1. accusator abolitionem petit per causam incautæ adolescentiæ suæ pariter atq; militiæ. Iusta etiam causa est, si quis propinquos suos in reatum deduxerit quorum postea miseretur. l. 2. hoc titul. vel si quis suæ vel suorum iniuriæ gratia accusationem instituerit, d. l. 2. l. quamuis. sup. ad l. Iul. de adul. quia priuatam causam agit, quam cur non o mittat, si velit, petita venia? At qui agit publicam causam, id est qui accusat publico iure iudicioq; legem temerè prode- re atq; omittere non potest. Datur abolitio à iudice per- penso consilio & causa cognita, etiam inuito reo, si res sit integra & intra 30. diem ex quo reus factus est sub custodia officij, interim dum se comparat ad sistendum in iudicio, iuxta l. 2. sup. de exhib. reis. Manifesto calumnia- tori non datur, l. 3. hoc titu. l. pen. infr. de calum. l. 15. D. de in. h. nec capitalium criminum. d. l. 3. nec tortis ingenuis hominibus testimoniij gratia. Ingenuis, inquam, quia fer- ui non sunt tanti. Impetrata autem abolitione non po- test ab eodem in eundem renouari crimē nisi nutu prin- cipali, l. 1. hoc tit. l. 3. inf. ad S. C. Turpil. & nutu principali quandocunq; , nedum intra 30. dies, qui generali non speciali abolitione subditi sunt reo repetendo ipso iure. Quin & qui plura crimina intulit, singulorum aboli- tionem petere debet, l. 1. hoc tit. l. 1. §. si plura. D. ad S. C. Tur- pil. aut eorum quorum non petit, integra ei executio est.

### XLIII. De generali abolitione.

**N**VNC agit de abolitione generali, communi & pub- lica, quæ vel ipso iure pro tempore certo feriarum solemnium datur, vt indulgentia paschalis celebritatis l. 3. sup. de epis. aud. & apud Cassiodorum in fi. XI. vel p- tempore extra ordinem indictarum indulgētia promit- ta edictis propositis. Hæc reis leuiorum criminum da- tur principaliter & consequenter accusatoribus, quia fi- nitis ferijs impunè possunt non repetere crimen, l. si in- terue-

terueniente. D. ad S. C. Turpil. illa datur principaliter accusatoribus vt impunè delistant petentibus, hæc neque reo petente neque accusatore. hæc finitis ferijs post 30. dies vtilis impunitatem plenam tribuit. nam intra 30. dies ab eodem repeti reus potest. Alia est indulgētia quæ fit specialiter per adnotationem principis, vt l. 5. sup. ad l. Corn. de sic. l. 9. sup. ad leg. Cor. de fal. & indicit accusatori perpetuum silentium, & statim plenissimam impunitatem tribuit, quæ ab abolitione separatur, l. pen. inf. de calum. Potest & generalis fieri eadem condicione, veluti lege obliuionis.

*XLIV. Vt intra certum tempus criminalis quæstio terminetur.*

POstquam dixit de abolitione speciali & generali, quæ interueniente accusator qui omittit accusationem, non videtur desistere vt pœnam desertionis possit incurere ex S. C. Turpil. d. l. si interueniente. nunc docet, ea nõ interueniente desistere videri eum qui post inscriptionem aut litis contestationem negligens est in peragendo reo intra tempus legibus cõstitutum, quod hodie est biennium, ex l. 3. huius tit. videlicet reo non dicente causam ex vinculis, l. vltim. sup. de cust. reor. Et ex l. 3. ad l. in S. C. §. qui post. D. ad S. C. Turp. Tribonianus addidit, vel biennio. Olim fuit annus, vt constat ex titu. C. Th. vt intra annum cr. quæst. ter. & l. 2. C. Th. ad leg. Cornel. de fal. & d. §. qui post. & l. reus. D. de mun. & hon. & hodie quidem biennium numeratur ex die litis cõtestatæ, l. 3. olim annus numerabatur à die inscriptionis, l. 2. C. Th. cod. tit. quæst. l. 2. huius tit. in qua tamen Tribonianus mutauit illa verba, à die inscriptionis, & reposuit præcedentibus inscriptionibus, sicut in l. vbi, sup. ad leg. Cor. de fal. hæc verba. testatæ actionis, id est inscriptionis, quæ erant in C. Th. mutat in, contestatæ accusationis, propter l. 3. huius tit. quæ vult tempus terminandæ quæstionis criminalis numerari à contestatione litis. At Basil. in l. 2. retinent illa verba, à die inscriptionis. & potest dici à die inscri-

tionis tempus legitimū computari, si lis contestata nō fuerit, vt d. l. in S. C. §. qui post. à die litis contestationis, si contestata fuerit. Punitur ergo negligētia eius q̄ intra tempus legitimum non agit aut peragit reum quem detulit semel, & multò magis qui obdurat in hac negligentia vsq; ad extremam diem legitimi temporis. quia tunc palam est cum rem non distulisse sed planè destitisse, vt l. 2. ait, quia distulit. Pœna verò huius negligentie est infamia & multa quartæ partis bonorum, l. 1. huius titu. videlicet si honestior persona fuerit. humilior & pauper, cui, vt ait l. 2. damnum famæ iniuria non est, vt l. si quis iniuriam. D. de iniur. l. 22. C. Th. de hæret. datur in exiliū, quod sic interpretor vt Græci & in l. 4. supr. ad leg. Iul. de adul. relegatur. Hæc tamen pœna grauior est pœna S. C. Turpilianī, vt maius quoq; crimen neglectæ quàm desperatæ accusationis, & tamen qui hac parte tenetur in S. C. Turpilianum dicitur incidisse, d. §. qui post id est quasi Turpilianum, vt destitit l. 2. id est quasi destitit, hac nimirum culpa proxima culpæ notatæ S. C. Turpiliano, cui iungitur lex Petronia, l. abolitionem. sup. ad l. Iul. de adul. quia eam legem Nerone imperante tulit Petronius Turpilianus Consul, Senatus adprobauit, iuris auctores S. C. ex nomine Consulis nomen dederunt Turpilianī consonantius quàm Petronianī. Sed iam ad ipsius S. C. pœnam veniamus.

*LV. Ad S. C. Turpilianum.*

**P**OENA legis Petroniæ & S. C. Turpilianī est infamia & multa §. librarum auri cogenda in fiscum, l. spurij, §. qui iudicij. D. de decur. l. 3. §. vltim. D. de præuar. l. 1. D. de iur. fisc. & hodie vt ceterarum legum extraordinaria, l. 2. hoc tit. Irrogatur autem accusatori non cunctanti & negligenti vt superiore titul. sed qui animo ab accusatione destitit sine abolitione post delationem rei & solemnum implementa, intra constitutum tempus finiendæ causæ criminali, l. vlti. hoc tit. qui proprio nomine tergiuersator dicitur & desertor. Proinde pœna S. C. irrogatur tergiuersatori. Pœna quasi S. C. id est, tituli superioris,

eis, moratori. Pertinet etiam ad pœnam S. C. qui postquam implevit solēnia accusationum intra præfinitum à iudice diem contestandæ edictis euocatus iudicio non adest. l. ab accusatione. §. destitisse. D. eod. l. 3. & 7. sup. qui acc. non poss.

*XLVI. De calumniatoribus.*

**T**ergiuersatoribus aut veluti tergiuersatorib. ad quos respiciunt vel pertinent tres tituli superiores adiunxit calumniatores. Hi sunt accusatores qui scientes dolo mala falsa crimina intendunt quorum irriti abeant. Calumnia, irrita accusatio est, l. 8. Si enim irrita non fuerit, putà reo condemnato, iam de accusatoris calumnia amplius quæri non potest, l. 1. Non dico calumniatores esse qui crimina quæ intendunt iudici probare non possunt, vt crasso filo Demostenes in Neærām, αἰτιάσθαι μὴν ἐξελίγξει δ' οὐ. Nam possunt plerique non probare nec calumniatores esse, l. 3. hoc tit. l. 1. §. 1. D. eod. ideoque nec absoluto reo utique semper accusator damnatur de calumnia. Hi verò præter pœnam cui se ipsimet subijciunt per inscriptionem, quæ talio est, id est similitudo supplicij intentati & formidati reo, l. 7. & vltim. etiam lege Remmia in publicis iudicijs puniuntur, l. 1. §. 1. D. ad S. C. Turpil. l. quaesitum. D. de testib. Cicero pro Roscio Amer. Ita quaesitus te cupidum esse oportebat, vt horum existimationem & legem Remmiam putares aliquid valere oportere. Ex ea lege calumniatoris fronti inscribitur litera K. vt iam pridem docui in l. is cui lege. D. qui test. fac. pos. quod hodie non licet ex l. 17. tit. seq. nam & eodem loco paulò post Cic. ait, ad caput calumniatoris literam adfigi, & inustionem hanc literæ, inustionem esse infamiæ, vt postea neminem aliū nisi fortunas suas accusare possit. Pœna igitur legis Remmiæ notatur l. 3. his verbis, Detrimētum existimationis, & l. 8. his, Infamiæ supplicium, quā rectè dixi irrogari in publicis iudicijs. nam in priuatis & extraordinarijs calumnia officio iudicis coercetur sine periculo infamiæ, l. 5. hoc tit. l. 3.

D. ad S. C. Turp. vt pœna quoque legitima tergiuersatoris habet tantum locum in publicis iudicijs, l. i. §. suspecti, l. 7. §. 1. D. eo. l. i. sup. co. l. 3. sup. qui accu. non poss.

XLVII. *De pœnis.*

**S**Aepius ante habita mentio pœnarum exigit vt proprio titulo ostendatur quæ sint genera pœnarum quibus adficere iudices quemque possunt, & quæ de eis constituendis vel exequendis legibus definitiones proditæ sint. Pœna est æstimatio delicti, l. sanctio. D. eod. vel supplicium peccati, vt contra in Pisoniana supplicium dicitur esse pœna peccati, vel vt quidam ait, pœna est τῶν παθημάτων ἰσότης. Imponitur verò vel vt sublatis malis ceteri viuant securiores, vel vt is qui punitur emendetur, l. si pœna. D. eod. Plato σωφρονισμὸν ἐνεκεν, vel vt pœna eius ceteros meliores reddat, l. 7. sup. ad l. Fab. l. i. supra ad legem Iul. rep. Demosthenes in Negeram, ἵνα ἄλλοι τῶν νόμων ποιῶνται καὶ φοβῶνται, vt ceteri terreatur exemplo, l. capitalium, §. famosos. D. eod. quæ ratio efficit vt & in animalia nonnunquam pœnæ consumantur, vt apud Plinium 8. ca. 16. & ex ipso verbo Dei Genes. lib. 9. Exod. 21. Leuit. 20. imò & in ea quæ anima carent Draconis lege. Pausanias ἡλιακῶν 2. ὑπερώρισε ἢ τὰ ἀψιχὰ εἶνε ἐμπροσθεν τῶν ἀπὸ τῶν ἀποκτείνεσθαι ἐνδρωποῦ. Sūt autem hodie ferè omnes pœnæ positæ in arbitrio iudicantium, & ab eis conuicti & confessi rei appellare possunt. Olim erant certæ & legitimæ, quas nec necesse erat iudices sententia sua exprimere, quia de factò tantum iudicabant, l. i. §. nam si quidem, D. ad S. C. Turpil. nec de factò prolatam sententiam non sequi poterant, l. non poterit. D. de fur. aut si quando pœnam legitimam sententia sua exprimebant ab ea tanquam à lege conuicti aut confessi appellare non poterant. l. si qua pœna. D. de verb. signifi.

XLVIII. *Ne sine iussu principis certis iudicibus liceat confiscare.*

Etiam

**E**Tiam si pœnæ legibus non improbatæ sint , vt sunt illæ de quibus l. 6. & 17. sup. tit. prox. tamen non omnibus iudicibus eas licet irrogare, vt ecce ex hæc Constitutione præfectis prætorio & vicarijs & præfecto vrbis publicationem omnium bonorum irrogare siue proscribere licet, inconsulto principe, præsidibus prouinciarum non item. An & hac ratione in insulam deportare non possunt, quia deportationem sequitur tacita omnium bonorum publicatio, l. 8. sup. tit. prox. Minimè, alioquin nec ius gladij & ius dandi in metallum haberent, quia & hanc pœnam sequitur confiscatio omnium bonorum, & tamen constat eos habere ius gladij & ius dandi in metallum, & per consequentias tacitè publicandi omnia bona, vt Ioannes dixit, non directò & expressim. Vera ratio hæc est, quia in his quæ pertinent ad delictorum coercionem quæque meri imperij sunt, quod lege datur atq; finitur, nec omnibus semper ad plenum, ea tantum magistratus habent quæ specialiter eis lex dedit. Præsidibus lex Augusti, vt est apud Dionem 53. dedit ius gladij, & ius dandi in metallum, datum etiam eis est ius relegandi, l. 2. sup. tit. prox. l. relegatorum. §. 1. D. de interd. & rel. Ius deportandi inconsulto principe vel confiscandi datum non est, l. interd. §. 1. D. eod. ergo nec deportare nec confiscare possunt. quæ eadem ratio redditur in procuratore Cæsaris, l. vlt. D. de off. proc. Cæs.

*XLIX. De bonis proscriptorum seu damnatorum.*

**Q**UO D est confiscare titulo superiore, hoc est in isto proscribere, nimirum publicare omnia bona, quod fit expressim vel tacitè, quorum expressim, hi proscripti dicuntur, quorum tacitè damnati, veluti capite damnati aut deportatione aut metallo aut simili pœna, quam qui sustinent sicut omnia pristina iura, ita & bona tacito iure amittunt, nec in his quæ postea acquirunt alium habent heredem quam fiscum, l. 2. hoc tit. nec obstat

l. si

l. si mandauero. §. is cuius. D. mand. quia non de capite minutis loquitur, sed de his quorum bona publicantur sine capitis deminutione, vt si qui relegati sint bonis publicaris, l. 7. §. vlti. D. eod. vel etiam tantum confiscati ex causa administrationis actusve fiscalis, vt l. 9. §. vltim. hoc tit. l. 3. inf. de sent. pas. Notandum, publicationem omnium bonorum cadere tantum in eos qui sui iuris sunt, quia hi soli habent bona. Serui aut filij. non habent bona quæ damnatione publicari possint, quia peculia si qua habent his damnatis domini parentesve in quorum sunt potestate occupant, etiam castrensia & quasi castrensia. nam quod in castrensibus filijs priuilegium Constitutiones dederunt, id capite minuti amittunt perinde ac mortui intestati, l. 1. & 3. hoc tit. in l. 1. quod Accursius notat alias legi, dispungantur, sanè rectius est, & probatur vet. lib. & Basil. in quibus est ἕως οὗ λόγος τοῦ κριτικῆς καὶ τροποικῆς, addita interpretatione διασχυρῆς. Notandum etiam ex l. 7. bouorum proscripsi vel damnati fieri inquisitionem primam & inuentarium per officium iudicis qui pœnalem sententiam dixit. Secundam autem per catholicum rationalem siue procuratorem Cæsaris, vel etiam specialem procuratorem ad bona damnatorum vt in antiqua inscriptione, Q. Val. Q. F. Postimo proc. ad bona damnatorum.

*L. De bonis eorum qui mortem sibi consciuerunt.*

**N**ON tantum proscriptorum seu damnatorum, sed etiam eorum qui in reatu capitali perculsi conscientia criminis sibi mortem consciuerunt, bona publicantur, si postea de crimine probatum & pronunciatum fuerit. l. 3. §. vlt. D. eod.

*LI. De sententiam passis & restitutis.*

**H**IC titulus est de damnatis qui beneficio & indulgentia principis speciali vel generali & communi plurimum, in integrum restituuntur. quæ restitutio plerumque liberat tantum pœna & calumnia, ne quis scilicet restituti



tuti statum possit in dubium reuocare ob pristinam poenam siue deportationem & adnotationem præsidis, vt ait l. 10. nec enim præses deportare, sed deportandum ad notare potest, quam adnotationem plerunq̄ sequitur princeps, l. inter, §. 1. D. de interd. & rel. Non restituit autem bonis indulgentia quæ damnatum reuocat in patriam, aut famæ & honori, aut patri vel domino vel filio, nisi hoc specialiter comprehensum sit, vel nisi quibusdã expressis generaliter subiiciatur, & ceteris omnibus, vt l. 1. aut nisi generali verbo sit concepta, Restituo illum in integrum. quia beneficium principis quod à diuina scilicet eius indulgentia proficiscitur quam plenissimè interpretari debemus, l. pen. D. de const. prin. & ita accipere oportet quod est in Institutionibus, restitutos ex indulgentia principis per omnia recipere pristinum statum, & quod l. siue libertus. D. de iu. patr. l. 3. §. si deportatus. D. de bon. lib. recipere ius patronatus. Notandum ex l. vlti. restituito in integrum deportato plena restitutione, atque adq̄d restituta patri potestate in filium testamentum quod interim fecit & quæcunq̄ interim gessit filius qui iam venerat in ætatem, non rescindi, & filio impuberi interim datum tutorem non mutari si pater qui restitutus est non sit homo frugi. quæ Constitutio non multum abhorret à iure communi. nam & initio iure datus est tutor patrif. iureque factum testamentum à patref. qui postea quamuis redeat in potestatem patris, non ideo irritum fit testamentum, l. 7. D. de iur. codicill. quia in eius potestatem redit sine capitis deminutione. Rectè igitur Anianus, & Cyprianus, & Imerius, testamentum hoc casu non rescindi, sicut nec cetera gesta, malè Basilica & Ioannes, testamentum

rescindi non cetera. ἰδὲ τὸ τέρμα  
τῆς χάρις δι᾽ ἰδίᾳ.

LAUS DEO SEMPER.



Ob. G. II. 3347 a

Об. 6. II, 3347 - 3347 а

